This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06823908 0

ZFF
KENRICK

4-15-1909

DOGMATICÆ THEOLOGIÆ

QUAM CONCINNAVIT

FRANCISCUS PATRICIUS KENRICK,

Episcopus Arathensis, *in partibus infidelium*, et Coadj. Ep. Phil.

VOLUMEN IV.

"Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei." LACTANTIUS l. iv. de Vera Sapientia et Religione c. xxx.

PHILADELPHIÆ:

TYPIS L. JOHNSON, IN GEORGII VICO.

AN. MDCCCXL.

1840

CN

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
474181
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.
1909

Entered according to the Act of Congress, in the year 1840, by
FRANCIS PATRICK KENRICK,
in the Clerk's Office of the District Court of the Eastern District of Pennsylvania.

INDEX.

TRACTATUS XV.

DE SACRIS ORDINIBUS.

C. I. De Sacramenti veritate - - - - - - 13
Propositio. Ordo, sive sacra ordinatio est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum - - - 16
Objectiones solvuntur - - - - - - 18
C. II. De sacerdotio - - - - - - - 24
Propositio. Est in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; cui competit potestas consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi 25
Objectiones solvuntur - - - - - - 26
Animadversiones - - - - - - 28
C. III. De Episcopatu - - - - - - - 30
Propositio. Episcopi sunt presbyteris superiores - - 31
Objectiones solvuntur - - - - - - 33
C. IV. De Diaconatu - - - - - - - 36
Propositio. Diaconatus est sacer ordo - - - - 36
Objectiones solvuntur - - - - - - 38
Animadversio - - - - - - - 39
C. V. De Subdiaconatu et minoribus ordinibus - - - - 40
C. VI. De ordinum materia et forma - - - - - 43
C. VII. De electione Ministrorum - - - - - 46
Propositio. Jus eligendi sacros ministros divina ordinatione penes populum fidelem non est, sed penes Ecclesiæ rectores, præsertim summum Pontificem - - - - 47
Objectiones solvuntur - - - - - - 49
Animadversiones - - - - - - 53
C. VIII. De ordinum Ministro - - - - - - 55
§. 1. De ministro necessario - - - - - 55
Propositio. Episcopi habent potestatem ordinandi, quæ non est illis cum presbyteris communis - - - - 55
Objectiones solvuntur - - - - - - 56
§. II. De Ministro legitimo - - - - - 58
C. IX. De ordinationibus Anglicanis - - - - - 61
C. X. De ordinandis - - - - - - - 65
C. XI. De Religiosis - - - - - - - 69
C. XII. De sacro cœlibatu - - - - - - 71

§. I. De cœlibatus antiquitate - - - - - 71
Propositio. Numquam licuit clericis qui sacris ordinibus insigniti erant matrimonium inire - - - - - 72
Objectiones solvuntur - - - - - - 73
Animadversio - - - - - - - 76
Propositio. Cœlibatus lex qua sacris ordinibus insigniti adstringuntur, conjugii usu interdicto etiam iis qui duxerant ante ordinationem uxores, antiquissima est - - - 76
Probatur I. Pontificum auctoritate - - - - 76
Probatur II. Conciliorum decretis - - - - 77
Probatur III. Patrum testimoniis - - - - 78
Objectiones solvuntur - - - - - - 78
§. II. De cœlibatus excellentia - - - - - 84
Propositio. Melius est ac beatius manere in virginitate, quam jungi matrimonio - - - - - - 85
Objectiones solvuntur - - - - - - 87
§. III. De cœlibatus convenientia - - - - - 89
Propositio. Sanctissima est cœlibatus disciplina et sacris ordinibus maxime conveniens - - - - - 89
Objectiones solvuntur - - - - - - 92
C. XIII. De Mulierum ordinatione - - - - - 95
Propositio. Mulieres divino jure excluduntur ab ordinibus sacris, et omni sacri ministerii munere - - - 95
Objectiones solvuntur - - - - - - 96
C XIV. De Ordinationis effectibus - - - - - 98

TRACTATUS XVI.

DE MATRIMONIO.

C. I. De honestate matrimonii - - - - - 101
Propositio. Matrimonium est de se licitum et honestum - 102
Objectiones solvuntur - - - - - - 103
C. II. De Sacramento - - - - - - - 106
Propositio. Matrimonium est vere et proprie novæ legis sacramentum a Christo institutum - - - - - 106
Objectiones solvuntur - - - - - - 108
C. III. De Sacramenti ratione - - - - - - 111
C. IV. De consensu - - - - - - - 114
C. V. De unitate matrimonii - - - - - - 117
C. VI. De vinculo matrimonii - - - - - - 120
§. I. De vi vinculi - - - - - - 120
Propositio. Matrimonium consummatum fidelium nulla umquam de causa, ne adulterii quidem, dissolvi potest quoad vinculum 121
Objectiones solvuntur, - - - - - - 123
Animadversio - - - - - - - 126
§. II. De solutione vinculi - - - - - 126
§. III. De divortio thori - - - - - 128
C. VII. De Impedimentis matrimonii - - - - - 130

Propositio. Potuit Ecclesia constituere impedimenta matrimonium dirimentia, et in iis constituendis non erravit - 132
Objectiones solvuntur - - - - - - 133
Propositio. Civilis potestatis exercitium in matrimoniis dirimendis ultra civiles effectus non extenditur - - 134
Objectiones solvuntur - - - - - - 134
Animadversiones - - - - - - 136
C. VIII. De singulis impedimentis - - - - - 138
Animadversiones - - - - - - 146

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS IN UNIVERSUM.

Prænotanda - - - - - - - 149
C. I. De Sacramentorum numero - - - - - 150
Propositio. Septem sunt novæ legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora - - - - - - 150
Objectiones solvuntur - - - - - - 152
Animadversiones - - - - - - 155
C. II. De Ministro Sacramentum - - - - - 158
§. I. De Ministri potestate - - - - - 158
Propositio. Christiani omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis non habent potestatem - - - 159
Objectiones solvuntur - - - - - - 160
§. II. De Ministri intentione - - - - - 161
§. III. De Ministri dignitate - - - - - 162
Propositio. Valent sacramenta a ministro in peccato mortali existente confecta, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit - 163
Objectiones solvuntur - - - - - - 164
C. III. De Sacramentorum efficacia - - - - - 167
Propositio. Sacramenta novæ legis gratiam continent quam significant, et gratiam ipsam non ponentibus obicem conferunt ex opere operato - - - - - - 167
Objectiones solvuntur - - - - - - 169
Animadversio - - - - - - - 170
C. IV. De effectibus Sacramentorum - - - - - 171
§. I. De Novæ legis sacramentis - - - - 171
Propositio. In tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, et ordine imprimitur character in anima - - 171
Objectiones solvuntur - - - - - - 172
Animadversio - - - - - - - 174
§. II. De veteribus Sacramentis - - - - 174
C. V. De cæremoniis - - - - - - - 176
Propositio. Recepti et approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni nec sine peccato a ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari possunt - - - - - - 177
Objectiones solvuntur - - - - - - 178

TRACTATUS XVIII.

DE CULTU RELIGIOSO.

Prænotanda - - - - - - - 181
C. I. De cultu Dei - - - - - - - 182
Propositio. Divinus cultus qualis in Ecclesia Catholica peragitur purus et perfectus est, Deo dignus et hominum indoli conveniens 182
Objectiones solvuntur - - - - - - 183
Animadversio - - - - - - - 186
C. II. De cultu Sanctorum - - - - - - 187
Propositio. Licet Angelos, sanctosque cum Christo regnantes, religioso quodam cultu, ut Dei famulos, prosequi - - 189
Objectiones solvuntur - - - - - - 193
C. III. De Sanctorum invocatione - - - - - 197
Propositio. Bonum est et utile sanctos cum Christo regnantes supplici-ter invocare - - - - - - 197
Objectiones solvuntur - - - - - - 202
C. IV. De Virginis cultu - - - - - - 206
§ I. De Matris Dei titulo - - - - - 206
Propositio. Virgo Maria vere et proprie dicenda est Dei mater - 206
Objectiones solvuntur - - - - - - 208
§ II. De perpetua Mariæ virginitate - - - - 209
Propositio. B. Maria, Christi Domini Mater, virgo permansit perpetua 209
Objectiones solvuntur - - - - - - 211
§ III. De speciali Mariæ cultu - - - - - 212
Propositio. Maria Virgo, utpote Dei Mater, speciali prorsus et insigni cultu honoranda est - - - - - 212
Objectiones solvuntur - - - - - - 216
§ IV. De invocatione Deiparæ - - - - - 218
Propositio. Ea semper viguit consuetudo in Ecclesia Catholica ut Sanctissimæ Matris Dei preces apud Deum expeterentur 218
Objectiones solvuntur - - - - - - 219
Animadversio - - - - - - - 221
C. V. De cultu Reliquiarum - - - - - - 223
Propositio. Sanctorum reliquiis veneratio atque honor debetur - 223
Objectiones solvuntur - - - - - - 226
C. VI. De cultu Imaginum - - - - - - 229
Propositio. Imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum retinendæ sunt in templis præsertim, eisque honor et veneratio impertienda - - - - - 230
Objectiones solvuntur - - - - - - 231
C. VII. De veneratione crucis - - - - - - 239
Propositio. Vera crux in qua Christus passus est speciali honore est digna, cujus etiam participes sunt cruces quælibet ad eam repræsentandam factæ - - - - 240
Objectiones solvuntur - - - - - - 242
Animadversio - - - - - - - 243

TRACTATUS XIX.

DE VITA FUTURA.

C. I. De beatitudine æterna - - - - - - 245
§ I. De Gloriæ gradibus - - - - - - 246
Propositio. Sancti Deum vident, pro meritorum tamen diversitate alius alio perfectius - - - - - 246
Objectiones solvuntur - - - - - - 248
§ II. De gloria statim post mortem - - - - 250
Propositio. Animæ sanctorum nulla macula inquinatæ statim post obitum ad Deum intuendum admittuntur - - 251
Objectiones solvuntur - - - - - - 252
C. II. De Purgatorio - - - - - - - 255
Propositio. Purgatorium est in quo quæ detinentur animæ fidelium suffragiis, potissimum verò altaris sacrificio, juvantur - 256
Objectiones solvuntur - - - - - - 263
Animadversio - - - - - - - 269
C. III. De impiorum suppliciis - - - - - - 270
Propositio. Reproborum supplicia æterna prorsus sunt, adeo ut semel Dei judicio damnati numquam ad salutem perventuri sint 270
Objectiones solvuntur - - - - - - 273
Animadversio - - - - - - 279
C. IV. De corporum resurrectione - - - - - 280
Propositio. Corpora omnium hominum in mundi fine resuscitabuntur, animabus iterum socianda nexu indissolubili - 280
Objectiones solvuntur - - - - - - 283
Animadversiones - - - - - - 287
C. V. De Millennio - - - - - - - 288
Propositio. Christi regnum cum Sanctis in terris per mille annos, nec Scripturis nec traditione probatur - - - 289
Objectiones - - - - - - - 290
C. VI. De Prædestinatione - - - - - - 295
Propositio. Reprobatio positiva et formalis, qua scilicet impii æternis destinantur suppliciis, fit propter prævisum peccatum 297
Objectiones solvuntur - - - - - - 300
C. VII. De Judicio - - - - - - - 307
Propositio. Christus Dominus universos homines in fine mundi judicabit - - - - - - 308
Conclusio - - - - - - - 310
Appendix I. Hæresum et schismatum recensio - - - 313
Appendix II. Conciliorum Œcumenicorum notitia - - 359
Appendix III. Romanorum Pontificum series - - - 367

ERRATA.

Pagina.	Linea	Pro.	Lege
93	17	velantibns	vetantibus
"	12	Hac	Hæc
120	5	emendarent	emendaret
132	19	stature	statuere
281	22	turba	tuba
236	12	rarum	earum

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

TRACTATUS XV.

DE SACRIS ORDINIBUS.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI VERITATE.

1. De ritu illo nunc agendum quo homines ad sacra munera obeunda idonei fiunt. Persuasum fuit toti Ecclesiæ et orbi christiano, ad sæculum usque decimum sextum, esse quendam sacrorum ministrorum ordinem, potestate divinitus præditum sacra obeundi munia, eosque ordinis sacramento eam accipere. Lutherus tamen hoc vocavit "commentum papisticæ synagogæ.[1]" Calvinus manuum impositionem qua munus presbyteri tribuitur, inter sacramenta fere recensuit: "Certe utile est" inquit "ejusmodi symbolo cum ministerii dignitatem populo commendari, tum eum qui ordinatur admoneri, ipsum jam non esse sui juris, sed Deo et Ecclesiæ in servitutem addictum. Præterea non erit inane signum, si in germanam suam originem restitutum fuerit. Nam si nihil frustra Spiritus Dei in Ecclesia instituit, hanc cæremoniam, quum ab eo profecta sit, sentiemus non esse inutilem, modo in superstitiosum abusum non vertatur."[2] De sacerdotio, quale tenet Ecclesia, agens, dicit: "Certe nimis improbi sunt, dum sacramenti titulo insiguire audent. Quantum ad verum presbyterii

(1) L. de captiv. Babylon.
(2) Inst. l. iv. c. iii. n. 16.

munus attinet, quod ore Christi nobis est commendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim cæremonia est, primum ex Scripturis sumpta, deinde quam non esse inanem nec supervacuam, sed fidele spiritualis gratiæ symbolum testatur Paulus (1 Tim. iv. 14.) Quod autem tertium in numero non posui, eo factum est quod non ordinarium nec commune est apud omnes fideles, sed ad certam functionem specialis ritus."[1]

2. A Calvini placitis, ordinem, uti liquet, sacramentum agnoscentis, quamvis ob futilem satis rationem tertium non appellaverit, discesserunt qui alias plerumque eum sequuntur ducem. Ordinationis quemdam ritum plerique retinent, sed virtutem divinam ei adnecti non agnoscunt. Oxonienses tamen, antiquas repetentes semitas, jam prædicant vim magnam huic ritui inesse, eoque dari Spiritum Sanctum, et divinæ esse originis.[2] Presbyteriani eos quos vocant *Ruling Elders*, seniores scilicet regimine fungentes, oratione ministri in id muneris delegant,[3] quo pacto etiam et diaconis dant auctoritatem ; electos autem in munus pastorale seu episcopale, (idem enim apud eos habetur) impositione manuum a presbyterio,[4] cœtu nempe seniorum ordinant. Baptistæ, electo aliquo in ministerium, eum *ordinandum* dicunt impositione manuum presbyterii illius Ecclesiæ cui præficiendus est, vel vicinæ Ecclesiæ, jejunio et oratione injunctis, et tota Ecclesia, (ita vocant quemlibet cœtum) adstante.[5] Anglicani impositionem quoque manuum adhibent, episcopo una cum presbyteris qui adsunt eas imponentibus. Hunc ritum imitantur Methodistæ episcopales, variata tamen verborum formula : episcopus enim Anglicanus dicit : " Accipe Spiritum Sanctum ;" Methodista autem. " Dominus tibi infundat Spiritum Sanctum." Unitarii ordinationis ritum oratione incipiunt; sequitur sermo, ordinationis oratio, mandatum quo præco aliquis ordinato sua munera explicat, datur dextera in consortii ministerii indicium, et oratione alia terminatur. Cæterum nullum certum ritum agnoscunt, sed Ecclesiis,

(1) Inst. l. iv. c. xix. n. 28.

(2) " Ordination, or as it is called in the case of Bishops, consecration, though it does not precisely come within our definition of a sacrament, is nevertheless a rite partaking in a high degree, of the sacramental character." Tract No. 5. Vide etiam jam citata testimonia, vol. iii. n. 9. p. 16.

(3) Form of Government ch. xiii. et xiv.

(4) " The presiding minister shall by prayer, and with the laying on of the hands of the presbytery, according to the apostolic example, solemnly ordain him to the holy office of the Gospel ministry." Ibidem ch. xv.

(5) " After having taken all due care to choose one for the work of the ministry, they are, by and with the unanimous consent or suffrage of the church to proceed to his ordination ; which is a solemn setting apart of such a person for the sacred function in this wise, by setting apart a day of fasting and prayer, Acts 13. 2. 3. the whole church being present, he is to have the hands of the presbytery of that church, or of neighbouring elders called and authorized by that church, whereof such a person is a member, solemnly laid upon him." Church discipline concerning Ministers, &c.

cœtibus scilicet singulis, tribuunt auctoritatem formam statuendi et conditiones ordinationis. Quakeri omnem ordinationis ritum respuunt, cuilibet, quem Spiritus excitaverit, absque sexus vel ætatis discrimine, jus prædicandi vindicantes. Dicunt quemquam ministrum, pastorem, et doctorem in Ecclesia Christi constitui interiori Spiritus Dei virtute: munera autem illa non æstimant esse perpetua, sed a quibuslibet pro Spiritus instinctu exercenda; quamvis non negent aliquos aliquando vocari a Spiritu ad continuos ministerii labores. Irrident autem et damnant totam illam studiorum rationem, qua homines sacris muneribus suscipiendis idonei effici censentur, et ritus quibus sacra donantur potestate, in ordinem specialem cooptati.[2] Plurimi ex sectis, quæ ordinationis quemdam ritum retinent, præconum officium suscipiunt, ex sola Spiritus quam jactant vocatione: quod et haud raro deponunt, ut munera civilia suscipiant, quæ in quibusdam provinciis cum ministerio sacro conjungi nequeunt.

3. De sectariis universim verba Tertulliani dici possunt: "Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes: nunc neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laicis sacerdotalia munia injungunt."[3]

4. Ordinem seu sacram ordinationem sacramentum esse definierunt patres Tridentini: "Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum: anathema sit." "Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi cha-

(1) "Bishops and Ministers ought to be consecrated according to such form, and on such principles, as the Churches they are appointed to serve, judge most agreeable to Scripture and propriety." Unitarian Miscellany, vol. v. p. 221.

(2) "When they assemble together to wait upon God, and to worship and adore him; then such as the Spirit sets apart for the *Ministry*, by its divine power and influence opening their mouths, and giving them to exhort, reprove, and instruct with virtue and power; these are thus ordained of God, and admitted into the *Ministry*, and their brethren cannot but hear them, receive them, and also *honor them for their work's sake.* And so this is not *monopolized* by a certain kind of men, as the *Clergy*, (who are to that purpose educated and brought up as other carnal *artists*,) and the rest to be despised as *laics*; but it is left to *the free gift of God* to choose any whom he seeth meet thereunto, whether rich or poor, servant or master, young or old, yea, male or female.' Barclay's Apology, proposition x. §. xxiv. p. 275.

(3) L. de præscript. c. xli.

racterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit."[1]

PROPOSITIO.

Ordo, sive sacra ordinatio est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.

Probatur I. ex Scripturis.

5. Ad Timotheum scripsit Paulus: "Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii."—Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὅ ἐδοθη σοί διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτέριου. Donum igitur datum est Timotheo, quod in eo maneret, quando manus a Paulo ei impositæ sunt ad munus presbyteratus conferendum. Prædicta erant de Timotheo egregia facinora, quibus vaticiniis motus erat Paulus ut eum in sacrum collegium cooptaret; quapropter eum alias hortatur ad se gerendum ratione quæ iis respondeat: "Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam."[3] Per ipsas Pauli manus donum illud communicatum fuit; quapropter ait: "Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum."[4]—διὰ της ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. Manuum igitur impositione datum est donum cœleste ad fungendum presbyterii muneribus. Hunc effectum huic ritui Paulus ipse dare non potuit: proinde habendus est divinitus insitus, ex Christi, sacramentorum auctoris, institutione.

6. Equidem constat manuum impositione sacram potestatem tribui, nam Saulus et Barnabas, a Spiritu Sancto electi in opus ministerii, hac ratione auctoritatem acceperunt: "Ministrantibus autem illis *(prophetis et doctoribus, quos mox recensuerat sacer scriptor)* Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt eos."[5] De Paulo et Barnaba refertur, quod manuum extensione seu impositione presbyteros singulis præfecerint ecclesiis. Χειροτονήσαντες δε ἀυτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν, παρέθεντο ἀυτοὺς τῷ κυρίῳ, εἰς ὃν πεπιστεύκεισαν. "Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt."[6] Presbyteri igitur constituti sunt manuum extensione, seu impositione, nam voci eam inesse vim ex Græcorum usu patet, χειροτονία enim apud eos ordinationem designat.

(1) Sess. xxiii. can. iii. iv.
(2) I. Tim. iv. 14.
(3) Ibidem i. 18.
(4) II. Tim. i. 6.
(5) Act. xiii. 2.
(6) Ibidem xiv. 22.

7. Potestatem sacram et donum quo quis ea rite fungi queat, manuum impositione dari liquet ex adductis testimoniis. Jam verò ritum hunc perpetuum fore in Ecclesia ex munere cui adnectitur colligitur. Equidem Paulus ministerium ex Christi instituto mansurum in finem usque sæculi tradit: "Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei."[1] Munus igitur pastorum et doctorum, quod ultimo loco ponitur, perpetuum est, donec consummentur sancti, perficiatur opus ministerii, et ædificetur corpus Christi, omnibus in fidei unitatem convenientibus. Apostoli, prophetæ, evangelistæ divinitus dati sunt ut fundamenta sacri ædificii jacerentur, quæ pastores et doctores pergent novis vivisque lapidibus cumulare, donec perficiatur. Omnia igitur habentur quæ ad sacramentum novæ legis constituendum requiruntur; est enim ritus externus, perpetuò servandus, ex Christi instituto, gratiam cum potestate sacra conferens.

Probatur II. Patrum testimoniis.

8. S. Augustinus sic urget Donatistas: "Illud quod quidam eorum veritate convicti dicere cœperunt: '*Baptismum quidem non amittit qui recedit ab Ecclesia, sed jus tamen dandi amittit*:' multis modis apparet frustra et inaniter dici. Primò quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere. Utrumque enim sacramentum est; et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari."[2] "Sed si nos male facimus, ipsi explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti: quoniam dicunt, *Recedens ab Ecclesia Baptismum quidem non amittit, jus dandi tamen amittit*. Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est."[3] Augustinus manifestò agnoscit ordinem esse sacramentum, idque apud neminem dubium esse dicit.

9. S. Leo Magnus, scribens ad Dioscorum Alexandrinum, docet jejunium quod ordinum conferendorum occasione servatur, tum a conferente, tum a suscipientibus, ex traditione Apostolica derivari: "ut intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum."[4]

10. S. Anastasius II., Pontifex ad Anastasium Augustum scribens, eum certiorem fecit de valore ordinum ab Acacio collatorum: "Sacratis-

(1) Eph. iv. 11.
(2) Contra. ep. Parmen. l. ii. c. xiii. 28.
(3) Ibidem n. 30.
(4) Ep. xi. alias Lxxxi. ad Dioscorum Alex. c. a.

simum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes sive Levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii, portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita SACRAMENTI gratia minus firma videatur."[1]

Probatur III. conciliorum auctoritate.

11. Concilium Chalcedonense decrevit. "Si quis episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, et non venalem gratiam vendiderit,—εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἀπρατον χάριν—proprii gradus periculo subjacebit."[2] Gratiam igitur, quæ vendi non potest, ordinatione tribui, illis patribus persuasum est: ritus autem externus quo gratia tribuitur est sacramentum. Idem liquet ex Nicæno Concilio II.,[3] et ex Constantinopolitano anno 459,[4] ex Bracarensi I.[5] et Toletano II.[6]

Probatur IV. orientalium sectarum, Græcorum imprimis consensione.

12. Euchologia omnia fidem faciunt quo loco semper habita sit ordinatio. Synodi Constantinopolitana et Hierosolymitana, occasione errorum Cyrilli Lucaris habitæ eam sacramentum agnoscunt. Syri quoque Maronitæ et cæteri Orientales in eandem conveniunt sententiam.[7]

Probatur V. præscriptione.

13. Consuevit ordinatio in tota Ecclesia fieri, magno cum sacrorum rituum apparatu; et firma ubique obtinuit sententia sacram potestatem cum gratia ea conferri. Hujus persuasionis origo ætate Apostolica posterior ostendi nequit. Attamen si pristina fides ordinationem sacramentum haud agnovisset, qui primus vim ejus et sanctitatem fidelibus proposuerit credendam, historia referente, innotesceret, et quos habuerit adversarios, quibus vicerit armis, et cætera quæ novæ alicujus sententiæ originem et propagationem semper indicant.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

14. *Obj.* 1. Ordinatio nulla Apostolorum a Christo legitur facta: nec illis injunctum est ut alios ritu aliquo speciali in sacrorum ministrorum numerum adsciscerent: Ergo nullo modo potest sacramentis accenseri, divina deficiente institutione.

Resp. Christus nullo externo ritu indiguit ut potestatem aliis communicaret, quæ tota ex ejus voluntate pendebat. Dedit tamen Apostolis sacerdotii munus in ultima cœna, jubendo ut facerent ipsi quod fecerat: addidit facultatem remittendi peccata, iis insufflando, et Spiritum Sanctum imper-

(1) Ep. i. ad Anastas. c. vii.
(2) Act. xv. Can. ii. apud. Harduinum col. conc. t. ii. col. 602.
(3) Can. v.
(4) Tom. ii. col. 783.
(5) Can. iii. t. iii. col. 386.
(6) Cap. iii. t. iii. col. 961.
(7) Vide Naironum, Euoplia p. 218. et seq.

tiendo. Misit eos, sicut ipse a Patre missus fuerat, fecitque consortes potestatis quam in cœlis terraque acceperat, ut docerent, baptizarent, et cætera omnia munia obirent, quæ in hominum salutem cedunt. Amplissima fuit hæc ordinatio, qua etiam continebatur facultas alios in suorum munerum consortium adsciscendi; nam ad mundi usque finem potestas illis demandata exercenda erat, Christo semper præsente. Quod non referatur mandasse quo ritu eam communicarent potestatem, nil obstat, nec enim omnia quæ illis in jussis dedit, scripto sunt consignata; et ex rebus eorum gestis optime colligimus ejus voluntatem et jussionem. Impositione manuum contulerunt Apostoli sacram potestatem, una cum gratia qua rite exerceri possit: ea igitur fuit ratio a Christo præscripta qua potestas illa et gratia communicarentur: et proinde habetur divina institutio, et tota sacramenti essentia.

15. *Obj.* 2. Potuerunt Apostoli alios sibi in sacrorum munerum consortium adsciscere, ut Christi mandatum de omnibus gentibus docendis exequerentur: usi sunt eum in finem manuum impositione, utpote ritu Hebræis familiari, quo victimas Deo sacrabant, vel divinam implorabant in aliquos benedictionem. At non ideo sacramentum habendus est ille ritus, quamvis signum potestatis communicatæ: nec enim Apostoli vim gratiæ conferendæ ritui illi adnectere valuerunt.

Resp. Haud suo arbitrio, sed Christi mandato Apostoli censendi sunt in rebus præcipuis egisse, Spiritu Sancto eorum illustrante mentem. Utebantur quidem Hebræi manuum impositione plurimis in rerum adjunctis; sed longe a consuetis ritibus distabat illa manuum impositio, qua, Paulo testante, donum divinum, ad sacra obeunda munia, conferebatur. Est igitur sacramentum, quia effectum in anima producit, quem Apostoli ipsi haud valentes ei adnectere, ad Christum auctorem referre necesse est.

16. *Obj.* 3. Manuum impositio ab Apostolis ipsis passim fiebat ad ægrotos curandos, juxta Christi mandatum,[1] ad neophytos in fide firmandos, invocato Spiritu Sancto, et alios in fines. Ergo non fuit sacramentum, ritus scilicet ad sacram potestatem communicandam Christi voluntate definitus.

Resp. Utique fiebat manuum impositio ab Apostolis plures in fines; sed non ideo vagus et incertus ritus ordinationis est, ea enim manuum impositio quæ in ea fit, ex adjunctis et verbis quæ simul proferuntur, determinatur ad potestatis communicationem significandam. Ex eo quod alias adhiberetur, recte infertur haud quamlibet manuum impositionem a Christo ad sacrum munus communicandum destinari; sed eam tantum quæ ad hunc finem specialem habet relationem.

17. *Obj.* 4. Manuum impositio Paulo et Barnabæ facta[2] non potest ordinatio haberi, multo minus sacramentum: Paulus enim a Deo electus

(1) Marc. xvi. 18.
(2) Act. xiii. 3.

Apostolus, antea sacro ministerio functus erat, concionando, et sacra munia obeundo; Barnabas etiam inter prophetas et doctores Antiochiæ recensebatur, quibus sacro munere fungentibus Spiritus Sancti voluntas de Pauli et Barnabæ futuris laboribus revelata est.

Resp. Omnia suadent de vera ordinatione agi, nam Spiritus Sancti jussu Paulus et Barnabas in munus assumpti sunt, jejunio, oratione, et manuum impositione. Nec obstat Pauli divina vocatio; Deus enim eum baptismum suscipere jussit; et proinde non potest censeri eum potestate Apostolica, nisi consueto servato ritu, auxisse. Prædicaverat quidem antea Paulus Damasci et Antiochiæ, et Barnabas egregiam operam præstiterat in fidelibus edocendis, et dilatanda Ecclesia: quod argumentum est utrumque jam sacram accepisse presbyteratus potestatem, quæ nonnisi ordinatione conferebatur. Silentium Scripturæ ea de re non obstat, quum plurima prætermissa noscantur, paucis quæ ad historiam pertinebant relatis. Cæterum non ante impositionem illam manuum, quam narrat Lucas, censendi sunt episcopali et apostolica potestate induti.[1] Hinc nonnisi postea leguntur constituisse per singulas Ecclesias presbyteros.[2]

18. *Obj.* 6. De gratia qua anima fit Deo cara, Χαρις, non agit Apostolus, sed de dono quodam fortitudinis: "Χάρισμα hoc loco idem est quod πνεῦμα, quod in tali contextu usurpatur de potestate, cuidam, tamquam evangelicæ doctrinæ magistro, conferendi locum (cf. Act. xiii. 1.–3.) et de animi fortitudine qua opus erat iis, qui locum doctoris recte tueri vellent." Rosenmüller.[3]

Resp. Agit Apostolus de dono Dei—τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ[4]—ad fungendum sacris muneribus dato; quod si rite suscipiatur anima procul dubio fit Deo acceptior. Constat autem ordinationi sacramenti ratio, quum vi ejus donum illud potestasque concedatur, quamvis contingere possit suscipientis culpa ut gratia qua anima sanctitate augetur, simul non recipiatur. Profecto spiritus in ordinatione datus dicitur non tantum fortitudinis, sed et dilectionis et prudentiæ—οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς πνευμα δειλίας, αλλα δυνάμεως καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ. "Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.[5]

19. *Obj.* 6. "Hanc dotem Timotheo datam esse ait Apostolus, δια προφητείας, per *vaticinationem*, sive denunciationem prophetarum, i. e. eorum doctorum, qui eum collocabant in ministri evangelici loco, ad eamque rem inflammabant promissione, fore, ut ei necessaria ad locum cum dignitate sustinendum facultas, scilicet strenuus animus concederetur, I. Tim. i. 18." Rosenmuller.

(1) Vide et Oxoniensium hac de re animadversionem cit. vol. iii. p. 19.

(2) Act. xiv. 22.

(3) In I. Tim. iv. 14.

(4) II. Tim. i. 6. Eadem vox adhibetur Rom. vi. 23. "Gratia Dei vita æterna." Vide et Rom. v. 15. et 1 Cor. vii. 7.

(5) *Ibidem.* 7.

Resp. Apostoli mens patet collatis ejus testimoniis. Prophetia cujus meminit præcessisse videtur ordinationi, quæ ideo facta est, quia prædixerant aliqui Timotheum fore præsulem ;[1] vel certe a ritu illo omnino distinguebatur; nam ea prætermissa, dicit simpliciter alio loco gratiam datam fuisse impositione manuum suarum. Perabsurdum est de votis doctorum, et felicis successus auguriis, prophetiæ vocem interpretari; et ad donum verosimiliter futurum referre quod de dono Timotheo jam dato, et in eo manente, dicit Apostolus. Cum Apostolo manifeste pugnat Rosenmüller, subjungens: "Intelligitur præterea, datum Timotheo χάρισμα non tam collatum esse, quam ejus concedendi spem factam, (veluti 1. Joan. v. 11.) nec verba μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν tam significare id, quo ei hoc donum tribueretur, quam opportunitatem, scilicet solemnem inaugurationem, in qua significatio hujus expectandi beneficii facta esset, quasi tu diceres: non *eo quod*, sed *quum* tibi manus imponerentur." Ita pro arbitrio detorquentur verba Apostoli, quæ munus jam datum, et in eo manens plane denotant,—τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη :—illudque cum impositione manuum et per eam datum affirmant—μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου.—το χαρισμα τοῦ θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθεσεως τῶν χειρῶν μου.

20. *Obj.* 7. Apostolus loquitur de impositione manuum presbyterii, seniorum scilicet cœtus: qui ritus longe distat ab ordinatione quæ a solo episcopo perficitur.

Resp. Calvinus audiatur: "Paulus ipse alibi se, non alios complures, Timotheo manus imposuisse commemorat, (1 Tim. 1. 5.) 'Admoneo te (inquit) ut gratiam suscites quæ in te est per impositionem manuum mearum.' Nam quod in altera epistola *de impositione manuum presbyterii* dicitur (II Tim. 4. 14,) non ita accipio quasi Paulus de seniorum collegio loquatur: sed hoc nomine ordinationem ipsam intelligo, quasi diceret: Fac ut gratia, quam per manuum impositionem recepisti, quum te presbyterum crearem, non sit irrita."[2] Cæterum in ritu ordinationis, presbyteri qui adsunt manus imponunt, et in consecratione episcopi, tres episcopi semper imponunt manus, nisi dispensetur ab Apostolica sede. Quum Timotheus episcopus fuerit, ei plures episcopos una cum Paulo imposuisse manus haud inverosimile est; eos autem presbyterorum nomine designari plus semel a sacris scriptoribus, in confesso est.

(1) Calvinus sic explicat, haud infeliciter: "Dicit gratiam illi *datam esse per prophetiam*. Quomodo? quia scilicet Spiritus Sanctus oraculo Timotheum destinaverat, ut in ordinem pastorum cooptaretur. Neque enim delectus tantum fuerat hominum judicio, ut fieri solet: sed præcesserat Spiritus nuncupatio. Dicit collatam esse cum impositione manuum, quo significat, una cum ministerio necessariis etiam dotibus ornatum fuisse. . . . . Itaque sensus est Timotheum, quum prophetarum voce ascitus fuit in ministerium, et deinde solemni ritu ordinatus, simul gratia Spiritus Sancti instructum fuisse ad functionem suam exequendam." Comm. in I. Tim. iv. 14.

(2) Inst. l. iv. c. iii. n. 16. In commentario in locum Calvinus alteram amplectitur interpretationem, sed et hanc satis in verba Apostoli quadrare fatetur.

21. *Obj.* 8. Si ordinationis ritus a Christo præscriptus fuisset, et sacramenti dignitate insignitus, ubique et semper idem foret: at vero magna est diversitas Græcos inter et Latinos, tum in ritibus ordinationis, tum in ordinum numero: et apud Latinos variæ circumferuntur sententiæ de ordinationis essentia. Nequit igitur sacramentis accenseri.

Resp. Satis est Christum potestatem fecisse Apostolis alios in ordinem sacrum adsciscendi, manuum impositione et oratione in eum finem directis, quin singula definierit quæ ea occasione forent servanda. Jam vero ex rebus gestis Apostolorum novimus eo ritu potestatem sacram communicari; quod nonnisi Christo auctore contingere potuit. Nulla est Græcos inter et Latinos ea in re diversitas, nam ubique fit manuum impositio in ordinibus conferendis: et episcopatus, presbyteratus, diaconatus agnoscuntur, subdiaconatus etiam; de minoribus ordinibus, qui a plurimis sacra tantum officia habentur, aliqua varietate, quæ nihil affert incommodi, admissa. Nil igitur obstat, quin sacramentum habeatur. Quæ autem inter theologos reperitur sententiarum diversitas de ritibus necessariis ad potestatem ordinis conferendam, cum summa omnium consensione de rei summa conjungitur: omnes quippe conveniunt in ritibus præscriptis totam reperiri essentiam, quamvis de quorumdam rituum necessitate disputetur. Mirum autem non est, in solemniori ritu, in quo plurima ad decorem usurpantur, dubium oriri de quodam speciali ritu, utrum necessario adhibendus sit.

22. *Obj.* 9. Quum ordo habeatur sacramentum, et septem a Latinis recenseantur ordines, præter episcopatum, septem vel octo agnoscenda erunt minora sacramenta, illa generali nuncupatione inclusa: vel incertum erit quinam ex ordinibus sacramentum sit.

Resp. Nihil est incommodi si plures ordines sacramenta agnoscantur, generali nuncupatione inclusa: vel si sacerdotium sacramentum habeatur, ordinibus eo inferioribus ad sacramenti dignitatem haud pertingentibus, episcopatu verò, utpote sacerdotii tantum perfectione et explicatione, non novum sacramentum constituente. De his nihil impræsentiarum proferre volumus, satis ducentes fidei dogma de ordinatione ipsa imprimis tueri, sententiam tamen nostram deinceps aperturi.

COROLLARIA.

23. I. Quum ritus sacer, ab Apostolis adhibitus sit, Christo auctore, ad potestatem qua sacris muneribus quis fungatur, communicandam, liquet hanc rationem potestatem transmittendi necessariò et perpetuò servandam esse. Id alte prædicant Oxonienses.[1]

24. II. Quum χαρισμα donum scilicet Dei, Spiritus dilectionis et virtutis, detur manuum impositione, haud frustra episcopi in ordinatione dicunt:

(1) "We must necessarily consider none to be *really* ordained who have not *thus* been ordained. For if ordination is a divine ordinance, it must be necessary." Tract 1.

"Accipe Spiritum Sanctum;" re enim vera Spiritus Sanctus sacro illo ritu communicatur.[1] Meritò igitur Tridentini patres decreverunt. "Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere; *accipe Spiritum Sanctum;* aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursum fieri posse; anathema sit."[2]

25. III. Ea munia quæ ministrorum sacrorum propria sunt v: g: absolvere, conficere eucharistiam, ungere infirmos, nequeunt ullatenus ab iis qui non sunt *ordinati* exerceri. Irrita sunt proinde et vana quæcumque attentata fuerint ab hominibus sacra carentibus potestate.

(1) "Let it not be said that you have neglected a gift; for if you have the Spirit of the Apostles on you, surely this is a great gift. Stir up the gift of God which is in you." Ibidem.

(2) Sess. xxiii. can. iv.

CAPUT II.

DE SACERDOTIO.

26. Ordo sacer, ex dictis, est sacramentum novæ legis, a Christo Domino nostro institutum, quo potestas ad sacra obeunda munia confertur, gratiæ etiam subsidiis adjectis. Sacerdotium præcipue ordinatione confertur, quod quidem plenissime in episcopo agnoscitur, quatenus et sacerdotes valet ipse creare; minus perfecte, vere tamen, in presbytero. Illud circa sacrificii oblationem præsertim versatur, sed et potestatem remittendi, vel retinendi peccata includit, uti ex disceptatis liquet. Lutherus omnes christianos sacerdotes esse prædicavit: "Agnoscat itaque quicumque se christianum esse cognoverit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes, hoc est, eandem in verbo et quocumque sacramento habere potestatem: verum non licere quemquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis, aut vocatione majoris."[1] Omnem veram ministerii christiani notionem amiserunt sectarii hodierni; quum enim sacrificium eucharisticum rejiciant, et remittendi peccata potestatem impugnent, tota ministerii quod agnoscunt ratio in prædicatione, et in precibus fundendis versatur. Omnis vero auctoritas iis prædicantibus detrahitur, quum fateantur se, et sectam ipsam, cujus doctrinam annuntiant, erroris periculo non esse immunem.[2] Manet igitur ministerii christiani nomen tantum et umbra, sacerdotii autem nulla apud plerosque imago; episcopalianis nomen retinentibus, veri sacerdotii notione procul abjecta. Methodistæ, qui se episcopales vocant, senioris nomen in locum sacerdotis suffecerunt. Errorem novatorum decimi sexti sæculi, qui apud eorum sectatores adhuc viget, damnaverunt patres Tridentini: "Si quis dixerit non esse in novo Testamento sacerdotium visible et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi

(1) L. de capt. Babylon. t. ii. fol. 298.

(2) Oxonienses fatentur Ecclesiam dubio dare occasionem, se infallibilem haud prædicando; et dicunt mirum videri non debere si errore inficiatur. "The English Church taking no such high ground as this, certainly is open to the force, such as it is, of the objection, or (as it was just now expressed) on the *prima facie* view of the case is unlikely to have embraced the whole counsel of God, because she does not assume infallibility; and consequently no surprise or distress should be felt by her dutiful sons should that turn out to be the fact, which her own principles, rightly understood, would lead them to anticipate." Tract 71. vol. iii.

verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit."[1]

PROPOSITIO.

Est in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; cui competit potestas consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi.

Probatur I. ex Scripturis.

27. Christus post eucharistiæ consecrationem, qua verum Deo Patri obtulit, uti probavimus, sacrificium, dixit: "Hoc facite in meam commemorationem;"[2] mandatum illud offerendi Apostolis dedit, et proinde eos constituit sacerdotes; nemo enim qui sacerdos non sit potest verum et proprium, quale est eucharistia, offerre sacrificium. Dicendo illis: "Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt;"[3] dedit potestatem remittendi et retinendi peccata. Porro utramque potestatem perpetuam esse liquet ex Paulo docente mortem Domini annuntiandam eucharistiæ celebratione usque ad ejus secundum adventum; et ex verbis præmissis potestatis remittendi peccata collationi: "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:"[4] hæc scilicet ostendunt potestatem hanc ad missionem, et proinde ad ministerium pertinere. Est igitur verum sacerdotium a Christo institutum, visibile et externum, cui utraque potestas competit.

28. Equidem liquet eos qui Antiochiæ versabantur prophetæ et doctores visibilis et externi sacerdotii munere functos esse, quod de sacrificio oblato apte intelligitur, juxta usum sacri scriptoris: Λειτουργούντων δὲ αυτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων: "Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus."[5] Constat quoque ritu externo, impositione scilicet manuum, Paulum et Barnabam, in munus ad quod a Spiritu Sancto delecti erant, fuisse consecratos; eosque per singulas Ecclesias presbyteros manuum impositione constituisse,[6] et Titum Cretæ a Paulo relictum, ut in qualibet civitate presbyterum constitueret: "Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas; et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi."—καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην.[7] De externo et visibili ministerio quod perpetuum foret nullus est relictus dubitandi locus; illud autem sacerdotium esse, et utraque quam exposuimus potes-

(1) Sess. xxiii. can. 1.
(2) Luc. xxii. 19.
(3) Joan. xx. 22.
(4) Ibidem 21.
(5) Act. xiii. 2.
(6) Ibidem xiv. 22.
(7) Tit. i. 5.

tate præditum, ex adductis Christi Domini verbis constat. Meritò igitur Paulus se suosque collegas Christi ministros et dispensatores mysteriorum divinorum exhibuit; postquam enim in studia eorum qui se, Apollo, aut Cepha magistris gloriabantur, invectus fuisset, omnem hujusmodi considerationem, quæ singulos respiciebat, altiori ministerii rationi cedere debere monuit: "Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei."[1]

Probatur II. ex traditione.

29. Tot quæ allegavimus patrum testimonia dum de eucharistiæ sacrificio, et potestate remittendi peccata ageretur, ostendunt sacerdotium esse visibile et externum, utraque potestate donatum. Cætera omnia vetustatis christianæ monumenta id plane conficiunt. Unum vel alterum patris locum speciminis instar referimus.

30. Eusebius cum veteri sacerdotio christianum confert, de sacerdotibus christianis dicens: "ad longe præstantius sacrificium et munus assumpti, quam illud antiquum fuerit, non amplius fas esse putamus, in prima illa et infirma elementa recidere, signa quædam et imagines, non ipsam veritatem continentia."[2]

31. S. Gaudentius: "Dominus discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari."[3]

32. S. Gregorius Nyssenus scribit: Eadem verbi (*Christi*) vis sacerdotem augustum ac honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Quum enim heri ac tempore superiori unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul: eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, *invisibili quadam vi ac gratia, invisibilem animam in melius transformatam gerens*"—ἀοράτῳ τινὶ δυνάμει, καὶ χάριτι τὴν ἀόρατον ψυχὴν μεταμορφωθεὶς πρὸς τὸ βέλτιον[4]

33. S. Chrysostomus dicit: "sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur; sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est: atque id perquam merito."[4].

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

34. *Obj.* 1. Numquam in novo Testamento sacerdotum christianorum mentio fit, seniores enim—πρεσβυτεροι—non sacerdotes—ιερεις—ministri Evangelii vocantur.

(1) 1. Cor. iv. 1.
(2) Dem. Ev. l. i. cx.
(3) Tract. ii. de Exodo.
(4) Orat. in Bapt. Christi.
(5) L. iii. de Sacerd.

Resp. Obvia erat ratio cur sacerdotes christiani nomine illo haud designarentur, quo appellabantur Judæorum, vel Ethnicorum sacerdotes; eo enim intelligebatur ille qui mactabat animantia. Quum igitur Christi oblato in cruce sacrificio, jam cruenta nulla offerenda foret victima, placuit πρεσβυτέρους vocare Apostolos, omnesque sacri ministerii consortes, voce *seniores*, munere magis quam ætate, indicante. Cæterum distinctione semel statuta, et diffusa religione christiana, ἱερεῖς passim vocabantur sacerdotes Christi, quum jam non foret periculum, ne cum ethnicis vel judaicis sacerdotibus confunderentur: ipsaque vox πρεσβύτερος ex usu loquendi sacerdotem designabat, adeo ut plerasque ad linguas Europæ traducta eam ferat significationem; omnibus scilicet christiani nominis professoribus inhæsit sacrificii et sacerdotii notio.

35. *Obj.* 2. Sacerdotium nullum in nova lege est præter illud quo fungitur Christus apud Patrem, Sacerdos in æternum: quod autem adstruitur hominum suas vices gerentium, latissimo quodam sensu ita appellatur, quum mystica sit oblatio, ipsis fatentibus catholicis. Eo quidem sensu omnes Christiani sacerdotes dici queunt, juxta illud Petri: "sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum;"[1] "regale sacerdotium."[2] Hinc sancti gloria cælesti gaudentes dicunt de Christo: "fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo."[3]

Resp. Obvio ac vero sensu sacerdotium est, quum victima præclara adsit, et vere Deo offeratur. Longe distant sacerdotes a fidelium cæterorum conditione, qui sacerdotium sanctum dicuntur eo quod valeant offerre spirituales hostias, prout explicat ipse Apostolus, ut eos ad bonorum operum exercitium hortetur. Latior illa vocis acceptatio, quæ ex contextu liquet, non potest efficere, ut quæ de potestate conficiendi eucharistiam et absolvendi dicta sunt Apostolis, et aliis qui eorum ministerii consortes sunt, ab obvio sensu detorqueantur. Christi legatione funguntur, juxta illud Pauli: "Pro Christo legatione fungimur."[4]

36. *Obj.* 3. Tertullianus nullum sacerdotium in nova Lege divinitus institutum agnovit; sed officiorum discrimen totum ad Ecclesiæ consuetudinem retulit: quum enim contra nuptias secundas disceptaret, eas omnibus vetitas dicit, eo quod omnibus conveniant munera sacerdotalia. "Vani erimus," inquit, "si putaverimus quod sacerdotibus non licet, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: *Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit.* Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tinguis,

(1) I. Pet. ii. 5.
(2) Ibidem 9.
(3) Apoc. i. 6.
(4) II. Cor. v. 20.

et sacerdos es tibi solus . . . Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso . . . digamus tinguis, digamus offers ?"[1]

Resp. Studio erroris actus Tertullianus præsidium ex sacris quibusdam muneribus, quæ in nonnullis rerum adjunctis obibant laici, exquisivit: "Omnes nos," inquit, "Deus vult ita esse dispositos, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus."[2] Hoc cum versaret argumentum, verbis vel sententia eum peccasse mirum non est; solent enim erroris patroni haud accurate res referre, vel ratiocinari. Unicuique licet baptizare, urgente necessitate: licuit etiam olim, ob persecutionem grassantem, suscipere eucharistiam propriis manibus, quam eos offerre quodammodo dicit Tertullianus, eo quod nonnisi precibus præmissis, eam sumerent. Sacerdotes idcirco, lato quodam sensu, omnes dicit. Quod autem addit de differentia inter sacerdotes et laicos Ecclesiæ auctoritate constituta, intelligendum est de externis honoris indiciis, quæ discrimen a Deo factum sequuntur: nisi velimus Tertullianum hac etiam in re transversum actum, quod haud verosimile est; nam exprobrat sui temporis hæreticis: "laicis sacerdotalia munia injungunt."[3] Quidquid sit, constat eum agnovisse visibile et externum sacerdotium, offerendi sacrificium, sed et remittendi peccata postestate donatum. Constat etiam cæteros omnes patres id habuisse persuasum, et ad Christi voluntatem retulisse.

37 *Obj.* 4. Theodoretus refert Frumentium, juvenem ab Indis captum, gratiam apud eos iniisse, suasisse autem mercatoribus illuc commeantibus ut convenientes in unum divinam perficerent liturgiam,[4]—τας θείας ἐπιτελεῖν λειτουργίας

Resp. Liturgiæ vox latiori sensu eo loci usurpata est, ad preces scilicet sacras designandas, quas fideles illi recitabant, deficiente sacerdote, qui mos alicubi etiamnum servatur; solent enim fideles, nonnullis in locis intra provincias has fœderatas, convenire die Dominica, ad preces simul fundendas, quando non datur sacerdotis copia. Cæterum nemini laico unquam licuit sacrificium offerre. Profecto Theodoretus testatur Frumentium Alexandriam reversum ab Athanasio episcopali charactere insignitum,—τῆς ἀρχιερατικῆς ἀυτῷ χάριτος μεταδιδοὺς—ut ad Indos reverteretur, eis sacramenta impertiturus.

ANIMADVERSIONES.

38. Quum constet ordinationem esse sacramentum, et sacerdotium præcipuus sit ordo, nam episcopatus ipse est sacerdotii perfectio, liquet illud sacramentum esse: quod in confesso apud Catholicos omnes est.

(1) L. de exhort. cast c. vii.
(2) Ibidem.
(3) L. de præscript. hær. c. xli.
(4) Hist. Eccl. l. i. c. xxiii.

39. Sacerdotii honor et potestas ordinatione, uti demonstravimus, confertur, ex Christi instituto; ideoque vocatus a Deo jure optimo dicitur qui ea ratione in sacerdotum numerum cooptatur, quamvis qui temere absque divinæ voluntatis indiciis, sese ad ordinationem suscipiendam offert, magno se salutis discrimini objiciat. Cæterum semel ordinatus potestatem habet sacerdotii munia obeundi, servatis tamen debitis conditionibus. Iis qui absque ordinatione sacra aggrediuntur munia, quod sectarum præconibus in more positum est, illud Pauli est in memoriam revocandum: "Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum. Filius meus es tu, ego hodie genui te."[1] Magnam vim in hoc et aliis hujusmodi testimoniis ponunt Oxonienses, sui vulneris haud memores.[2]

(1) Heb. v. 4.

(2) "'How shall they preach, except they be sent?' 'Let a man so account of us, as the Ministers of Christ, and Stewards of the mysteries of God.' 'No man taketh this honour to himself but he that is called of God, as was Aaron.' I do not think it possible for any one to read such places as these with a fair and clear mind, and not to perceive that it is better and more scriptural to have, than to want, Christ's special commission for conveying his word to his people." Tract 4.

CAPUT III.

DE EPISCOPATU.

40. Episcopatum diximus sacerdotii esse plenitudinem et perfectionem, quum potestatem ferat aliis communicandi sacerdotium, et fideles gubernandi. Utrum sit sacramentum a sacerdotio distinctum inter Theologos quæritur, quorum sententia affirmans nobis magis probatur. Equidem Spiritum Sanctum episcopali consecratione conferri, non possumus dubitare, quum consecrator dicat: "Accipe Spiritum Sanctum;" quæ verba haud frustra proferri ex Tridentina definitione constat. Apostolus episcopos a Spiritu Sancto constitutos in Ecclesiæ regimen tradit, monens quos Epheso arcessiverat: "Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei."[1] Quæ de Paulo, et Barnaba, et de Timotheo, adduximus loca, episcopalem consecrationem spectant; unde patet gratiam ea conferri, et eam esse proinde sacramentum. Ejus distinctio a sacerdotio simplici colligitur ex præstantiori quam confert potestate ad plura, quibus efficiendis hoc prorsus impar est.

41. De gradus discrimine nulla potest moveri quæstio, salva fide, damnatus est enim, quinto sæculo ineunte, Aerii error id negantis, prout refert S. Epiphanius: "Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum et immane. Imprimis enim: Quanam inquit, in re presbytero episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor et dignitas. 'Manus imponit episcopus; imponit et presbyter: baptizat episcopus; idem facit et presbyter. Episcopus in throno sedet: sedet et presbyter. His in vulgus jactatis, plerosque in errorem adduxit, quorum sectæ princeps extitit."[2] Errorem hunc amplexi sunt Albigenses, Waldenses, Wickleffus. Calvinus, episcopi originem sic refert: "Quibus ergo docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum episcopi: ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore et dignitate superior erat episcopus, ut dominium in collegas haberet: sed quas partes habet consul in senatu, ut referat de negotiis, sententias roget, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, et

(1) Act. xx. 28.
(2) Hær. lxxv.

quod decretum communi consilio fuerit exequatur: id muneris sustinebat episcopus in presbyterorum cœtu."[1] Presbyteriani et Baptistæ episcopos et seniores, (ita vocant presbyteros, vocis significationi inhærentes, usu neglecto,) eosdem esse dicunt.[2]

42. Concilium Tridentinum "declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent."[3] Definit etiam: "Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris; anathema sit." "Si quis dixerit, episcopos, non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi: vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem; . . . anathema sit."[4] Ideo, testante Petro Colleto, "Catholici omnes constanter docent, episcopos esse presbyteris superiores; idque de jure divino, si de potestate ordinis sermo sit: sed ambigunt an eodem jure presbyteris superiores sint quantum ad potestatem jurisdictionis."[5] Controversiam hac de re in concilio habitam fuse narrat Pallavicinus,[6] quam patres supremo judicio dirimere nolentes, satis habuerunt, præstantiam episcoporum, juris omissa mentione, definitione declarare.

PROPOSITIO.

Episcopi sunt presbyteris superiores.

Probatur I. Scripturis.

43. Constat Apostolis eximiam datam esse potestatem, episcopos autem in consortium ejusdem ab iis adscitos, quos et successores reliquerunt. Ergo præstant presbyteris, tanta auctoritate non gaudentibus.

Probatur II. ex Patribus.

44. Clemens Romanus dicit: "Summo quippe sacerdoti, sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius adsignatus est, et levitis sua munia tributa."[7]

45. S. Ignatius M. Smyrnenses hortatur: "Omnes episcopum sequimini,

(1) Inst. l. iv. c. iv. §. 2.
(2) Presbyterian form of Government, ch. iv. Baptist confession of faith, ch. xxvii.
(3) Sess. xxiii. cap. iv.
(4) Ibidem can. vi. vii.
(5) Tract. de Ordine p. ii. c. iv. de episcopis, art. ii.
(6) Istoria del Concilio di Trento l. xviii. et xix.
(7) Ep. ad Cor. Cap. xl.

ut Jesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos, diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum."[1] Ad Magnesianos: "Hortor, ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, episcopo præsidente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi."[2]

46. Clemens Alexandrinus scribit: "In Ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, et diaconorum imitationes sunt angelicæ gloriæ."[3]

47. Origenes: "Plus a me exigitur, quam a diacono; plus a diacono quam a laico. Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem."[4]

48. S. Cyprianus: "Christus dicit ad Apostolos, et per hos omnibus præpositis, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: 'Quæcumque ligaveritis, etc."[5] Plurima alia adduximus testimonia dum de Ecclesiæ regimine ageretur ad quæ lectores remittimus, ne eandem crambem recoquere videamur.[6]

Probatur III. ex vetustissimis Ritualibus.

49. In ritualibus vetustissimis qui supersunt, apud Ecclesiam orientalem vel occidentalem usitatis distinctio inter episcopos et presbyteros perpetuò servatur, et ad Christum auctorem refertur: quod et in constitutionibus, quæ apostolicæ dicuntur, animadvertere est.[7]

Probatur IV. ex omnium sectarum Orientalium consensione.

50. Sectæ omnes Orientales, etiam antiquissimæ, distinctionem inter episcopum et presbyterum agnoscunt, illi regendi potestatem tribuentes, quam huic denegant. Episcopi præstantia ex eorum consensione pristina traditione niti noscitur.[8]

Probatur V. præscriptione.

51. Episcoporum præstantia ubique per orbem christianum agnita est, saltem secundo sæculo, fatentibus iis qui eam impugnant. Nequit autem ostendi eam tunc primum statutam, quum testimonia potius probent eam jam vigentem: imo habentur Ignatii indubia documenta, quæ ad finem primi sæculi referenda sunt, vel saltem ad initium secundi, obiit enim martyr anno 107: ut de Clemente Romano, Apostolorum discipulo, sileamus. Porro inverosimile prorsus est totam rationem qua Christus regi voluit Ecclesiam, tempore adeo vetusto immutatam esse sensim sine sensu: et sacerdotes omnes per omnes mundi plagas, ubicumque diffusa fuerit fides, dominos sibi et rectores præposuisse, contra prioris ætatis exempla.

(1) Cap. viii.
(2) Cap. vi.
(3) L. vi. Stromatum c. xiii.
(4) Hom. xi. in Jeremiam.
(5) Ep. lxvi.
(6) Tract. de Ecclesia. c. xv. prop. i. vol. i. p. 247.
(7) Consule Martenium de sacris ritibus t. ii. c. viii. Art. ix.
(8) Vide La perpétuité de la foi t. iii. p. 570.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

52. *Obj.* 1. Calvinus sic scribit: "Cæterum quod episcopos, et presbyteros, et pastores, et ministros promiscue vocavi qui Ecclesias regunt, id feci Scripturæ usu, quæ vocabula ista confundit, quicumque enim verbi ministerio funguntur, iis titulum episcoporum tribuit. Sic apud Paulum, ubi jussus est Titus constituere presbyteros oppidatim, continuo subjicitur (Tit. i. 5.) 'Oportet enim episcopum esse inculpabilem,' etc. Sic alibi plures in una Ecclesia episcopos salutat (Phil. i. 1.) Et in Actis refertur convocasse presbyteros Ephesinos, quos ipse episcopos sua oratione nominat. (Act. 20. 17.)"[1]

Resp. Non imus inficias episcopos in novo Testamento vocari etiam presbyteros, pastores, et ministros Christi, nam et Apostoli sic nuncupantur. Præterea in Ecclesiæ primordiis plerique ab Apostolis electi constituti sunt episcopi, ut possent præsto esse ad omnia munia sacra obeunda, et Ecclesiarum quæ in dies fundabantur regimini præfici, plena instructi auctoritate. Hinc plures in eadem urbe simul versatos esse mirum non est, quamvis nil probet omnibus pariter ejus curam commissam. E contra Jacobus Hierosolymorum episcopus fuisse singularis a vetustissimis scriptoribus traditur; et Titus, et Timotheus, singularibus Ecclesiis præfecti noscuntur, aliorum quos creabant episcoporum cura illis concredita. Veri nominis episcopos oppidatim constituendos a Tito indicat Paulus; quos presbyteros primum vocat, vocabulo dignitatem designante, quod posterior usus ad sacerdotes secundi ordinis denotandos definivit. Episcopos etiam veros intelligimus eos quos eo nomine salutat Paulus ad Philippenses scribens, quos tamen pari auctoritate eam rexisse Ecclesiam nil probat; satis enim intelligitur ex iis quæ diximus cur plures simul in eadem urbe aliquando versarentur. Episcopi erant qui Epheso, Paulo vocante, Miletum venerant, pastorali regimine præditi. Nil probat nomen illud omnibus tributum, qui verbi ministerio fungebantur, quum proprium videatur semper fuisse eorum qui præfectura et regimine gauderent.[2] Cæterum si quis cum S. Joanne Chrysostomo censeat episcopi et presbyteri voces absque discrimine initio usurpatas, non ideo qui nunc episcopi designantur a presbyteris haud differre censendi sunt, quum vocum distinctio, quæ saltem paulo post servata est, munerum discrimine, quod ab initio viguit, nitatur.

52. *Obj.* 2. S. Clemens Romanus de Apostolis dicit: "Prædicantes [illegible] regiones et urbes, primitias earum, spiritu cum probassent, in ep[illegible] et di[illegible]orum [illegible]ui crediturí erant constituerunt."[3] Sic et

(1) In[illegible] c. iii. n. 8.

(2) [illegible]phanius hær. lxxv. c. v. Vide plura tract. de [illegible]v. [illegible] p. 247.

(3) 1. Ep. c. xl[illegible] 4.

alii vetustissimi patres duos hos ordines tantum commemorant. Presbyteri igitur episcoporum nomine veniunt.

Resp. Id optime consonat his quæ, post Petavium, diximus de plerisque ab Apostolis constitutis episcopis; quibus etiam dabant, uti adnotat S. Epiphanius, diaconum ad sacrorum munerum decorem. Penes episcopos autem erat presbyteros, pro Ecclesiarum necessitate, ordinare. Profectò Clemens ipse jam trium graduum distinctionem tradiderat, ad legem Domini eam referens: "nam qui sequuntur leges Domini, non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua munia tributa."[1]

54. *Obj.* 3. Qui cæteris præerant in Ecclesia veteri nonnisi primi inter pares habebantur, ideoque decreta, haud illorum, sed Ecclesiæ nomine edebantur. Sic epistola a Clemente Romano ad Corinthios scripta, incipit: "Ecclesia Dei quæ incolit Romam, Ecclesiæ Dei quæ incolit Corinthum."

Resp. Episcopi auctoritate gaudebant maxima in ipsis Ecclesiæ primordiis, uti liquet ex Ignatii epistolis quæ nihil absque episcopo fieri jubent. Quod autem Clemens Ecclesiæ Romanæ nomine scripserit insigni est modestiæ et sapientiæ argumento, quippe haud sua tantum placita, sed quæ omnibus probata fuerint se enuntiare innuit, ad animos Corinthiorum conciliandos.

55. *Obj.* 4. Justinus presbyterum cœtui cuilibet fidelium in mysteriorum celebratione præsidentem vocat τῷ προεςῶτι;[2] quem Tertullianus pariter designat: "præsident probati quique seniores:"[3]—"nec de aliorum manu quam præsidentium eucharistiam sumimus."[4]

Resp. Vocibus illis rite designantur sacri ministri, etiam regimine haud fungentes, nec opus fuit Justino vel Tertulliano in christianis vindiciis ethnicos alloquentibus. singulos gradus enucleatius explicare. Cæterum quantum distet præsidens cœtui singulari ab episcopo ex Tertulliano novimus, qui presbytero haud licere baptismum ministrare, nisi ex venia episcopi alias dicit, eum vocans summum sacerdotem.[5]

56. *Obj.* 5. S. Irenæus ad Victorem episcopum Romanum scribens, decessores ejus vocat presbyteros: "Qui ante Soterem, Ecclesiæ, cui nunc præes, præpositi fuere presbyteri, Anicetum dicimus et Pium."[6]

Resp. Presbyteri vere dici poterant episcopi Romani ab Irenæo, sicut etiam sequiori ætate sacerdotis nomen sæpe episcopis tribuitur; quia revera episcopus est sacerdos, altioris tamen gradus. Cæterum quum Anicetus, Pius, cæterique Victoris decessores, pre[illegible]ri vocentur, [illegible]

(1) I. Ep. c. xl. 5.
(2) Apol. i. n. 65. [illegible]
(3) Ap[illegible]
(4) L. de corona militis.
(5) L. de bapt. quem plus semel la[illegible] de Eccl. [illegible]xv. vol. i. p. 249.
(6) Ap[illegible] Eccl. l. v. c. xxiv.

unice præpositi—οἱ προϊάντες τῆς ἐκκλησίας ἧς νῦν αφηγῦ—liquet eos a cæteris, quos regebant, presbyteris distingui. Eorum seriem idcirco texuit Irenæus, veluti singulari auctoritate Petro et Paulo, qui Ecclesiam Romanum fundarunt, succedentes.

57. *Obj.* 6. Hieronymus episcopos a presbyteris nil differre dicit: "Idem est ergo presbyter qui et episcopus." . . . Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores."[1]

Resp. Hieronymi sententiam alias investigavimus.[2] Unum aut alterum ejus testimonium hic referre sat erit, in quo episcopos esse presbyteris superiores palam prædicat. Adversus Joannem Hierosolymitanum scribens, eum dicit naufragum in portu, eo quod tollat discrimen episcopum inter et presbyterum: "Nihil interest, scribit, inter presbyterum et episcopum; eadem dignitas mittentis, et missi: hoc satis imperite: in portu, ut dicitur, naufragium."[3] Imo non dubitat dicere: "Apud nos Apostolorum locum, episcopi tenent."[4] Et alias: "Absit ut de his quidquam sinistri loquar qui Apostolico gradui succedentes . . . . claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant."[5]

(1) Comm. in Tit. c. i. 5.
(2) Tract. de Ecclesia, c. xv. vol, i. p. 254.
(3) Lib. adv. Joannem Hierosolym.
(4) Ep. xli. ad Marcellam.
(5) Ep. v. alias i.

CAPUT IV.

DE DIACONATU.

58. Diaconos inter sacros ministros recensent Anglicani, et eorum munia describunt, sacerdoti scilicet in publico cultu et in distribuenda eucharistia opem ferre, scripturas et homilias in Ecclesia legere, fidei rudimenta pueris tradere, et, si sacerdos absit, infantes baptizare, prædicare etiam, facultate tamen ab episcopo impetrata. Insuper, ita provisum si fuerit, in pauperum necessitates inquirere, ut eis subveniatur.[1] Methodistæ episcopales similia tradunt.[2] De diaconis quos vocant viatores, scilicet circumcursantes, dicunt eorum esse baptizare, celebrare matrimonia, absente seniore, et omnia quæ præconis evangelici sunt obire.[3] Presbyteriani dicunt Scripturas manifestò diaconos ostendere esse Ecclesiæ officiales, quorum munus est pauperum gerere curam, et eleemosynas, quæ in eorum levamen collectæ fuerint, distribuere. Addunt rerum temporalium Ecclesiæ iis posse committi.[4] Baptistæ temporalium rerum Ecclesiæ curam præcipuum diaconorum munus videntur habere; quod tamen imprimis exercendum est, comparando quæ ad mensam Dominicam requiruntur, ministri mensa haud neglecta. Iis idcirco curandum est ut omnes subsidia in rem communem Ecclesiæ conferant, et in pauperum levamen.[5] Apud Catholicos sacrum omnino est munus, quod obit diaconus, sacerdoti inter Missæ solemnia adstans, baptizans solemniter, necessitate urgente, et prædicans ex episcopi licentia.

PROPOSITIO.

Diaconatus est sacer ordo.

Probatur I. ex Scripturis.

59. Diaconatum sacrum esse ordinem ex Scripturis liquet, ex quibus etiam eum Sacramenti habere rationem colligitur. Eos electos esse primitus et constitutos occasione murmuris de neglectis in eleemosynarum

(1) Ordering of Deacons.

(2) Ordination of Deacons.

(3) Doctrine and Discipline of the Methodist Episcopal Church, Section vii. of the election and ordination of travelling Deacons.

(4) Form of Government, ch. vi. of Deacons.

(5) "They are to be intrusted with the stock of the church, out of which stock, they are to assist the poor members of the church, and to provide bread and wine for the Lord's table, and also to have regard to the minister's table."

distributione viduis Judæorum Hellenistarum ad fidem conversorum, constat: attamen ex dotibus quas in iis exigebant Apostoli, et ex solemni ritu quo ordinati sunt, sicut et ex muneribus sacris quibus functos eos esse refert sacer scriptor, liquet præcipua eorum munia sacra esse. Apostoli fidelibus facta facultate eos eligendi, ut omnis occasio murmuris tolleretur, dixerunt; "Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus."[1] Prudentia et morum integritas recte postularentur in hominibus ad eleemosynas distribuendas tantum electis; sed Spiritus Sancti plenitudo sacris muneribus obeundis eos idoneos effecit. Oratio et manuum impositio in iis ordinandis adhibitæ sunt, qua ratione Paulus et Barnabas episcopalem characterem susceperunt: "Orantes imposuerunt eis manus."[2] Sacer igitur ritus ad gratiam cum potestate sacra iis impertiendam adhibitus est. Eos prædicationi vacasse liquet, Deo eorum ministerium prodigiis confirmante. De Stephano diacono dicitur: "plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia, et signa magna in populo. . . . Et non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui qui loquebatur."[3] "Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa magna quæ faciebat.—Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres."[4] His accedunt quæ Paulus de diaconorum dotibus tradit, eos cum episcopis recensens, haud absimiles exigens virtutes.

Probatur II. traditione.

60. Patrum concors omnino est traditio de sacris diaconorum muneribus. "Oportet diaconos," inquit S. Ignatius Martyr, "mysteriorum Christi ministros, per omnia placere, nec enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores."[5] S. Cyprianus de electione septem diaconorum loquens, animadvertit: "Quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet."[6] Veteres secutus scripsit Venerabilis Beda: "Placuit eosdem ipsos altaris quoque sacri ac Dominici sanguinis, sicut et refectionis, mensæque communis, multitudinis credentium ministros ordinari: quod probatum est verbo, quo dictum est: 'Et orantes imposuerunt eis manus.'"[7] Patrum cæterorum et conciliorum referre testimonia supervacaneum duximus, quum sint immunera.

(1) Act. vi. 3.
(2) Ibidem 6.
(3) Ibidem 8. 10.
(4) Act. viii. 5. 6. 12.
(5) Ep. ad Trallianos.
(6) Ep. lxviii. ad Clerum et plebem Hispaniæ.
(7) Retract. Comm. in Act. Apost.

Accedunt Ritualia antiquissima quæ ritus sacros et solemnes in diaconorum ordinatione adhibendos statuunt.[1]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

61. *Obj.* 1. "Tametsi nomen ipsum διακονίας latius patet, hoc specialiter tamen diaconos scriptura nuncupat, quos eleemosynis dispensandis gerendæque pauperum curæ præficit Ecclesia, et velut publici pauperum ærarii œconomos constituit: quorum origo, institutio ac functio a Luca in Actis (6. 3) describitur."[2] Ita Calvinus.

Resp. Occasio diaconorum primum instituendorum a fine præcipuo ministerii distinguenda est. Murmurantibus Hellenistis Apostoli ceperunt consilium diaconos tunc ordinandi, quod tamen Christo auctore eos fecisse existimandum est, nam et dotes eximias exegerunt, et ritum adhibuerunt solemnem, qui ministerium divinum ostendit. Lucas equidem narrat objecto loco occasionem, sed et dotes et ritum recenset; et pergit referre quæ obierunt diaconi sacra munia, adeo ut quam habuerunt pauperum curam non possit præcipuum eorum officium censeri.

62. *Obj.* 2. Totum munus diaconorum primorum oblivioni datum est a pontificiis: "diaconos suos ad eam rem *(bonorum ecclesiasticorum distributionem)* minime jam creant: nihil enim aliud ipsis injungunt, nisi ut ministrent ad altare, Evangelium recitent aut canant, et nescio quas agant nugas. Nihil de eleemosynis, nihil de cura pauperum, nihil de tota illa functione, quam olim gerebant."[3] Ita Calvinus.

Resp. Ex Scripturis liquet præcipua diaconorum munera fuisse sacra, quod antiquitas omnis christiana manifestò confirmat, uti fassi sunt doctissimi scriptores Protestantici, Grotius, Beveregius, Pearsonius. Equidem Ambrosius Laurentium diaconum Sixtum pontificem appellantem exhibet: "Quo progrederis sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit pater? Num degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas."[4] Quæ igitur præcipua munera adhuc adsignantur diaconis, antiquitatis nituntur exemplo: mirum autem non est, si rerum adjunctis mutatis, illa eis plerumque non concredatur bonorum ecclesiasticorum administratio, quæ olim est concessa.

63. *Obj.* 3. Etiam Hieronymi ætate diaconus nonnisi mensarum minister habebatur, ait enim: "Quis patiatur ut mensarum et viduarum minister

(1) Vide apud Martenium t. ii. l. i. c. viii.
(2) Inst. l. iv. c. iii. n. 9.
(3) Inst. l. iv. c. v. n. 15.
(4) De officiis l. i. c. xli.

supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur ?"[1]

Resp. Hieronymus ut reprimat fastum quorumdam diaconorum, occasionem instituti muneris memorat. Cæterum sacra eorum munera agnoscit, ait enim : " Quod Aaron et filii ejus atque levitæ fuerunt, hoc sibi episcopi, et presbyteri, et diaconi vindicent in Ecclesia."[2] Et cœlibatum adversus Jovinianum vindicans ait: " Non mihi irascantur, sed Scripturis sanctis, imo episcopis, presbyteris, diaconis, et universo choro sacerdotali et Levitico, qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali."[3]

ANIMADVERSIO.

64. Quamvis de fide non sit diaconatum esse sacramentum, id tamen magno consensu tradunt theologi, Durandi et Cajetani contraria sententia rejecta. Equidem quum ritu sacro tradatur, et quidem haud absimili ei quo sacerdotium et episcopatus conferuntur, et ad munera sacra obeunda det facultatem, videtur omnia habere quæ sacramentum constituunt: nec enim gratiæ donum deesse putandum est. Episcopus diaconum ordinans dicit: " Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus in nomine Domini." Definierunt patres Tridentini hæc verba in ordinatione haud frustra proferri,[4] quod gratiam Spiritus Sancti dari suadet quolibet ordinationis ritu, in quo proferuntur. Divina autem institutio jure optimo infertur ex ipsa Apostolorum agendi ratione ; nec enim proprio arbitrio tanta cum solemnitate manus imposuisse diaconis, et novum statuisse ministrorum ordinem censendi sunt. Scripsit quidem S. Cyprianus : " Meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos, id est episcopos et præpositos Dominus elegit, diaconos autem post ascensionem Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt, episcopatus sui et Ecclesiæ ministros."[5] Sed hæc facile intelliguntur de prima diaconorum ordinatione, quæ tamen nonnisi Christi auctoritate facta credenda est. Hinc concilium Tridentinum definivit : " Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris ; anathema sit."[6]

(1) Ep. lxxxv. ad Evagrium.
(2) Ibidem.
(3) Apologia adversus Jovinianum.
(4) Sess. xxiii. can. iv.
(5) Ep. lxv. ad Rogatianum episc.
(6) Sess. xxiii. can. vi.

CAPUT V.

DE SUBDIACONATU ET MINORIBUS ORDINIBUS.

65. Subdiaconatus majoris ordinis apud Latinos jam habet dignitatem, ex undecimo, vel saltem decimo tertio sæculo : ex quo scilicet licuit subdiaconum in episcopum eligere. Decrevit Urbanus II. in concilio Beneventano, anno 1091 ; " Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos quidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse : super his solum præceptum habemus Apostoli. Subdiaconus verò, qui et ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus, sed rarissime, si tamen spectatæ sint religionis et scientiæ."[1] Innocentius III. liberam fecit facultatem e subdiaconis eligendi episcopum, " cum hodie" (*decimo tertio ineunte sæculo*) " subdiaconatus inter sacros ordines computetur."[2] Apud Græcos minoribus ordinibus adhuc accensetur.

66. *Minores ordines*, apud Latinos, quatuor numerantur, scilicet munera Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii. *Acolythus* luminaria Ecclesiæ accendit, et vinum et aquam ministrat in sacrificium, nomine, ἀκόλουθος *pedissequum* vel *comitem* designante, eo quod in supplicationibus et in missæ solemniis sacros ministros comitetur, manibus luminaria ferens. *Exorcista* nomen ab officio desumit, ejus quippe est exorcismos recitare super energumenos, ut dæmone liberentur. Cæterum munus nonnisi a sacerdotibus hodie exercetur, et magna adhibita cautela ne quis dæmonis assultus temere suspicetur, ubi naturalis suppetat causa. *Lectoris* est sacras Scripturas in Ecclesia legere. *Ostiario* januæ Ecclesiæ custodia committitur, ut profanos prohibeat ingressu ; fidelibus liberam ingrediendi faciat facultatem.

67. Quantæ sint antiquitatis ordines illi, liquet ex epistola Cornelii pontificis ad Fabium Antiochenum, medio tertio sæculo, in qua de Novatiano, pseudo-papa, dicit : " Ille Evangelii vindex ignorabat unum episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica, in qua tamen sciebat, presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta ; septem autem diaconos, totidemque subdiaconos ; acolythos duos et quadraginta ; exorcistas et lectores

(1) Conc. Benev. can. i.
(2) Extra. de ætate et qualitate ord. præfic. cap. ix.

cum ostiariis, quinquaginta duos."[1] Cantores Psalmis canendis destinati et Fossarii, quibus cura sepeliendi mortuos incumbebat, apud veteres etiam commemorantur, sed ordinem non constituebant.

68. Græci subdiaconatum et lectoratum minores æstimant ordines, quibus officia quædam accedunt nominibus propriis distincta. Iidem fere sunt sectarum omnium Orientalium mores. Psaltem subdiacono et Lectori addunt Chaldæi.[2]

69. Ex ea quæ viget varietate inter Occidentales et Orientales de minorum ordinum numero et muneribus, plurimi inferunt ea esse tantum officia, ab Ecclesiæ præsulibus instituta, et ad sacramentorum dignitatem, deficiente divina institutione, haud pertingere.[3] Aliis adversa arridet sententia. Id tamen exploratum est ea esse antiquissima, imo non dubitarunt Tridentini patres in doctrinæ explicatione affirmare ea ab initio Ecclesiæ viguisse: "ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris, et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu."[4] Definierunt etiam: "Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; anathema sit."[5] Non ideo tamen de fide tenendum est minores quos recensuerunt ordines divinitus esse institutos, nam id definitum non est, sed esse in Ecclesia Catholica minores ordines, quod quidem certissimum et notissimum est.

70. *Tonsuræ* cæremonia est ecclesiastica, qua tondentur capilli ad instar coronæ, dum quis e laicorum numero in clerum cooptatur. De ejus origine docti homines disceptant, recentioribus pluribus opinantibus monachos capillos præcidisse in pœnitentiæ indicium, et clericos, sæculo forsan sexto, eos imitatos ut mundi contemptum significarent. Cæterum Martenius longe antea eam adhibitam censet, nam Gregorius Turonensis, qui eo floruit sæculo, ejus originem ad S. Petrum retulit, quod eam jam ab antiquis temporibus servatam ostendit.[6] Non admodum a priori sententia abhorret Calvinus: "Unde originem habuerit clericorum tonsura, abunde vel ex uno Augustino constat. (cf. de opere monach. in fin. atqu. Retract.) Quum illo sæculo capillum non alerent nisi delicati, et qui nitorem elegantiamque non satis virilem affectabant, videbatur esse non boni exempli, si clericis id permitteretur. Jubebantur ergo clerici vel tondere

(1) Apud Eusebium hist. Eccl. l. vi. c. xliii.

(2) Euoplia p. 222.

(3) Vide Drouenium de re sacramentaria, l. viii. c. iii.

(4) Sess. xxiii. Cap. ii.

(5) Ibidem can. ii.

(6) De antiquis Ecclesiæ ritibus t. ii. l. i. c. viii. art. vii. citans Gregor. Turon. l. i. de gloria martyr. c. xxvii.

caput, vel radere, ne quam effeminati cultus speciem præ se ferrent."[1] Qui tonsura initiantur clericorum gaudent privilegiis, quæ *fori*, *canonisque* dicuntur. *Foro* civili eximebantur in regnis Catholicis clerici, eorum causis ad ecclesiasticum tribunal deferendis, cujus privilegii jam plerisque in locis vix superest vestigium. *Canone* eorum personæ sacræ habebantur, anathemate lato in eos qui violentas illis injicerent manus.

(1) Inst. l. iv. c. xix. n. 27.

CAPUT VI.

DE ORDINUM MATERIA ET FORMA.

71. Ritus quo ordinatio conficitur *materia* dicitur; verba verò quæ ea occasione proferuntur *forma* sunt. Inter theologos disceptatur quæ sit materia essentialis sacerdotii, nonnulli enim solam manuum impositionem putant requiri; alii instrumentorum traditionem, patenæ scilicet et calicis, sufficere censent; alii utramque necessariam habent. Scripturæ solam manuum impositionem memorant, quæ a Græcis tantum adhibetur, et a Latinis olim, omissa instrumentorum traditione, adhibita noscitur. Igitur ea nobis verior videtur sententia, quæ instrumentorum traditionem adjectam tradit, potestatem ordinis explicandi causa, ideoque ex lege jam requiri, quamvis sacramenti valor inde non pendeat. Quum manus bis imponantur, semel quidem ab episcopo, et presbyteris adstantibus, nulla voce prolata, iterum ab episcopo solo post communionem, dum dicit: "Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt;" et quum fiat manuum extensio, episcopo et presbyteris manus dexteras extensas tenentibus, dum episcopus fundit orationem post primam manuum impositionem; quæritur quæ manuum impositio potestatem sacerdotii conferat. Nobis videtur prima manuum impositio cum extensione et prece quæ sequuntur totam essentiam constituere; nam ritus ille integer moraliter unica manuum impositio videtur, et satis definitus est ex adjunctis, ut sacerdotii potestatem indicet et conferat. Quod autem in Pontificali Romano vocentur deinceps ordinandi, ordinatorum nomine haud dato, nisi post tradita instrumenta, contigisse videtur, quod instrumentorum traditione adjecta ad sacerdotii munus præcipuum explicandum, ad integritatem ritus requiratur, et ideo effectus impositionis manuum suspensus quodammodo habeatur, donec reipsa tradantur. Re tamen vera potestatem sacerdotii illa manuum impositione communicari ex concilio Carthaginensi IV. colligimus, quæ eam injungit, nulla traditionis instrumentorum facta mentione: "Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput ejus teneant."[1] Idem habetur in libro sacramentali

(1) Cap. iii.

S. Gregorii. Cæterum Oxoniensibus minime assentimur, qui dicunt sola manuum impositione, absque ullis verbis, conferri sacerdotii potestatem :[1] necesse est enim ut ritus ille verbis determinetur ad sacerdotii munus designandum et conferendum, quod semper fieri consuevisse in Eccclesia ipsi fatentur.

72. Episcopatum et diaconatum sola manuum impositione tradi, ex Scriptura et veteri Ecclesiæ consuetudine colligimus. Subdiaconatum verò et minores ordines censemus iis tradi ritibus quos Ecclesia pro temporum et locorum diversitate statuerit, ad officii auctoritatem designandam : iis quippe assentimur qui ea officia ab Ecclesiæ præsulibus instituta ad cultus decorem existimant.

73. *Forma* sacerdotii, nostra sententia, est oratio illa, quæ primam manuum impositionem et extensionem sequitur, putamus enim eam satis cum actibus illis conjungi ut eorum determinet effectum, præsertim quum episcopi invitatio ad orandum fiat, dexteris adhuc extensis super ordinandos. Verba igitur formæ nobis videntur illa: "Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos benedictionem Sancti Spiritus, et gratiæ sacerdotalis infunde virtutem;" etc. Quæ dicuntur verba dum ultima vice manus imponit episcopus, potestatem remissionis peccatorum explicant, quam tamen sacerdotio, prout a Christo est constitutum, inesse credimus; et proinde ritum illum ex Ecclesiæ lege adhibitum ad essentiam non pertinere putamus, nam nec olim servatus est.

74. Episcopatus formam censet Martenius esse prolixam illam orationem, instar præfationis, quam episcopus post manuum impositionem profert, quippe quæ sola antiquitus usurpata noscitur: Aliis forma est: "Accipe Spiritum Sanctum;" quæ verba proferunt episcopus consecrator, et assistentes duo episcopi, dum ambabus manibus caput consecrandi tangunt. Dicuntur quidem aliis in occasionibus, sicuti in ordinatione sacerdotis mox vidimus, et in diaconi ordinatione; sed quæ adjiciuntur verba definiunt eorum vim ad effectus speciales designandos, quum simpliciter dicta Spiritus Sancti plenitudinem communicari indicent.

75. Diaconatus forma juxta plurimos est: "Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus in nomine Domini. Amen." Cæterum Martenius contendit eam non esse quadringentis annis multo antiquiorem;[2] et precem quæ ad instar præfationis est, totam formam constituere, in ea quippe dicit episcopus: "Emitte in eos quæsumus Spiritum Sanctum," qua occasione olim imponebat manus.

76. Subdiaconatus forma verbis quæ instrumentorum traditionem comitantur constat: traduntur scilicet ei calix vacuus et patena vacua, prout

(1) "I know the grace of ordination is contained in the laying on of hands, not in any form of words." Tract. 1.

(2) De antiquis Ecclesiæ ritibus l. 1. c. viii. Art. ix.

in concilio Carthaginensi IV. anno 398, jubetur,[1] episcopo verba simul proferente, quorum tamen in illo concilio nulla fit mentio.

77. Singulorum minorum ordinum forma in verbis pariter quæ instrumentorum porrectionem comitantur, constituitur. Exorcistæ, Lectori, Ostiario ipsa quæ dicuntur verba ex concilio prælaudato desumpta sunt,[2] quod et ea quæ Acolytho dicuntur indicat.

Quæ de ordinum omnium materia et forma diximus, intelligenda sunt salva auctoritate Eugeniani decreti pro Armenis ; quod plerique theologi intelligunt eas haud definire, sed mores Ecclesiæ Romanæ Armenis preponere imitandos, communi quæ in scholis tunc recipiebatur sententia adhibita.

(1) Can. v.
(2) Can. vii. viii. ix.

CAPUT VII.

DE ELECTIONE MINISTRORUM.

78. Melanchton Ecclesiæ, cœtui scilicet cuicumque profitentium Evangelium, juxta novatorum placita, jus tribuit suos eligendi ministros, et eis omnem conferendi ad sacra munera obeunda auctoritatem : " Ubicumque est Ecclesia, ibi est jus administrandi Evangelii. Quare necesse est Ecclesiam retinere jus vocandi, eligendi, et ordinandi ministros. Et hoc jus est donum proprie datum Ecclesiæ, quod nulla humana auctoritas Ecclesiæ eripere potest."[1] Calvinus contendit fideles elegisse ministros suis suffragiis etiam Apostolorum ætate : " refert enim Lucas (Act. 14. 23.) constitutos esse per ecclesias presbyteros a Paulo et Barnaba : sed rationem vel modum simul notat, quum dicit factum id esse suffragiis : χειροτονήσαντες, inquit, πρεσβυτέρους κατ' εκκλησίαν. Creabant ergo ipsi duo : sed tota multitudo, ut mos Græcorum in electionibus erat, manibus sublatis declarabat quem habere vellet. Nempe sic Romani historici non raro loquuntur, consulem, qui comitia habuerit, creasse novos magistratus, non aliam ob causam, nisi quia suffragia receperit, et populum moderatus sit in eligendo."[2]

79. Sectarii fere omnes Calviniana de electione ministrorum propugnant placita, præsertim in his provinciis, ut reipublicæ formam etiam in rebus sacris exhibeant. Qui apud Presbyterianos seniores regimine fungentes dicuntur, populi prædicantur delegati, pastorum in regimine consortes.[3] Eliguntur idcirco a cœtibus quibus præficiendi sunt, qua ratione et diaconi suum sortiuntur honorem. Candidati sacri ministerii licentiam prædicandi a presbyterio, cœtus scilicet cujuslibet rectoribus, accipiunt, præmisso examine, sed nullo ordinationis ritu peracto ;[4] et ad tempus suscipiuntur, tyrocinium veluti ponentes. Licentiam revocat presbyterium, si licentiatus,

(1) De potestate et primatu Papæ, apud Walchium Introd. l. i. c. v. §. xvi. p. 521.

(2) Inst. l. iv. c. iii. n. 15.

(3) " Ruling elders are properly the representatives of the people, chosen by them for the purpose of exercising government and discipline, in conjunction with pastors or ministers." Form of Government ch. v.

(4) " Presbyteries shall license probationers to preach the Gospel, that after a competent trial of their talents, and receiving from the churches a good report, they may in due time ordain them to the sacred office." Ibidem ch. xiv. n. i.

postquam per tempus satis diuturnum prædicationi vacaverit, haud profuturus ecclesiis videtur.[1] Quod si bene ei successerit prædicanti, et populus ad eum in pastorem eligendum pronus sit, cœtus convocatur, ut suffragiis majoris numeri probatus, ordinatio ejus decernatur.[2] Baptistæ dicunt rationem a Christo statutam qua qui a Sancto Spiritu ad munus episcopi idoneus fit, ad ejus exercitium vocetur, esse communia ecclesiæ ipsius suffragia.[3] Methodistæ episcopales dicunt episcopum eligendum esse a cœtu generali, quem *Collationem Generalem* vocant.[4]

80. Apud Catholicos res est explorata omnem in Ecclesia potestatem a Christo derivari, qui Petro et Apostolis quam a Patre acceperat potestatem communicavit, a quibus proinde in cæteros omnes sacros ministros derivatur. Error igitur est prorsus contrarius fidei Catholicæ, sacram potestatem penes cœtum fidelium esse, ab eo in electos a se ministros derivandam. Cæterum ipsa designandi ministros ratio ad disciplinam referenda est, quam præsules Ecclesiæ pro data sibi a Domini potestate moderantur; ideoque quæ, ipsis sancientibus, obtinuerit qualibet ætate, probanda est, utpote e legitima auctoritate profecta.

PROPOSITIO.

Jus eligendi sacros ministros divina ordinatione penes populum fidelem non est; sed penes Ecclesiæ rectores, præsertim summum Pontificem.

Probatur I. ex Scripturis.

81. Christus Apostolos ad sacrum ministerium vocavit, eosque monuit totam quam exercere debent auctoritatem ab ipso derivari: "Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat."[5] Eos instar sui mittit: "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos."[6] "Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos. . . . . Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi."[7] Missio igitur

(1) Form of Government, n. xi.

(2) "When any probationer shall have preached so much to the satisfaction of any congregation, as that the people appear prepared to elect a pastor, the session shall take measures to convene them for this purpose.' Ibidem ch. xv. n. i.

(3) "The way appointed by Christ for the calling of any person, fitted and gifted by the Holy Spirit, unto the office of bishop, or elder, in a church, is that he be chosen thereunto by the common suffrage of the church itself." Baptist Confession of faith, ch. xxvii.

(4) "The General Conference shall elect a bishop." The doctrines and discipline of the Methodist Episcopal Church, Section iv.

(5) Joan xv. 16.

(6) Ibidem xx. 21.

(7) Mat. xxviii. 18.

divina, et docendi jus a Christo in Apostolos derivatum et penes eos constitutum est, a quibus proinde in cæteros profluat necesse est. Petro autem præsertim, clavium regni imagine adhibita, summa potestas omnium quæ ad regni administrationem pertinent; et ideo constituendi magistratus sacros et ministros, tradita est. Pascere etiam agnos et oves jussit illi Christus, et eum ovilis totius pastorem constituit. Illius est igitur curare ut præbeantur omnibus salutis pascua, inferioribus pastoribus constitutis.

82. Spiritu Sancto jubente Paulus et Barnabas impositione manuum sacra potestate aucti sunt; qui et ipsi singulari auctoritate constituerunt "per singulas Ecclesias presbyteros."[1] Timotheum edocuit Paulus de dotibus sacrorum ministrorum, penes ipsum totum judicium ponens: "Manus citò nemini posueris."[2] "Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere."[3] Titum a se relictum Cretæ dicit, ut sua auctoritate constitueret presbyteros: "Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per singulas civitates presbyteros."[4]

Probatur II. ex vetustissima consuetudine.

83. Qui primi constituti sunt episcopi et presbyteri in varias gentes missi ad Evangelium prædicandum, suam missionem, auctoritatem et potestatem ab Ecclesiæ præsulibus qui eos designarunt et consecrarunt, acceperunt, absque ulla populi electione. Sic de missis a Petri sede constat, Innocentio I. testante: "cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque adjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes."[5] Sic Patritius in Hiberniam, Augustinus in Angliam, Bonifacius in Germaniam missi sunt, pontificum Romanorum auctoritate.

84. Constat etiam qualibet ætate sacros ministros constitutos a præsulibus absque ulla electione plebis, etiam dum disciplina plerumque fidelibus aliquas permitteret partes in iis designandis. Sic Cyprianus Aurelium a se ordinatum, Celerinum quoque et alios clero populoque inconsulto, refert: "In ordinationibus clericorum, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare: sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia. Aurelius, frater noster, illustris adolescens, a Domino jam probatus, et a Deo vocatus est, in annis adhuc novellus, sed in virtutis ac fidei laude provectus. . . . Hunc igitur, fratres dilectissimi, a me et a collegis, qui

(1) Act. xiv. 22.
(2) I. Tim. v. 22.
(3) II. Tim. ii. 2.
(4) Tit. i. 5.
(5) Ep. xxv. ad Decentium, Eugubinum.

præsentes aderant, ordinatum sciatis; quod vos scio et libenter amplecti, et optare tales in Ecclesia nostra quamplurimos ordinari."[1]

85. Cælestinus I. de electionibus ministrorum agens, dicit: "Docendus est populus, non sequendus; nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus."[2]

Probatur III. conciliorum auctoritate.

86. Concilium Laodicenum, quarto sæculo habitum, decrevit: "Non est permittendum turbis electionem eorum facere qui sunt ad sacerdotium promovendi."—*μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίσθαι εἰς ἱερατεῖον.*[3]

Concilium Romanum sub Martino Papa, decrevit pariter: "Non licet populo electionem eorum qui ad sacerdotium promoventur, sed in judicio episcoporum sit."[4]

Concilium Nicænum II. statuit: "omnem electionem, quæ fit a magistratibus, episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, irritam manere. Oportet eum qui est promovendus ad episcopatum ab episcopis eligi."[5]

Concilium IV. Constantinopolitanum, quod est VIII. Generale, decrevit: "Sancta et universalis synodus definit, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ, vel metropolitani, vel cujuslibet episcopi, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemlibet potentium vel cæterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere sibi, usquequo regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis."[6]

Probatur III. ratione theologica.

87. Quum omnis sacra potestas a Deo derivetur, nec enim populus in sacra jus aliquod habet, ministrorum per quos exercenda sit designatio a divina voluntate omnino repetenda est. Nihil autem probat Deum populo fideli jus electionis contulisse. Ergo credendum est ministros designandi jus penes eos manere, quibus ipsa sacra potestas concessa est, Apostolos scilicet et eorum successores.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

88. *Obj.* 1. Petrus multitudini fidelium, fere centum viginti hominibus constanti, proposuit electionem alicujus in locum Judæ sufficiendi, Apostolico proinde augendum munere. Illi autem statuerunt duos, quorum unus divino judicio, sortibus datis, comprobatus est. Ergo ab ipsis Ecclesiæ exordiis eligendi jus penes populum esse in confesso erat.

(1) Ep. ccxiii. alias xxxiii.
(2) Ep. v. ad episcopos Apul. et Calabr.
(3) Can. xiii. apud Harduin. t. 1. col. 784.
(4) Cit. apud Martinum Bracarensem c. 1. Decr.
(5) Can. iii.
(6) Can. xxviii.

Resp. Optime animadvertit S. Chrysostomus Petrum solum potuisse aliquem designare qui in Apostolorum collegium adscisceretur ; sed fidelibus fecisse facultatem aliquos proponendi, ne videretur alicui nimis favere : " An non licebat ipsi Petro eligere ? Licebat, et quidem maxime : verum id non fecit, ne cui videretur gratificari."[1] Cæterum statuit eum seligendum ex iis qui cum Apostolis versati erant totum illud temporis spatium quod a baptismate Joannis ad ascensiouem Christi effluxerat. Ea apposita conditione periculum pravæ electionis amovebatur, quum constans et fidelis discipulus tantum proponi posset. Præterea penes ipsum erat populi arbitrium confirmare, quod tamen Dei ipsius judicio, sortibus jactis, remisit. In tota illa re præclarum dedit exemplum animi moderationis, qua summam potestatem exercere oportuit ; sed nihil de jure suo remittit, qui aliis quasdam permittit partes, supremo judicio sibi reservato.

89. *Obj.* 2. Duodecim Apostoli convocarunt multitudinem discipulorum, ut diaconi eligerentur ; et iis reliquit liberam electionem : " Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem."[2] Eorum arbitrium etiam secuti sunt, nam electis imposuerunt manus.

Resp. Occasio diaconos instituendi fuit specialis, scilicet " murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum." Maxime idcirco opportunum erat electionem eorum quibus ministerium illud committendum foret, ipsis discipulis permittere, ut omnis murmurandi prætextus tolleretur. Cæterum non omiserunt Apostoli illos monere quales eligere oporteret, nempe " plenos Spiritu Sancto et sapientia." Quod autem electis imposuerint manus, indicio est eos tales visos fuisse ipsis Apostolis, quamvis Nicolaus deinceps a tanto sanctitatis fastigio delapsus esse a nonnullis censeatur.

90. *Obj.* 3. Paulus et Barnabas non dicuntur suo usi esse arbitrio in designandis presbyteris, sed innuitur eos plebis suffragia secutos esse : χειροτονήσαντες. Hujus vocis vis in novo Testamento patet ex II. Cor. viii, 19. ubi de discipulo dicitur χειροτονήθεις : " ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostræ."

Resp. De fidelibus suffragantibus nihil prorsus priore loco dicitur, vox enim, quæcumque sit ejus vis, ad Paulum et Barnabam refertur. Quum igitur inepte diceretur hos suffragiis suis constituisse presbyteros, cogimur eam de manuum impositione intelligere, quam Paulus ipse testatur a se in Timothei ordinatione adhibitam. Græcorum usus, qui eadem voce hanc designant, χειροτονια, manifesto huic interpretationi suffragatur. Quod autem ad alterum locum pertinet, si vox ad electionem seu designationem referatur, sensus ex adjunctis satis definitur, scilicet elegerunt eum fideles ut Paulo foret comes eleemosynas eorum nomine Hierosolymas ferenti, vel aliud suscipienti iter eorum causa. Sæpe contingit voces sensu ali-

(1) In Act. 1.
(2) Act. vi. 3.

quantò diverso sumi: quapropter mirum non est eam quæ usu profano electionem suffragiis significabat, nonnumquam eo sensu a sacris scriptoribus usurpari ; quam tamen ad impositionem manuum, qua sacra potestas conferebatur, alias traduci ex dictis apertissime constat.

90. *Obj.* 4. Cyprianus agnoscit populum divina lege habere potestatem eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi: "Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, et Deum metuens, a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur."[1]

Resp. Ex ipsa verborum serie patet Cyprianum populo testimonium de eligendorum meritis adscribere, potius quam ipsam electionem, quamvis eos eligendi habere potestatem dicat, eo quod testando, electionem veluti determinarent. Quod autem ipsi non eligerent, ex verbis illis: "plebe præsente:" colligitur. Divina, quam allegat, auctoritas ex exemplis Eleazari a Moyse coram populo designati, Matthiæ, et diaconorum, fidelibus proponentibus, ad sacra munera assumptorum, derivata est, quæ ad jus divinum adstruendum non valent: nec enim ipse aliud vult inferre quam coram plebe ministros sacros designandos, ut de meritis eorum constet. "Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est instrui et ostendi ordinationes sacerdotales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur."[2] Hæc ideo urget quia Basilides et Martialis, libellis idololatriæ commaculati, in episcopatum absque ulla electionis forma se ingesserant.

92. *Obj.* 5. Vetus fuit mos ut sacri ministri omnes a fidelibus eligerentur, cujus vestigia in ordinationis ritu plura occurrunt. Sic Episcopus clerum populumque de sacerdotii candidatis alloquitur: "Par eorum debet esse sententia quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus: . . . Sententia est expetenda multorum. Itaque, quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis." Ipsos ordinandos alloquens dicit: "filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit."[3]

Resp. Viguit aliquando disciplina, qua sacri ministri in publico cœtu eligebantur, populo testimonium de moribus ferente, et vota sua de eorum

(1) L. i. ep iv. alias lxvii.
(2) Ibidem.
(3) Pontificale Romanum, de ordinatione Presbyteri.

ordinatione enuntiante : sed præcipuæ partes erant episcoporum, qui fidelium suffragia sequi haud tenebantur, uti ex Cælestini verbis quæ recitavimus liquet. Nullum jus in designandis sacris ministris fidelibus unquam tributum constat, quamvis aliquando usurpatum ;[1] sed quasdam adsignatas partes ad notitiam morum comparandam, et ad animos conciliandos ; " quia de vita et conversatione præsentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis ; et necesse est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando." Ita Pontificale Romanum.

93. *Obj.* 6. Canones decernunt eum episcopum haud habendum qui a clero populoque non fuerit electus.

Resp. Vigentem qualibet ætate disciplinam canones servandam jubent, ideoque qui alia ratione fuerit ad episcopatum evectus, pro intruso habent, et illegitimo. Profecto populi partes in episcopis designandis ad testimonium de moribus præcipue referebantur, electione facta a clero, vel ab episcopis provinciæ, Metropolita eam confirmante. Id ex Cypriano habetur : " Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit."[2] S. Leo satis declarat plebis desiderii rationem haberi, sed electionem penes clerum esse : " Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum Metropolitani judicio consecrati." Judicium igitur Metropolitæ ad electionis firmitatem requirebatur.

94. *Obj.* 7. Saltem constat electionem ministrorum in publicis comitiis, plebe præsente, et testimonium ferente, juxta traditionem divinam et apostolicam observationem esse habendam. Ergo utrique repugnat ratio in Ecclesiam Romanam invecta.

Resp. Cyprianus latiori sensu eas voces adhibuit, ut ostenderet publicas ministrorum electiones exempla habere in Scripturis relata, Eleazari scilicet, Matthiæ, et diaconorum ; traditione divina illud, apostolica observatione hæc intelligens. Cæterum nullum præceptum divinum allegavit ; quod ex hujusmodi exemplis adstrui nequit. Illa ratio designandi ministros eas habet utilitates quas recensuit, sed et plurima graviaque incommoda secum ferre tristi noscitur experientia. Ob turbas sæpius concitatas cum plurimorum cæde oportuit eam deserere ; qua disciplinæ mutatione nihil juri divino, vel populi fidelis juribus derogatum est ; testimonia enim de meritis candidatorum adhuc excipiuntur a præsulibus, eorum nomini-

(1) Vide Chrys. l. iii. de Sacerdotio.
(2) Ep. lxvii.
(3) Ep. ad Rusticum Narbonens.

bus diebus aliquot ante ordinationem publice propositis. De præsulibus quidem eligendis id non fit, sed suo utuntur jure Ecclesiæ rectores in ratione statuenda quæ temporibus locisque variis videtur accommodata.

95. *Obj.* 8. In plerisque regnis catholicis episcopi a regibus nominantur, qui quum nullum speciale jus in sacris ministris designandis habeant, populi partibus hac in re fungi censendi sunt: ideo penes populum in republica designandi sacros ministros potestas manet.

Resp. Quascumque sustineant partes reges catholici in episcopis designandis, ex Pontificum concessione derivatum est, et *Concordatis* stabilitum. Nullum jus in iis est agnitum; sed quum plurimis beneficiis ditaverint Ecclesiam, et ejus jura tueri in se susceperint, æquum visum est iis nominandi episcopos dare facultatem, reservato Pontifici jure rejiciendi quos tanto munere indignos judicarent. Re quidem vera privilegia hujusmodi a pontificibus fere invitis sæpe extorta sunt, et in damnum cesserunt Ecclesiæ: sed semel concessa, ad disciplinam pertinent, quæ concessione et sanctione pontificia nititur. Nullum jus inde probari potest regio muneri inhærens, vel ex cœtu fidelium derivatum: nec ideo in exemplum trahi potest ut jus populo alias adstruatur.

96. *Obj.* 9. Inhæret cuilibet cœtui jus suos eligendi ministros, ut sibi consulat.

Resp. Cœtus sacer, qualis est Ecclesia, Christum habet auctorem, et jura omnia ab illo derivat. Fideles in rebus divinis nihil habent juris, sed omnino pendent ab ipsius voluntate, quam amplecti grato animo decet. Id igitur tantum respiciendum est, quibusnam concesserit sacram potestatem, et in mandatis dederit regere Ecclesiam; eorum enim est designare quos potestatis et auctoritatis hæredes faciant et traduces.

ANIMADVERSIONES.

97. De disciplinæ varietate in sacris designandis ministris aliqua occurrunt dicenda. Constat sacerdotes et clericos inferiores libero jure ab episcopis semper ordinari consuevisse, quamvis testimonium populi de moribus exquireretur. Episcopi qui ad populos traducendos ad fidem destinabantur, libero etiam jure ab aliis consecrabantur episcopis, servatis tamen juribus sedium præcipuarum. Cuilibet patriarchæ intra suam ditionem ἐξουσία plena potestas erat ordinationes faciendi, quæ in metropolitarum consecratione præsertim exercebatur, his ab episcopis provinciæ, instar aliorum episcoporum electis. Penes episcopos cujuslibet provinciæ erat jus præcipuum eligendi episcopos in sedes quæ forsan vacaverint, quod tamen fiebat plerumque publico in cœtu, plebe cleroque adstantibus, et eorum votorum et testimoniorum haud neglecta ratione: "ut plebe præsente," inquit Cyprianus, "vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa et legitima, quæ

omnium suffragio et judicio fuerit examinata."[1] Plurimæ quæ occasione electionum publicarum excitatæ sunt turbæ, in causa fuerunt cur ea designandi sacros ministros ratio derelicta fuerit. Questi sunt patres concilii Bituricensis anno 1276 de electionum libertate a turbis impedita: "Multitudine populi per iniquitatis filios concita in electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis Ecclesiis impediuntur totaliter."[2] Canonicis Ecclesiæ cujuslibet Cathedralis jus eligendi episcopos decretalibus Gregorii IX. tributum est. Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, et Hierosolymitani serie deficiente, episcopus Romanus, qui jus suum in ordinationibus intra occidentalis patriarchatus limites præsertim exercebat, et in Patriarcharum electione confirmanda, debuit prospicere aliis per totum orbem ecclesiis, vi summi sui muneris, et solicitudinis pastoralis. Hinc factum ut potestas ejus hac in re magis se explicuerit, progrediente tempore. Joannes XXII. jus designandi episcopos omnes Sanctæ Sedi reservavit. In Metropolitarum designatione seu confirmatione in patriarchatu occidentali semper consuevit jus suum exercere, cujus insignia exempla habentur in Cantuariensis Ecclesiæ septuaginta fere præsulibus, a S. Augustino, Anglorum Apostolo, ad tempus usque Henrici VIII., deinceps et Mariæ, quorum plures sunt a Summis Pontificibus consecrati, cæteri saltem probati. Eorum seriem novissime exhibuerunt Anglicani, successionem Apostolicam sibi frustra vindicantes, quum serius catena apud eos desierit.

98. Quæ in fœderatis provinciis nunc obtinet ratio designandi episcopos, est, ut ab episcopis omnibus tres commendentur sacerdotes, e quibus, si ita Summo Pontifici videatur, designetur episcopus.[3] Sacerdotes et alii inferioris ordinis clerici ab episcopis singulis, prout in Domino visum fuerit, ordinantur, et ad sacra deputantur munera.

(1) Ep. lxvii.
(2) Can. i.
(3) Vide Conc. prov. Baltimor. ii.

CAPUT VIII.

DE ORDINUM MINISTRO.

§. I. De ministro necessario.

99. Episcopum omnes ordines conferre posse constat: tonsuram vero et minores ordines, imo et subdiaconatum facultatem impertiendi dari posse sacerdoti a Summo Pontifice indubium est, nam Abbatibus consuevit id concedi. Utrum pontifex posset indulgere ut diaconatus etiam conferatur quæsitum est, indulto quodam Innocentii VIII. anno 1489 allegato, quo ea datur facultas Abbati Cisterciensi, quod tamen genuinum esse vel integrum plures negant. Apud Theologos jam obtinuit sententia, quæ negat sacerdotem posse diaconatum, multo minus presbyteratum, etiam ex pontificis concessione, impertiri. De fide est eam quam episcopi habent ordinandi potestatem non esse illis cum presbyteris communem, ita enim fert Tridentina definitio: "Si quis dixerit, episcopos . . . . non habere potestatem . . . ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit."[1]

100. Apud Anglicanos in confesso est solum episcopum posse episcopatum, presbyteratum, et diaconatum, quos tres agnoscunt ordines, conferre. Presbyteriani ritum ordinationis a ministro qui cœtui cuilibet præest, una cum presbyterio, quod tribus saltem ministris cum senioribus laicis constat, perfici docent, manuum impositione, dexteris deinceps datis in consortii indicium. Baptistæ, qui suam a Presbyterianis originem ubique produnt, a presbyterio manus imponendas docent. Methodistæ episcopales ad Joannem Wesley, sectæ suæ auctorem, sui episcopatus originem referunt, eum scilicet, presbyterum licet, suarum manuum impositione Thomam Coke, presbyterum alterum ejusdem Ecclesiæ Anglicanæ, in episcopale officium segregasse dicunt, et in mandatis ei dedisse ut Franciscum Asbury pari ratione ad idem munus eveheret.

PROPOSITIO.

Episcopi habent potestatem ordinandi, quæ non est illis cum presbyteris communis.

Probatur I. ex Scripturis.

101. Apostoli diaconis imposuisse manus leguntur: Saulus et Barnabas

(1) Sess. xxiii. can. vii.

constituerunt per Ecclesias sacerdotes, nonnisi postquam manuum impositione episcopale munus susceperant. Timotheus et Titus, episcopali auctoritate præditi, presbyteros per Ecclesias constituere jussi sunt.

Probatur II. antiquissima et perpetua Ecclesiæ consuetudine.

102. Constitutiones dictæ Apostolicæ vetustissimam exhibent consuetudinem, juxta quam episcopus a tribus episcopis consecratur, presbyter ab uno episcopo, diaconus pariter.[1]

Probatur III. traditione.

103. S. Athanasius Ischiræ exprobravit eum non esse presbyterum quum Colluthus, qui ei manus imposuerat, simplex esset sacerdos.[2] S. Epiphanius ex eo præcipue capite Aerii hæresim refellit, quod ordines conferendo episcopi patres fidelium gignant: "Quinam fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet? Ordo siquidem episcoporum ad gignendos patres præcipue pertinet; hujus enim est patrum in Ecclesiæ propagatio; alter *cum patres non possit*, filios Ecclesiæ lotionis regeneratione producit.[3] S. Hieronymus in eo eminere episcopi dignitatem fatetur: "Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?[4] S. Chrysostomus: "Sola namque ordinatione superiores sunt, atque hinc tantum videntur presbyteris præstare."[5]

Probatur IV. antiquissimis ritualibus.

104. Libri omnes rituales etiam antiquissimi ordinum conferendi rationem describentes, episcopum ministrum exhibent: quod testimonium est insigne vetustæ traditionis. Accedit omnium sectarum orientalium consensio, moribus comprobata et documentis.[6]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

105. *Obj.* 1. Apostolus de impositione manuum presbyterii loquens, presbyterorum intelligit cœtum, qui scilicet ministris sacris et laicis rectoribus constat: Ergo episcopi non habent potestatem ordinandi, quæ non sit presbyteris communis, imo et laicis ad regimen evectis.

Resp. Fassus est Calvinus officium presbyteratus illic designari, quum alias dicat Paulus impositione manuum suarum sacri ordinis donum Timotheo communicatum. Cæterum quum Timotheus episcopali insignitus sit charactere, nil obstat quin presbyteros plures operam Paulo eum consecranti præstiterint, quos tamen episcopos fuisse omnino verosimile est. Simplices quidem sacerdotes etiamnum aliquando adstant episcopo

(1) Constit. Apost. l. viii. cap. xvi.
(2) Apologia contra Arian. n. 12.
(3) Hær. lxxv.
(4) Cap. v.
(5) Hom. xi. in i. ep. ad Timoth. n. i.
(6) Vide opus de la perpétuité de la foi t. v. l. v. c. v.

consecranti, episcoporum adsistentium tenentes locum; idque contingere potuit Paulo Timotheum consecrante, quin jus illum ordinandi inde illis probaretur competere. Cæterum seniores laicos eo loci intelligere ab usu loquendi sacrorum scriptorum, et a tota traditione abhorret.

107. *Obj.* 2. Concilium Ancyranum anno 314 decrevit: "Vicariis episcoporum, quos Græci chorepiscopos vocant, non licere vel presbyteros, vel diaconos ordinare . . . . sine præcepto episcopi."[1] Ita et alia concilia, quæ idcirco potestatem ordinandi presbyteris, quales erant chorepiscopi, communem esse agnoverunt, quamvis, ordinis causa, venia episcopi exquirenda foret.

Resp. Chorepiscopi nonnulli episcopali insigniti fuerunt charactere, aliis eo carentibus. Hinc factum est ut nonnullis liceret sacros conferre ordines, licentia episcopi qui diœcesi præerat impetrata. Episcoporum "qui voluerint in presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut presbyteri residere," mentio fit in ipsis canonibus Ancyranis, quos chorepiscopos sæpe constitutos verosimile est. De hujusmodi chorepiscopis agit manifesto concilium Antiochenum: "Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint, tamen s. synodo placuit, ut modum proprium recognoscant. . . . Nec presbyterum vero nec diaconum audeant ordinare præter civitatis episcopum."[2]

107. *Obj.* 3. Narrat Cassianus Danielem monachum a Paphnutio, qui pater erat monachorum, diaconatus et presbyteratus ordine insignitum esse.[3]

Resp. Cassiani verba de Daniele ob meritum puritatis et humilitatis suæ ad diaconi et presbyteri munera provecto, intelligenda sunt, quin Paphnutius eos ordines contulerit. Ea ratio loquendi consuevit usurpari, de præsule Regulari, quod subditum "presbyterii honore provexit," quum eum provehendum episcopo obtulerit.

108. *Obj.* 4. Grassante Ariana hæresi, et relegatis episcopis, Flavianus et Diodorus presbyteri episcopis novis ecclesias commiserunt, idcirco magna laude cumulati.

Resp. Nemo dixit illos presbyteros episcopos creasse, quod enim refertur de cura Ecclesiarum episcopis quibusdam, quos noverant sanæ esse fidei, commissa, seu potius de precibus illis porrectis ut viduatis Ecclesiis subvenirent, intelligendum est. Profectò apud omnes constabat neminem episcopali charactere carentem posse sacros ordines conferre, ut Eusebius Samosatensis episcopus, militari habitu indutus, vacantes circumivisse Ecclesias referatur, et presbyteros et diaconoso rdinasse, ad fidelibus consulendum.[4]

(1) Can. xiii.
(2) Can. x. Tom. i. coll. Hard. col. 597.
(3) Collat. iv. c. 1.
(4) Theodoret. hist. l. iv. c. xiii.

§. II. De ministro legitimo.

109. Ab episcopo igitur presbyteratus et diaconatus ordines conferri possunt; sicut et cæteri ordines, qui aliquando conferuntur ab Abbatibus aliisve, episcopali charactere haud insignitis. Nec tamen licet absque discrimine ea uti potestate, nam jussit concilium Tridentinum, ut "unusquisque a proprio episcopo ordinetur: si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum; et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit supensus."[1] Olim quidem laicis hominibus ad quemcumque præsulem se conferre licuit, et ab eo sacros suscipere ordines; non item clericis, nam inter canones Nicænos legitur: "Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet ordinare in suam Ecclesiam, cum non habeat consensum episcopi ipsius a quo recessit clericus: irrita sit hujusmodi ordinatio."[2] Episcopus proprius dicebatur olim ille in cujus diœcesi quis natus est, qui episcopus *originis* nunc vocatur. Episcopus *beneficii* etiam proprius nunc habetur, ex quo scilicet Clemens IV. ordinandum permisit qui beneficium in diœcesi aliqua obtinuit.[3] *Domicilium* etiam jus præbet ut ab episcopo in cujus diœcesi quis versatur suscipiat ordines, sanciente hunc titulum Bonifacio VIII.[4] Ut fraudibus obviam iretur decrevit Innocentius XII.: "subditus ratione domicilii ad effectus suscipiendi ordines, is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum ejusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere, jurejurando affirmet."[5] Regulares ordinandi sunt ab episcopo in cujus diœcesi monasterium est situm, nec possunt ad alium remitti, nisi episcopus diœcesanus absit, vel ordinationes non sit habiturus.[6] Vicarius Generalis litteras dimissoriales clericis sæcularibus ad suscipiendos ab alieno episcopo ordines non valet concedere, nisi proprius episcopus diu absit in regionibus longinquis, vel speciali mandato hanc ei delegaverit potestatem.[7] Nec Vicarius Capitularis, qui scilicet a *Capitulo*, seu col-

(1) Sess. xxiii. de reform c. viii.

(2) Cap. xvii.

(3) In sexto.

(4) In sexto de temp. ordin.

(5) Constitutione, quæ incipit: *Speculatores*, anno 1694.

(6) Vide Congr. S. Concilii Trid. Interpretum resp. 15. Martii an. 1596, apud Drouenium de re Sac. l. viii. c. iii. Vide et Benedicti xiv. Constit. quæ incipit: *Impositi nobis*, an. 1747.

(7) Cap. iii. de Temp. Ord. in 6.

legio Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, vacante sede eligitur, ad diœceseos regimen, donec episcopus designatus fuerit, litteras hujusmodi concedere potest intra annum a die vacationis, nisi ei qui beneficio ecclesiastico donatus, vel mox donandus, ad ordines suscipiendos teneatur.[1] Idem dicendum de *Administratore* diœcesis, qui, juxta Sedis Apostolicæ indultum, designatus fuerit ab episcopo, ut sede vacante regat diœcesim, pro moribus nostris, quum Canonicorum Capitulum non habeamus.

110. Legitimus ordinum minister est episcopus catholicus, jurisdictionis qua gaudet limites non transgrediens. Qui ordinis episcopalis charactere insignitus est, sed jurisdictione caret, vel ultra ejus limites progreditur, ordines valide confert, quamvis peccet. Equidem decretum est a concilio Nicæno, Novatianos et Arianos, qui in hæresi ordinati fuerunt, recipiendos, ordinum gradu, quem in hæresi susceperant, servato; quod de omnibus a quacumque hæresi conversis deinceps statuit concilium VII. Augustinum jam laudavimus Donatistas urgentem, et idem de baptismo, de ordine, et de omnibus sacramentis statuentem principium. Id passim prædicat: "Sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis approbantur a nobis."[2] . . . "Ex Catholica enim Ecclesia sunt omnia Dominica sacramenta, quæ sic habetis et datis, quemadmodum habebantur et dabantur, etiam priusquam inde exiretis . . . . nobiscum autem estis in baptismo, in symbolo, in cæteris Dominicis sacramentis."[3] Quod autem Innocentius I. de hæreticis dicit: "nec dare ejus (*Spiritus*) plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur;"[4] respicit gratiam ordinis: nec ejus valorem attingit, quamvis honores Christi profanis ejusmodi sacerdotibus meritò deneget. Hinc tota errant re Anglicani nonnulli ordinationes irritas esse docentes hæreseos causa.

111. Schismatici pari ratione ad Ecclesiæ communionem recipi consueverunt, gradu quem susceperant servato. Sic presbyteri a Meletio ordinati, juribus spretis Petri Alexandrini, a patribus Nicænis gratia donati sunt, ut gradu servato secundum locum, post presbyteros a patriarcha ordinatos, obtinerent. "Ea conditione in Ecclesiæ communionem admittantur, nimirum ut ecclesiasticæ dignitatis et ministerii gradum habeant illi quidem; sed tamen omnibus presbyteris, in singulis provinciis et Ecclesiis versantibus, qui sunt ab honoratissimo viro, et collega nostro Alexandro ordinati, sint omnino inferiores."[5] Donatistæ pariter "in suis honoribus" suscepti sunt.[6]

112. Cæterum Urbanus II. in synodo Placentina, anno 1095,[7] et Inno-

(1) Trid. Conc. Sess. vii. cap. x. de Ref.
(2) Ep. lxxxvii.
(3) Ep. ad Vincentium Donatistam xciii.
(4) Ep. ad Alex. patr. Antioch.
(5) In ep. ad Alexandrinos.
(6) Can. xxxv. in codice Africano 68.
(7) Cap. viii.

centius II. in concilio generali Lateranensi anno 1139,[1] ordinationes a quibusdam hæreticis et schismaticis factas irritas pronuntiavit; quod tamen intelligendum est de honoribus et muneribus in pœnam denegandis; nam Urbanus II. permisit ut pœnitentes susciperentur qui ita susceperant ordines, et gradu gauderent; et Innocentius II. sic ordinatis, in eodem gradu perenniter demorantibus ad superiorem ascendere vetuit.[2] Ea fuit olim justa severitas, qua ordines ab hæreticis suscipientibus vetabatur eos unquam exercere;[3] sed mitigabatur plerumque, quando pœnitenti animo Ecclesiæ gratiam expetere videbantur. Augustinus ea spe veniæ Donatistas ad reditum alliciebat: "Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat: habeant ergo isti de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendaci timore amarum dolorem: et veniant ad Ecclesiam Christi veram, hoc est matrem catholicam: sint in illa clerici, sint episcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter."[4]

(1) Can. xxxx.
(2) Vide Mauriniacense Chronicon.
(3) Vide epist. Innoc. I. ad episc. Macedonii.
(4) Ep. l. ad Bonifacium.

CAPUT IX.

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS.

113. Plura jam de Anglicánis ordinationibus diximus, quæ tamen hic recolenda sunt. Controversia præsertim circa consecrationem Matthæi Parkeri, versatur, qui, initio regni Elizabeth, depositis et expulsis a suis sedibus episcopis Catholicis, archiepiscopus Cantuariensis designatus est; ab illo enim cæteri qui deinceps sedes episcopales occuparunt consecrati dicuntur. Negarunt plurimi scriptores catholici Parkerum umquam consecratum, irritos quippe dicebant evasisse omnes conatus ad episcopum aliquem inducendum ut sacrum perageret ritum. Actis Lambethianis quæ consecrationem a Gulielmo Barloo, electo episcopo Cestriensi, 17 die Decembris 1559, tribus aliis adsistentibus episcopis, peractam referunt, nullam fidem deberi contendebant, utpote quæ nonnisi post annos quinquaginta in medium adducta sunt.[1] Horum tamen authentiæ suffragatus est novissime Lingard, historiæ Angliæ elegantissimus scriptor: cui in re quam ipse, uti verosimile est, maturo perpendit judicio, nolumus refragari, ad eos penes quos sunt documenta rei gestæ examen remittentes. Liceat tamen aliqua in medium proferre ex tractatu *de vocatione ministrorum* anno 1618 ab Antonio Champnæo, Anglo origine, doctore Sorbonico, edito mutuata. Sic autem se habet registrum, prout, post Masonum consecrationis vindicem, refert Champnæus.

Anno 1559. Matthæi Parkeri Cant. consec. 17 Dec. per ——	Guilielmum Barloum Johannem Scoreum Milonem Couerdallum Johannem Hodgekinsonum.

Hæc consecrationis relatio a cæteris omnibus quæ eodem registro continentur, tum quæ præcesserant, tum quæ ab ipsis Anglicanis peractæ referuntur, in eo discrepat, quod episcoporum qui consecrationis munus obierunt tituli desiderentur, nominibus familiæ contra morem insertis. Exemplum dat ipse Masonus consecrationis post quatuor dies peractæ.

(1) Tract. de Eccl. c. xii. vol. i. p. 222 et 232.
(2) Vide Milner's End of Controversy, Letter xx

Anno 1559. Edm. Grindallus consecr. 21 Decemb. per.	Math. Archiepisc. Cant. Guilielmum Cicestrensem. Johannem Herefordiensem. Joh. Bedfordiensem.

114. Jam animadvertendum illam diversitatem vel interpolationem prodere, vel eos qui consecrasse Parkerum dicuntur, non fuisse episcopos, qui semper consueverunt suis titulis in actis solemnioribus uti. Equidem Masonus qui ordinationes suæ sectæ vindicandas susceperat, nullibi potuit reperire consecrationem Barloi in registro aliquo Ecclesiarum relatam, quamvis ea tempestate et prioribus sæculis magna adhiberetur diligentia in rebus gestis hujusmodi referendis. Constat ex actis sub Cranmero quæ profert, eum electum esse episcopum Asaphensem, designatum etiam Menevensem, Henrico VIII. regnante, sed eum revera episcopale suscepisse munus exprobrarunt illi passim coævi scriptores,[1] quod ex ipsis Elizabethæ mandatis colligere licet: nec enim alia idonea datur ratio cur Elizabethæ literæ patentes episcopo catholico Landavensi imprimis directæ sint: "Elizabetha De igratia, &c. R. R. in Christo patribus Anthonio Landavensi, Guilielmo Barloo, quondam Bathoniensi episcopo, nunc Cicestrensi electo, Johanni Scoreo quondam Cicestrensi, nunc Herefordiensi electo, Miloni Coverdallo quondam Exoniensi episcopo, Johanni suffraganeo Bedfordiensi, &c." Profectò ipsum quod frustra posuerunt studium sectarii ut Landavensem ad ritum peragendum inducerent, indicium haud leve est cæteros non fuisse consecratos.[2]

115. Demus autem Barloum, a quo pendet tota ritus vis, fuisse episcopum, et Parkerum consecrasse, liquet in mandatis dedisse Elizabeth ut "juxta formam statutorum in hac parte editorum et provisorum" consecratio fieret. Masonus alte prædicat, Parkerum haud consecratum juxta Pontificalis Romani ritum, sed "per orationem, sancti Spiritus invocationem, manuum impositionem, ac religiosa promissa, in habitu qui gravitatem et authoritatem Archiepiscopalem deceret, (*toga scilicet*, uti explicat Champnæus,) concione habita ab erudito Theologo de munere et fidelitate a pastore gregi suo debita."[3] Rituale quippe puero Edwardo VI. regnante editum, primo Elizabethæ anno lege restitutum est, quod ritus fere omnes in consecratione episcopi præscriptos omisit, aliis quibusdam inductis ut prava principia de suprema auctoritate regia in rebus etiam ecclesiasticis sancirentur. Mandatum regium quo designabatur episcopus legi consuevit; juramentum de suprema illa auctoritate exigebatur: deinceps interrogabatur electus de sua vocatione ad episcopatum, juxta Christi voluntatem et regni constitutionem: de Scripturarum sufficientia in omnibus quæ ad salutem sunt ne-

(1) Vide Milnerum loco citato.

(2) Plura videsis apud Champnæum. c. xiv.

(3) De consecratione episcoporum Ecclesiæ Anglicanæ. p. 131.

cessaria, et de voluntatis proposito omnem peregrinam doctrinam extirpandi. Quum assensum præstitisset, precabatur consecrator ut Deus vires illi daret ad hæc efficaciter præstanda; et impositis manibus dicebat: "Accipe Spiritum sanctum, et memento suscitare gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum, quia Deus non nobis dedit Spiritum timoris, sed potestatis et sobrietatis."

116. Jam vero nihil illo ritu continetur quod episcopalis auctoritatis communicationem significet vel efficiat, sed pleraque denotant regni officialem ad errores propagandos qui lege sanciebantur, constitutum.[1] Si quid valoris ei inesset, impositioni manuum cum verbis illis: "Accipe Spiritum Sanctum;" tribuendum foret: at nihil determinat illam manuum impositionem ad episcopale munus communicandum, quum adjecta verba gratiam jam datam significent. Plerisque quidem placuit theologis formam episcopatus essentialem in illis verbis: "Accipe Spiritum Sanctum;" reponere; sed prolata in ritu consecrationis, prout in Ecclesia fit, sensum habent ex adjunctis definitum, quum in Rituali Eduardiano vaga sint et incerta.

117. Equidem irritam et inanem esse formam illam Eduardianam, ex legibus latis ad dubium tollendum, declarante Elizabeth se omnem supplere defectum ex auctoritatis regiæ plenitudine, colligitur. Ipse clerus Anglicanus post sæculum fere elapsum consecrationis formam immutavit iis insertis verbis: "in munus et opus episcopi, quod tibi nunc committitur, impositione manuum mearum:" adeo illis de valore prioris ritus dubitandum videbatur. Consuetudo autem Ecclesiæ Romanæ, quæ conversos e secta Anglicana cum suis honoribus non suscipit, sed si presbyteri vel episcopi habiti fuerint, et in clerum catholicum adscisci velint, eos ordinationis integro ritu sacra donat potestate, argumentum est haud leve explosas penitus esse omnes rationes quibus nituntur ordinationes Anglicanæ. Constat quippe eam semper agnoscere ordinationes Græcorum, et cæterorum qui ab ea disjuncti sunt schismate vel hæresi, qui tamen ritum essentialem ordinandi servant, et nefas ducere eas iterare: quaprop-

(1) "Then shall the Archbishop demand the King's Mandate for the Consecration, and cause it to be read, and the Oath touching the acknowledgement of the King's supremacy shall be ministered. . . . "Are you persuaded that you be truly called to this Ministration, according to the will of our Lord Jesus Christ, *and the order of this realm?*" "Will you maintain and set forward, as much as shall lie in you, quietness, love and peace among all men: and such as be unquiet, disobedient, and criminous, within your Diocese, correct and punish according to such authority as you have by God's Word, and *as to you shall be committed by the Ordinance of this Realm?* . . . Almighty God, our heavenly Father, who hath given you a good will to do all these things, grant also unto you strength and power to perform the same. . . . Take the Holy Ghost, and remember that thou stir up the grace of God which is in thee by the imposition of hands, for God hath not given us the spirit of fear, but of power and love and soberness." Hæc omnia adhuc servantur, adjectis tamen verbis quibusdam: "Receive the Holy Ghost, for the office and work of a Bishop, &c."

ter nonnisi veritate manifesta censenda est Anglicanas prorsus respuisse, tamquam nullius momenti.

118. His de ordinis episcopalis potestate apud Anglicanos, quædam de jurisdictione adjicienda duximus. Jurisdictio est potestas regiminis, qua episcopi concreditos sibi greges regunt. Inter theologos disceptatur utrum immediate profluat a Christo, vel medio pontifice, omnibus fatentibus eam ex Christi lege pontificiæ auctoritati subjacere. Constat autem omnem potestatem sacram a Christo derivari, adeo ut nulla sit quæ a principibus civilibus vel a populo derivetur. Jam vero tota qualiscumque sit Anglicanorum episcoporum jurisdictio a rege seu regina derivata prædicatur in plurimis legibus et edictis, præsertim quæ in schismatis primordiis lata sunt, cujus rei indicia ordinationis ritus adhuc præbet. Ergo omni prorsus jure spirituali carent, quippe qui haud a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam positi sunt, sed a potestate civili in sedes episcopales intrusi. Hoc vitio laborant, adeo ut Oxonienses, successionis apostolicæ jura prædicantes, haud suæ sectæ, sed Ecclesiæ Catholicæ agant causam.

CAPUT X.

DE ORDINANDIS.

119. Ad legitimam ordinum susceptionem status gratiæ requiritur, quum Spiritus Sanctus in animam peccatis adstrictam non intret. Confirmatio etiam et prima tonsura ante ordines suscipiendæ sunt.[1] Ne cum clericalis status dedecore clerici inopia laborent, *congruæ sustentationis titulus* necessarius est, beneficium scilicet ecclesiasticum, cujus redditibus fruantur, vel patrimonium, vel pensio annua.[2] In his tamen provinciis titulus *Missionis* admittitur, probante Sede Apostolica, quæ tamen exigit ut eo titulo ordinati juramendo se adstringant ad sacris missionibus perpetuò inserviendum in diœcesi in qua ordinati sunt. Regulares titulo *paupertatis* ordinantur.

120. Ætas legitima ad subdiaconatum suscipiendum est annus vigesimus secundus inchoatus: diaconatus anno vigesimo tertio inchoato suscipi potest: presbyteratus anno vigesimo quinto: episcopatus anno trigesimo completo.[3] Apud Cophtos Nestorianosque Syros infantes ordinantur, quos si ad Ecclesiam Catholicam contigerit venire suscipiuntur, relicta libertate cœlibatum servandi, et onera omnia ordinis subeundi, nisi post sextum decimum ætatis annum ordinationem suam ipsi ratam habuerint.

121 Temporibus a jure statutis ordines sacris conferendi sunt, nempe *quatuor temporibus*, Sabbato Sancto, et Sabbato de passione.[4] Minores ordines etiam Dominicis et festis diebus conferuntur. *Interstitia*, intervalla scilicet temporis inter ordines intercedere debent, juxta Tridentinum decretum: "Minores ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur. . . . Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio episcopi, aliud exposcat . . . Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permit-

(1) Trid. conc. Sess. xxxiii. cap. iv. de Ref.

(2) Ibidem Sess. xxi. cap. ii. de Ref.

(3) Ibidem Sess. xxiii. cap. xii. de Ref. Cap. vii. de elect. et Constit. Gregorii xiv *Onus Apostolicæ*.

(4) Cap. iii. de temp. ordinat.

tantur . . . . In diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur, ministraverint,"[1] ad sacerdotium non promoventur. Qui ordine inferiori omisso ad altiorem evehitur, *per saltum* ordinatus dicitur, et suspenditur ab ordinum exercitio donec episcopus dispenset.[2]

121. *Irregulares*, seu alieni a regula illi habentur quos lex ecclesiastica vetat ad ordines promoveri, vel ordines jam susceptos exercere. *Crimine* vel *defectu* irregulares fiunt. Infames ob crimina declarantur qui scienter baptismum iterato conferunt;[3] simoniaci, rerum sacrarum scilicet nundinationis rei;[4] qui per saltum ordinati sunt; qui in ordine sacro quem non susceperunt ministrarunt;[5] qui ad suscipiendos ordines obrepserunt, absque probatione, et vocatione episcopi:[6] qui ordines susceperunt, vel susceptos exercuerunt, majori excommunicatione, suspensione, vel alia censura ligati;[7] qui voluntarium atque injustum patrarunt homicidium.[8] Abortus fœtus animati, cui aliquis præstitit consilium aut operam, irregularitatem etiam inducit.[9] Qui hominem occidit se defendendo, servato moderamine inculpatæ tutelæ, irregularis non fit; sicut et qui amens homicidium patraverit.[10]

122. Irregulares *ex corporis defectibus* sunt quicumque deformitate aliqua notantur quæ adeo est gravis ut risum vel stomachum moveat. Sic claudi qui egent fulcro ut ambulent, pusilli, et ii quibus abscissæ sunt nares, vel oculus erutus[11] irregulares habentur. Item surdi, muti, cœci utroque oculo, vel sinistro vel quibus ita læsus est, ut canonem Missæ nonnisi versa facie indecore legere possint. Paralytici etiam irregulares sunt, sicut et epileptici, carentes aliquo membro, pede ex: gr: vel manu vel digito ad hostiam frangendam necessaria. Qui se eunuchos fieri passi sunt, nisi id contigerit medicorum consilio, sunt irregulares. Hermaphroditus in quo fœmineus sexus prævalet nequit omnino ordines suscipere, quum fœminæ divino jure a sacro ministerio arceantur. Si autem prævaleat masculinus sexus, pontificia habita dispensatione, ordinari poterit.

123. *Ob animi defectum* irregulares sunt qui baptismum non susceperunt, quorum irrita prorsus est ordinatio, nemo enim in sacerdotem Christi, vel ministrum quemlibet sacrari potest, qui nec christianum characterem

(1) Sess. xxiii. c. xi. xii. xiii. xiv. de Ref.
(2) Cap. Tuæ litteræ de clerico per saltum ordinato.
(3) Can. lxv. dist. l. cap. ult. de Bapt. Cap. ii. de apostat.
(4) Can. ii. dist. dist. xxxiii. et Sixtus V. Const. Sanctum.
(5) Cap. i. de Cler. non ordinat. min.
(6) Cap. i. ii. iii. de eo qui furtiv. ordin. suscep.
(7) Cap. xxxii. de sent. excomm.
(8) Cap. i. et x. de homicid. volunt. vel. casual.
(9) Const. Greg. xiv. Sedes Apostolica.
(10) Clem. Unic. de homicid.
(11) Can. ult. dist. lv. cap. iv. de cleric. ægrot. can. i. dist. xlix. cap. ii. de corp. vitiat.

suscepit. Neophyti non sunt ordinandi, vetante id Apostolo ; sed quamdiu habendi sint tales judicio episcopi definiendum est. Servi nequeunt ordinari, donec emancipati fuerint.[1] Curatores aliive ad reddendas rationes obligati ordinandi non sunt, nisi rationibus jam redditis.[2] Inscii litterarum, qui scilicet prorsus sunt ignari ab ordinibus repelluntur :[3] secus qui mediocrem habent scientiam.

124. *Defectu lenitatis* irregulares habentur quicumque concurrunt ad mortem vel mutilationem hominis etiam justa de causa. Hinc judices qui sententiam mortis proferunt, accusatores, fisci patroni, testes in causa capitali, et ministri omnes qui sententiam exequuntur, irregulares sunt, si mors vel mutilatio rei sequatur.[4] Clerici tamen testimonium ferentes excusantur, si protestentur se nolle sanguinis effusionem.[5]

125. *Amentes*, furiosi, energumeni, imbecilliorisque mentis homines qui scilicet sui compotes non sunt, irregulares habentur : qui autem ex morbo per aliquod tempus sui compos non fuerit, non habetur irregularis, si pristinum mentis vigorem recuperaverit, et nullum relapsus in amentiam periculum præ se ferat.[6]

126. Hæretici, schismatici, apostatæ, atque ii quorum pater, avusque hæretici sunt, vel in hæresi decesserunt, irregulares jure canonico declarantur.[7] Passim tamen apud nos ad sacros promoventur ordines conversi ab hæresi, quod vi facultatum quas tribuit Sancta sedes episcopis fœderatarum provinciarum fieri videtur.

127. Adulterio, perjurio, aliisque vitiis infames ab ordinibus arcentur :[8] scilicet quorum crimina ordine judiciario probata sunt, vel alias notoria sunt.

128. *Spurii* non possunt ad ordines minores promoveri, nisi dispensante episcopo : ad majores ut promoveantur pontificia indigent dispensatione.[9] Legitimi tamen habentur jure canonico, quorum parentes deinceps inierunt matrimonium, dummodo ejus ineundi capaces fuerint tempore conceptæ prolis : id enim statutum est, ut inducerentur parentes ad nuptias ineundas : quam sanctionem immerito carpit Blackstonius, jus commune Anglicanum, quod legitimos habet eos tantum qui post nuptias nati sunt, verbis efferens.[10]

(1) Cap. i. et ii. de servis non ordin.
(2) Cap. unic. de oblig. ad ratio.
(3) Can. i. dist. xxxvi. et Toletan. iv. can. v. dist. li. Innoc. iii. in c. xix. de elect.
(4) Cap. v. et ix. Ne Clerici vel monachi.
(5) Cap. ult. de homicidio in 6.
(6) Can. iii. iv. v. dist. xxxiii.
(7) Cap. xv. de hær. in 6.
(8) Can. xvii c. vi. qu. i.
(9) Cap. i. et vii. qui filii sint legit.
(10) Commentaries l. i. n. 455.

129. *Bigami*, qui scilicet plus semel nuptias inierunt, ordines suscipere non possunt, Apostolo exigente, ut unius uxoris vir ad sacra munera evehatur.[1] "Impudicos castigat," inquit Chrysostomus, "non sinens eos post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen assumi."[2] *Vera* bigamia hæc vocatur: interpretativa est quam jus canonicum statuit, eum qui viduam, vel vitiatam duxit in uxorem pro bigamo habens.[3] Similitudinaria bigamia est illius qui solemni castitatis voto devinctus duxit et cognovit uxorem.[4]

(1) I. Tim. iii. 2. Tit. i. 6.
(2) Hom. ii. in. ep. ad Tit.
(3) Dist. xxxii. c. 12. Dist. xxxiii. c. 2.
(4) Cap. ult. de Bigam. non ordin.

CAPUT XI.

DE RELIGIOSIS.

130. Quamvis ordo religiosus ab ordine sacro, quem tractamus, differat, aliqua tamen de eo dicenda videntur, ut lectoribus innotescat quomodo a clericis populoque fideli distinguatur. Ordo religiosus vocatur cœtus hominum certum profitentium vitæ institutum, ut consilia evangelica executioni demandent, votaque in eum finem solemnia emittentium. Plurimi ex iis consueverunt sacris insigniri ordinibus, et clerici regulares idcirco vocantur; clericis sæcularibus nuncupatis qui in sæculo manentes, speciales illas vivendi regulas et obligationes non sunt amplexi. Originem hujusmodi institutorum ad Ecclesiæ primordia quodammodo referuntur.

131. Qui primis Ecclesiæ sæculis virtutibus strenuam navabant operam, duriori quadam et sanctiori vitæ ratione a cæteris fidelibus discreti ασκηται a virtutum exercitio nuncupabantur. Persecutione Decii vigente, medio tertio sæculo, fideles nonnulli in solitudinem sese contulerunt, et vitam duxerunt aspersam simul et tranquillam, rerum cælestium contemplatione recreati. Id vitæ genus, pace jam Ecclesiæ reddita, secuti sunt aliqui, inter quos Paulus primum obtinet locum, Antonius secundum. Hos imitati, alii plures huc illuc in desertis Ægypti dispersi vivebant,—μοναχοι, αναχωρηται, ερημιται, inde appellati. S. Pachomius primus μοναστηρια, seu κοινοβια, domus scilicet in quibus communem ducebant vitam, instituit in Ægypti Thebaide. Plurimi autem morabantur in cellulis separatis, quæ omnes λαυρα dicebantur. In Oriente Basilius Magnus habetur monachorum pater, ob institutum eorum ab eo propagatum. In Occidentem S. Athanasius monasticam vitam invexisse creditur, quando Romæ versabatur, a sede sua profugus. "Crebra virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo," tempore Hieronymi Romæ erant.[1] S. Benedictus sæculo sexto monasticum institutum perfecit et propagavit in Occidente, legibusque certis monachos ad perseverandum in semel suscepto instituto adstrinxit. Plerique monachi laici erant, laborique manuum vacabant; unus tamen aut alter sacerdotio in cæterorum utilitatem insignitus, sacra munera peragebat in sacello monasterii. Fuerunt etiam plurimi ordinis Benedictini, qui et vetera exemplaria transcribebant, et scientias sacras præsertim excolebant, litteris apud laicos fere vilescentibus.

(1) Ep. cxxvii.

132 Sæculo undecimo canonici regulares instituti sunt, clerici scilicet Ecclesiis quibusdam addicti, certis communis vitæ regulis sese obligarunt. Sæculo decimo tertio ineunte S. Dominicus ordinem Prædicatorum instituit, ut episcopis essent auxilio, præsertim contra hæresim Albigensium tunc grassantem. Idem sub tempus S. Franciscus Assisiensis Fratrum minorum ordinem instituit, paupertatem Christi imitandi causa. Plures ordines militares occasione bellorum cruce signatorum instituti sunt, templarii scilicet, equites Hierosolymitani, aliique.

133. Regulares omnes castitatem, paupertatem, et obedientiam vovent se servaturos, quod votum emittunt post annum sextum decimum suæ ætatis, et expleto jam anno probationis: secus vim non obtinet. Irritum quoque est votum, metu vel vi factum;[1] et declarandum est nullius valoris, si intra quinquennium reclamatio fiat.[2]

134. Sanctimoniales in cœnobia convenerunt eo fere tempore quo monachi. Eadem emittunt vota: sed legi clausuræ arctiori subjiciuntur: nec enim iis licet extra septa monasterii egredi nisi gravissima urgeat causa, v. g: incendium, lepra, epidemia. Nemini licet ingredi monasterium, nisi licentia episcopi et superioris, ob graves causas, impetrata. Excommunicationis censura ligatur qui secus ingrediatur.[3] Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, demandatur clausuræ custodia, qui punit etiam exemptos eam violantes.[4] Quæ in his regionibus reperiuntur piarum fœminarum congregationes, nomine sororum charitatis, sanctimoniales non sunt, quia vota perpetua non emittunt. Carmelitanæ autem et Sorores Visitationis, SSmi cordis Jesu, et Ursulinæ sanctimonialibus accensentur.

135. Fuerunt olim in Ecclesia *diaconissæ*, fœminæ scilicet plerumque provectioris ætatis quæ plurimis pietatis operibus vacabant. Catechumenas edocebant, adstabant dum fœminæ baptizarentur, visitabant ægrotas, mulieres Ecclesiam ingredientes excipiebant, et alia pietatis munera obibant. Ritu quodam, qui tamen sacramenti non habebat rationem, in ordinem illum evehebantur, impositione scilicet manuum. Sed jam desiit nomen et officium in tota Ecclesia.

(1) Cap. i. de his quæ vi.

(2) Conc. Trid. Sess. xxv. Cap. xix. de Regul. Vide etiam constit. Benedicti xiv. *Si datam.*

(3) Conc. Trid. Sess. xxv. cap. v. de Regul.

(4) Gregor. xv. Conc. *Inscrutabili.*

CAPUT XII.

DE SACRO CŒLIBATU.

§. I. De cœlibatus antiquitate.

136. Castitatem servare debent omnes sacris ordinibus insigniti, sive ex voto implicito quod nonnullis videtur emissum a subdiaconis, dum ab episcopo moniti castitatem servandam esse si ordinem illum susceperint, ad eum accedunt; sive, quod verius videtur, ex lege Ecclesiæ. Subdiaconi olim ea lege non adstringebantur, saltem ubique, quos tamen ei subjectos esse voluit S. Leo Magnus,[1] et concilium Aurelianense III.[2] Græci subdiaconos inter clericos minores recensentes, iis liberam relinquunt facultatem nuptias ineundi : quam diaconis verò et presbyteris denegant, consortium tamen uxorum, quas ante ordinem sacrum susceptum duxerant, indulgentes. Sacerdotibus hebdomadem vel saltem triduum continentia ante sacrificii celebrationem præscribitur: Episcopis autem cœlibatus omnino injungitur. Hæc apud eos obtinuit disciplina a sæculo saltem septimo, Synodo Trullana probante.

137. De origine legis continentiæ qua tenentur clerici majores acriter disceptatur. Inter Protestantes plurimi Gregorium VII. ejus faciunt auctorem; et eam iniquam esse, et omnium vitiorum fontem clamitant, Vigilantium in eo imitati, quod " continentiam hæresim, pudicitiam libidinis seminarium" asserant;[3] quamvis non desint qui cœlibatum probant, dummodo penes unumquemque eum colendi arbitrium maneat. Theologi omnes vere catholici legis æquitatem et sanctitatem agnoscunt: sed quærunt utrum Christum habeat auctorem, vel Apostolos, vel Ecclesiæ præsules posteriores. Id tamen in confesso apud omnes est ab ipsis Ecclesiæ primordiis plerosque episcopos, presbyteros, et diaconos integram servasse continentiam, nec unquam uxores post ordines susceptos duxisse. Perronius post Christianum Lupum censet apud Orientales cœlibatus disciplinam moribus plerorumque ab initio comprobatam, esse tamen exempla quæ ostendunt continentiam ab uxoribus ante ordinationem ductis districta lege non fuisse injunctam : quam in occidentali Ecclesia semper viguisse, lege a S. Petro derivata, constanter tenet.

(1) Ep. xiv. c. iv. col. 687. tom. i. edit Ballerin.
(2) Can. ii.
(3) Vide Hieromym. adv. Vigil.

PROPOSITIO.

Numquam licuit clericis qui sacris ordinibus insigniti erant matrimonium inire.

Probatur I. sanctionibus antiquissimis.

138. Constitutiones Apostolicæ quæ pristinam plerumque exhibent disciplinam, id omnino vetant: μὴ ἐξεῖναι δε ἀυτοις μετα χειροτόνιαν ἀγάμοις ὀυσιν ἔτι ἐπὶ γαμον ἐρχεοθαι: "post ordinationem autem, si uxores non habent, (*episcopus, et presbyter et diaconus,*) præcipimus, ut non liceat amplius ducere."[1] Canones Apostolici nubere volentes, postquam in clerum sunt cooptati, ultra lectoris vel Psaltis gradum provehi vetant—Των ἐις κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελέυομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας, και ψάλτας μόνους. Concilium Neocæsareense anno 315, decrevit: "Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur."[2]

139. Ipsi Trullanæ synodi præsules, qui disciplinam Orientalium de cœlibatu eatenus solverunt, quod clericis majoribus uti matrimonio ante ordines susceptos inito permiserint, districte vetuerunt, ne post ordinum susceptionem quis matrimonium iniret: "Quoniam in apostolicis canonibus dictum est eorum qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos lectores et cantores uxorem posse ducere; et nos hoc servantes decernimus ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur."[3]

140. Jus ecclesiasticum vetans clericorum majorum matrimonia civili jure munitum est: "Sacris canonibus," inquit imperator Justinianus, "neque Deo amantissimis presbyteris, neque reverendissimis diaconis aut subdiaconis nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus, sed solis reverendissimis psaltis et lectoribus concedentibus, animadvertimus quosdam despicientes quidem sacros canones," etc.[4] "Si aliquis presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus postea ducat uxorem aut concubinam, aut palam aut occulte, sacro statim cedat ordine, et deinceps idiota sit."[5]

Probatur II. consuetudine perpetua.

141. Totius Ecclesiæ tum orientalis tum occidentalis usus ab antiquissimis vigens temporibus, et numquam interruptus, probat semper nefas habitum conjugium inire post ordines susceptos. Græcorum et orientalium omnium sectarum consensus hac in re aperte nobis suffragatur. Hanc perpetuam consuetudinem ad Apostolos referre necesse omnino est.

(1) Cap. xiii. Labb. t. i. p. 392.
(2) Apud Labb. t. i. p. 1484.
(3) Ibidem t. vi. p. 1144.
(4) L. xlv. cod. de episc. et cleric.
(5) Novell. vi. cap. v.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

142. *Obj.* 1. Non constat de lege Apostolica, vel prioribus Ecclesiæ sæculis lata, qua conjugium post ordines susceptos vetabatur: nam constitutiones dictæ " apostolicæ " carent auctoritate, et recentius editæ noscuntur.

Resp. Omnino constat ex perpetua consuetudine: nec enim existimandum est disciplinam adeo arduam moribus comprobandam, nisi districte ab ipsis Ecclesiæ primordiis injuncta fuisset. Constitutiones apostolicæ magnæ sunt antiquitatis, et canones apostolici concilio Nicæno noscuntur priores, ideoque in plerisque veterem disciplinam exhibent: quæ in hac lege claret.

143. *Obj.* 2. Apostolus dotes episcopi recensens dicit: " si quis sine crimine est, unius uxoris vir—μίας γυναικὸς ἀνὴρ—filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos."[1] Et alias: " Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum . . . . suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate."[2] Hæc obvio sensu indicant hominem mariti officiis et patris fungi posse, absque sui gradus detrimento, imo id omnino decere.[3]

Resp. Vocum quæ objiciuntur vis ex loco parallelo optime intelligitur: " Vidua eligatur non minus sexaginta annorum quæ fuerit unius viri uxor" —ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή.[4] Sensus igitur obvius est virum in episcopum eligendum qui semel tantum duxerit uxorem. Ea tempestate quum homines plerique matrimonio conjuncti essent, in sacris ministris seligendis vix poterat eorum copia haberi qui ætate graves nuptiarum forent expertes, ideoque satis habuit Apostolus jubere, ne quis bigamus ad ordines suscipiendos admitteretur, relicta libertate alios qui semel duxerant uxorem eligendi: quæ regnla semper in Ecclesia servata est. De filiis jam genitis loquitur, uti patet; illud scilicet indicium habet morum optimorum, et profectus ex ejus ordinatione derivandi, si filios habeat bonis moribus ornatos, sibique obtemperantes. Nemo suspicari poterit Apostolum exigere ut uxorem habeat et filios procreet, quod adnotat ipse Rosenmüller: " Cæterum hæc verba Apostoli non exigunt, ut presbyter uxorem habeat, aut habuerit, sed id permisit, dum ne plures una habuerit."[5] Quæ de permissione dicit hic interpres, iis quæ diximus corrigenda sunt; nec enim constat Apostolum permisisse ut episcopus uxoris consortio frui pergeret.

144. *Obj.* 3. Si clericis non liceret uxores suscipere, mirum est Paulum de eo siluisse, Timotheum et Titum de iis edocens.

(1) Tit. 1. 6.
(2) 1 Tim. iii. 2.
(3) Strom. l. iii.
(4) 1 Tim. iii. 9.
(5) In 1. Tim. iii. 2.

Resp. De eorum dotibus qui ad ministerium eligendi erant agebat Apostolus, ideoque de lege qua prohiberentur matrimonio, post ordines susceptos, eum siluisse mirum non est; præsertim quum Timotheus et Titus ordinatorum onera jam nossent, ea edocti dum ipsi ad ministerium sacrum assumerentur.

145. *Obj.* 4. Apostolus de cœlibatu agens eum uniuscujusque arbitrio relictum innuit, et quamvis ob ingruentes persecutiones et vitæ solicitudines melius dicit abstinere a nuptiis, nullum tamen peccatum admitti docet si quis eas ineat, præsertim libidine eum discrimini salutis alias objectura: "Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat . . . Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri."[1] Clericos non excipit, quos proinde matrimonii remedio contra carnis tentationes uti posse manifestum est.

Resp. Apostolus eo loci Corinthiorum quæsitis respondit, qui de cœlibatu et de matrimonii usu plura videntur interrogasse. De laicis agebatur nulla speciali continentiæ lege vel voto adstrictis; ideoque docet Apostolus optimum esse si quis pietatis studio a carnis voluptate omnino se abstineat, sed liberam unicuique relinqui matrimonii ineundi facultatem, et præstare nubere quam cupiditatibus se mancipare, pudicitiæ violatis legibus. De clericorum continentia non erat quæstio, sed verosimile est ex ea et ex laudibus quibus virgineus status efferebatur, occasionem Corinthiis ortam dubitandi utrum culpa aliqua foret inire matrimonium, vel ejus juribus uti. Clericos non posse ad illud veluti remedium confugere, quæcumque eos pulset tentatio, ex totius antiquitatis moribus et auctoritate didicimus; ideoque ad eos non esse referenda quæ de fidelibus universis Apostolus dicit. Profectò aliàs tradit viduas quæ votum castitatis nuncupaverint, si postea nupserint, in interitum ruere, ob violatam fidem Christo præstitam, dum fervore animi elatæ deliciis spiritus fruerentur: et adolescentiores viduas ob id periculi ad ministerium Ecclesiæ, quale diaconissæ obibant, non esse admittendas jubet: "Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt."[2] Quod de ingruentibus persecutionibus veluti cœlibatus commendandi occasione, in objectione dicitur, melius a Calvino ipso explicatur: "propter necessitatem, qua sancti in hac vita urgentur semper, ut libertate ac commoditate cœlibatus fruantur omnes."[3]

146. *Obj.* 5. Apostolus dicit: "honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus."[4] Ergo licet et clericis nuptias inire absque ullo sui status dedecore.

(1) 1 Cor. vii. 2. 9.
(2) 1 Tim. v. ii.
(3) In loc.
(4) Heb. xiii. 4.

Resp. Illa verba Apostoli præcepti instar sunt, jubet scilicet ut connubium servetur quoad omnia, nulla thori labe admissa, hac ratione ejus sanctitatem fidelibus commendans, adjectis etiam divinæ ultionis minis : "fornicatores enim et adulteros judicabit Deus." Explicatio hæc ex ipsa serie orationis deprompta[1] immerito deseritur a Protestantibus, ut honorem clericorum majorum nuptiis contra totius antiquitatis consensum vindicent. Profectò Chrysostomus Theodoro monacho qui uxorem duxerat, nihil suffragari illud Apostoli testimonium censuit: "Bonum quidem nuptias et ipse confiteor: honorabiles, inquit, nuptiæ et cubile immaculatum; fornicatores autem et adulteros judicabit Deus; sed tibi jam non est integrum connubii jura servare, Angelorum enim societati semel junctum, illam relinquere, et uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est; quamvis millies hoc ipsum nuptias voces, ego tamen et adulterio illud tanto pejus affirmo, quanto major ac melior mortalibus angelus."[2]

147. *Obj.* 6. Contra Dei legem qua matrimonium præcipitur, vel saltem sancitur, divina data benedictione: "Crescite et multiplicamini, et replete terram;"[3] Apostoli legem tulisse censendi non sunt, et ne quidem ferre valuerunt.

Resp. Illa verba probant quidem Deum sanxisse nuptias in universum, eisque benedixisse, sed nequaquam ostendunt præceptum operi conjugii vacandi. Apostolus certe commendavit virginitatem: "Bonum est homini mulierem non tangere;" eamque donuum divinitus datum prædicavit; qua ratione divinæ auctoritati derogasse censeri nequit. Exempla utriusque Joannis ostendunt matrimonium unicuique non injungi; quod e contra vetitum esse sacris ministris ex totius antiquitatis consensione liquet. Hujusmodi lex ab Apostolis lata haud temere censetur, quam nihil continere divinæ auctoritati adversum constat, nec enim divinis propagandi humanum genus consiliis repugnat, ut hominum ordo a nuptiis abstineat ad divinis rebus vacandum.

148. *Obj.* 7. Concilium Ancyranum anno 313 permisit nuptias diaconis, qui in ordinatione sua protestati fuerint se non posse continentiam servare: "Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt et dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod episcopus eis licentiam dederit."[4]

Resp. Illud decretum caruit effectu, quum juri universali ecclesiastico, contra quod nil potest singularis episcopus, adversaretnr. Id in confesso est apud ipsos scriptores Græcos, Balsamonem, Zonaram, et Aristenium.

(1) Bloomfield adnotat: "Since the whole context is hortatory, the best expositors in general are, with reason, agreed that the ellipsis here is not ἔστι but ἔστω." In locum

(2) Ad Theodor. mon. ep. vi. t. v. p. 405.

(3) Gen. i. 28.

(4) Conc. Ancyr. apud Labb. t. i. p. 1467.

Generalis lex civili sanctione, Ancyrano statuto e diametro adversa, postea munita est: "Si futurus ordinari diaconus non habuerit uxorem conjunctam sibi, non aliter ordinetur, nisi prius ab ordinante eum interrogatus, promiserit posse post ordinationem et sine legitima uxore honeste vivere: non valente eo qui ordinat, in tempore ordinationis permittere diaconum aut subdiaconum, post ordinationem uxorem accipere."[1] Insuper animadvertendum ipsos patres Ancyranos presbyteris vel episcopis non eam fecisse facultatem.

ANIMADVERSIO.

Ex disceptatis liquet cœlibatus disciplinam, quatenus vetat ne matrimonium post ordinem sacrum susceptum ineatur derivari ab ipsa Apostolorum ætate, et fuisse semper Græcis pariter et Latinis communem: quapropter Anglicani, sectariique omnes inter quos versamur, clericis matrimonium permittentes, toti adversantur antiquitati.

PROPOSITIO.

Cœlibatus lex qua sacris ordinibus insigniti adstringuntur, conjugii usu interdicto etiam iis qui duxerant ante ordinationem uxores, antiquissima est.

Probatur I. Pontificum auctoritate.

149. S. Siricius, pontifex creatus anno 385, cœlibatum commendavit utpote lege insolubili statutum: "Dominus Jesus, cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia legem venit implere, non solvere; ideo Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicii sine macula et ruga eam possit reperire. Quarum sanctionum sacerdotes omnes atque levitæ insolubili lege adstringimur, ut a die ordinationis nostræ sobrietati, et pudicitiæ, et corda nostra mancipemus et corpora; dummodo per omnia Deo nostro, in his quæ quotidie offerimus sacrificiis placeamus. . . . . Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua Sanctitas retulit, ignoratione lapsos se esse deflent: his, hac conditione misericordiam dicimus non esse negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent; si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Hi vero qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec umquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, si quilibet episcopus, presbyter, atque diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam sibi omnem indulgentiæ per nos aditum intelligat ob-

(1) Novell. cxxiii. c. xiv.

seratum : quia ferro necesse est excidantur vulnera quæ fomentorum non senserint medicinam."[1] De lege jam ab antiquis temporibus vigente nullum dubitandi locum relinquit pontifex, tantas pœnas transgressoribus intentans.

150. S. Leo M. legem vigentem etiam agnovit: "Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ episcopis atque presbyteris: qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere, et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde et de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habere, quo et salva sit charitas conjugiorum et cessent opera nuptiarum."[2]

Probatur II. conciliorum decretis.

151. Eliberitanum concilium, quarto sæculo ineunte habitum, sic decrevit: "Placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris, diaconibus et subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis, et non generare filios : quicumque verò fecerit, ab honore clericatus exterminetur."[3] Prohibitionem hanc vetere disciplina nixam esse constat ex aliis quæ damus documentis.

152. Concilium Carthaginense II. anno 390 exhibet episcopum sic loquentem : "Cum in præterito concilio de continentiæ et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationes annexi sunt : episcopos, inquam, presbyteros, et diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos antistites et Dei sacerdotes, necnon et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare ; UT QUOD APOSTOLI DOCUERUNT, ET IPSA SERVAVIT ANTIQUITAS, nos quoque custodiamus. Omnibus placet, ut episcopi, presbyteri, et diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet ut in omnibus, et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt."[4]

155. Carthaginense V. decrevit: "Cum de quorumdam clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit episcopos et presbyteros et diaconos, secundum priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint ab ecclesiastico removeantur officio."[5]

154. Concilium Taurinate anno 397 statuit: "Hi autem qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio filios genuerunt, ne ad majores gradus ordinum permittantur, synodi decrevit auctoritas."[6]

Hæc conciliorum decreta manifestum faciunt, legem cœlibatus quarto

(1) Ep. ad Himerium Tarracon. c. vii.
(2) Ep. xcii. ad Rusticum Narbonens. c. iii.
(3) Can. xxxiii.
(4) Can. ii.
(5) Can. ii.
(6) Can. viii. apud Hard. t. i. col. 960.

sæculo magna cum solicitudine a præsulibus Ecclesiæ executioni demandatam, severissimis adjectis pœnis, et eam ab ipsa antiquitate servatam prædicari, imo ab Apostolis traditam Christo ipso volente tanto decore suam ornari Ecclesiam.

Probatur III. Patrum testimoniis.

155. S. Basilius M. ad Paregorium presbyterum septuagenarium scripsit, hortans ut mulierem secum commorantem dimitteret, ut cœlibatus decor, juxta Nicænum canonem, servaretur: "Nec primi, nec soli, Paregori, statuimus, ne mulieres cum viris cohabitarent: sed lege canonem qui a sanctis patribus nostris Nicææ editus est, qui aperte prohibet ne sint subintroductæ. In hoc autem situm est cœlibatus decus et honestas, quod separati simus a consuetudine et consortio mulierum."[1]

156. S. Epiphanius ait: "Sacerdotium ex virginum ordine præcipue constat, aut si minus ex virginibus, certe ex monachis, aut si minus ex monachorum ordine, ex his creari sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur."[2]

157. S. Hieronymus: "Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes, episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici."[3] Vigilantio clericis conjugii usum vindicanti respondit: "Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti et Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?"[4]

158. S. Augustinus narrat se solere clericorum continentiam aliis, qui vehementes cupiditates se frœnare non posse querebantur, proponere imitandam: "Solemus eis proponere etiam continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt."[5]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

159. *Obj.* 1. Apostolus Paulus suam uxorem alloquitur, ad Philippenses dum scriberet: "Etiam rogo et te, germane compar—συζυγε γνησιε—adjuva illas."[6]

Resp. Vox illa non necessario designat conjugem, sed et collegam, uti adnotat Rosenmüller: "Συζυγος non tantum dicitur de matrimonio junctis, verum etiam de collegis, ut sit pro συνεργος. Intelligit igitur episcopum vel primum inter presbyteros Philippenses. Alii Σύζυγον existimant fuisse nomen proprium."[7] Marem, ut patet, alloquitur Apostolus, qui alias tes-

(1) Ep. ad Paregor.
(2) Expos fidei Cathol c. xxi.
(3) Ep. L.
(4) L. adv. Vigil.
(5) L. ii. de adulterinis conjugiis.
(6) Philip. iv. 5.
(7) In loc.

tatur se cœlibem esse, et cupere ut omnes sui ad instar ea ex parte sint. "Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego."[1]

160. *Obj.* 2. Apostoli omnes uxores duxisse censendi sunt, Joanne forsanexcepto, quem referunt veteres virginem mansisse, id veluti singulare illi tribuentes. Profecto Clemens Alexandrinus cœlibatus vindices arguit: "An etiam reprobat Apostolos? Petrus enim et Philippus filios procreaunt: Philippus autem filias quoque suas viris locavit."

Resp. De solo Petro constat eum olim duxisse uxorem: quum igitur, uti animadvertit S. Hieronymus, "excepto Apostolo Petro, non sit manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint: et cum de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse; de quibus nihil tale Scriptura significet."[2] Cæterum si id concedatur, possumus cum Hieronymo denegare eos post vocationem ad Apostolatum conjugii juribus usum, quum Petrus omnium nomine loquens eos omnia propter Christum deseruisse dicat: "Petrus et cæteri Apostoli, ut ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium nesciebant: qui assumpti postea in apostolatum relinquunt officium conjugale: Nam cum Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum; 'Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te; respondit ei Dominus: 'Amen, dico vobis, quoniam nemo est qui dimiserit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multo plura in sæculo isto, et in sæculo futuro vitam æternam."[3] Joannes ideo a veteribus præ aliis Apostolis celebratur, quod junior vocatus ad apostolatum virgineum decus integrum servasse creditur: "Quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit, et ideo plus amatur a Domino, et recumbit super pectus Jesu. Et quod Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat ut interroget. . . . . et ut brevi sermone multa comprehendam, doceamque cujus privilegii sit Joannes, imo in Joanne virginitas, a Domino virgine mater virgo virgini discipulo commendatur."[4] Quod de Philippi apostoli filiabus dicit Clemens Alexandrinus error est, quum a Philippo diacono, ante ministerium sacrum susceptum, genitæ sint.[5] De Petro autem non constat eum umquam filiam habuisse, quam post apostolatum susceptum genitam non esse ex testimonio veterum explorata res est. Clemens certe, non agit contra cœlibatum, quem laudibus potius effert, sed contra hæreticos qui "dicunt non esse admittendum matrimonium et liberorum procreationem,"[6]

(1) 1. Cor. vii. 8.
(2) L. i. contra. Jovin.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem.
(5) Act. xxi. 9.
(6) L. iii. Strom. §. vi.

161. *Obj.* 3. Apostolus sibi licere contendit uxorem secum etiam in sacris missionibus circumducere, quum Apostolis cæteris id in more esset: "Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?"[1] Hoc de mulieribus piis, de sua substantia Apostolis ministrantibus, non potest intelligi; nam περιαγειν, *circumducere*, nempe in itineribus, est longe aliud, quam ut de mulierum harum studiis explicari possit. Accedit, quod Paulus de publicis sumptibus tractat. Innuit igitur, sibi competere jus postulandi, ut non tantum ipse, sed etiam uxor, quam habere possit comitem, ab Ecclesiis aleretur. Si vero ad tales mulieres provocasset, quæ sine sumptu Ecclesiarum, de suo Apostolis et fratribus Domini victum suppeditassent, plane sua causa cecidisset." Ita Rosenmüller.[2]

Resp. Vox illa non obstat quin Apostolus de iis mulieribus loqui censeatur, quæ religionis studio Apostolos aliquos comitabantur, operam suam illis navantes, tum in re familiari, tum in edocendis fœminis. Quamvis harum quædam de sua substantia ministrarent, aliæ suam tantum operam dare poterant, ideoque sumptus augebantur earum occasione. Equidem orientalium et Græcorum mores ejusmodi erant, ut Apostolis opus esset earum ministerio, et opera: qua tamen carere voluit Paulus, ne oneri esset.[3] "Non uxores demonstrat ab Apostolis circumductas," animadvertit Tertullianus, "quas et qui non habent, potestatem tamen manducandi et bibendi habent; sed simpliciter mulieres, quæ illis, eodem instituto quo et Dominum comitantes, ministrabant.[4]

162. *Obj.* 4. Saltem Petrum uxorem circumduxisse constat, adeo ut ejus cœlibatus post vocationem ad apostolatum gratis fingatur, imo contra Pauli testimonium. "*Petrus*, ut Clemens Alexandrinus l. vii. ex traditione refert, uxorem suam comitem habuit itinerum, quæ et coram ipso ad mortem ducta est." Ita Rosenmüller.[5]

Resp. De Cepha qui apud Corinthios suam operam fidei diffusioni navavit, non certo constat, sunt enim qui eum a Petro putant discernendum. Cæterum nostrum non interest, nam de sorore agit Apostolus, haud, de uxore. Petrum habuisse uxorem ex Evangelio liquet, sed eam fuisse

(1) 1 Cor. ix. 5.

(2) In loc.

(3) "In the eastern countries, for the reason mentioned, Rom. xvi. i. note 3, when people of condition travelled, they either lodged with their acquaintance, or carried servants with them, who provided such things as were necessary to their accommodation in the public lodging-houses. In the Gentile countries, where the apostles preached, they had no acquaintances or friends with whom they could lodge; and therefore some of them, particularly the brethren of the Lord and Peter, found it necessary to carry about with them a *wife* (*woman*) to make provision for them at the expense of those to whom they preached." Macknight.

(4) De monog. c. viii.

(5) In 1. ad Cor. ix. 5.

superstitem, vel conjugii juribus frui, probari nequit scripturæ aliquo testimonio. Ita respondit S. Hieronymus Joviniano: "Possumus autem de Petro dicere, quod habuerit socrum eo tempore quo credidit, ut uxorem jam non habuerit: quamquam legatur in περιοδοις et uxor ejus et filia. Sed nunc nobis de canone omne certamen est."[1] Clemens Alexandrinus traditionem secutus est, et quidem incertam, seu potius fide indignam, quamvis nil dicat quod suadeat eam uxoris juribus usam. De omnibus e contra Apostolis affirmat: "Non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant: per quas etiam in gynæceum absque ulla reprehensione malave suspicione, ingredi posset doctrina Domini."[2]

163. *Obj.* 5. Si cœlibatum injungere voluisset Apostolus, verbis perspicuis usus fuisset, jussissetque ut a mulieris consortio abstineret se episcopus.

Resp. Si quis ex Apostoli verbis id tantum inferat, eum iis qui conjugio ante ordinum susceptionem conjuncti erant, continentiam ab uxoribus haud imperasse, id disciplinæ Catholicæ non obstabit: potuit enim fieri ut in Ecclesiæ primordiis tanta non foret severitas, ob sacrorum ministrorum inopiam, et rerum necessitatem. "In ecclesiastico ordine constituendo," inquit Hieronymus, "quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia, leviora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre non possent."[3] Cæterum nobis certum omnino et exploratum est cœlibatum omnino fuisse injunctum ab initio omnibus sacris ministris qui cœlibes ordines susceperant: longe etiam verosimilius nobis habetur eadem lege adstrictos fuisse qui conjugio fuerant implicati. Id voce illa εγκρατης[4] satis indicari putamus, notum enim est continentiæ notionem ei adeo adnexam fuisse, ut Encratitæ dicerentur hæretici qui nuptias et omnem voluptatem carnis prorsus damnabant.

164. *Obj.* 6. Clemens Alexandrinus Apostoli mentem sic explicat: "Quin et unius quoque uxoris virum utique admittit, seu sit presbyter, seu diaconus, seu laicus utens matrimonio citra reprehensionem: servabitur autem per filiorum procreationem."[4]

Resp. Clemens eo loci dicit: "Si quis autem matrimonium audet dicere fornicationem, rursus legem et Dominum insectans, maledictis impetit." Pergit id probare, ostendendo Apostolum velle ut viduæ juniores nubant, et filios procreent, imo et probare virum unius uxoris, quem presbyterum vel diaconum fieri permittit. Quod addit de matrimonii usu ad laicum, quem ultimo loco nominat, est referendum:—κἂν λαικος ἀνεπιλημπτως γαμῳ χρωμενος.

Obj. 7. De Novato refert Cyprianus: "uterus uxoris calce percussus,

(1) L. i. in Jovin.
(2) L. iii. Strom.
(3) L. i. adv. Jovin.
(4) Tit. i. 8.
(5) Strom. l. xii. p. 476.

et abortione properante in parricidium partus expressus."[1] Quum igitur atrocem hanc uxorem tractandi rationem ei probrum objiciat, liquet clericos consuevisse conjugio uti absque ulla reprehensione.

Resp. Verosimile est id ante sacerdotium susceptum contigisse ; totius enim anteactæ vitæ scelera ei exprobrat Cyprianus : " Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ has de illo exigunt pœnas quas in ejus furore conspicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, et ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, etc." Cæterum si quis contendat eum sacerdotio initiatum hoc sceleris patrasse, schismatici et hæretici hominis exemplum nil facit contra Ecclesiæ universalis mores.

166. *Obj.* 8. Tertullianus uxoris consortio usus videtur, quam hortatus est ne post mortem alii nuberet, rationibus consilii libro expositis.

Resp. Doctissimi critici censent libros ad uxorem scriptos a Tertulliano adhuc laico.[2] Cæterum nil iis continetur quo probetur eum consortio marito frui. Aliàs prædicat continentiam clericorum, quos vocat " viros virgines ac voluntarios spadones."[3] " Quanti in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suæ honorem restituerunt, quique se jam illius ævi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, et totum illud quod intra paradisum non potuit admitti."[4]

167. *Obj.* 9. S. Gregorius Nazianzenus, Theologus nuncupatus, a patre jam episcopo genitus est, uti liquet ex verbis carminis, in quibus filium sic alloquitur :

Ουπω τοσοῦτον εκμεμέτρηκας βίον
Οσος δὴλθε θυσῖων εμὸι χρονος.

Nondum tantam emensus es vitam,
Quantum præteriit mihi sacrificiorum tempus.

Resp. De mente scriptoris non satis constat : id vero exploratum est, Gregorium non ante annum 325 baptismum suscepisse, nam refert filius, episcopis Nicæam contendentibus, patrem desiderium hujus sacramenti Leontio manifestasse, quod paulo post recepit, sacerdotio nonnisi interjecto temporis spatio initiandus : " Non multum temporis interfluxerat, cum ad eam regenerationem, quæ per aquam et spiritus efficitur ipse accedit . . . . Sacerdotium autem suscipit non ea facilitate ac confusione, quæ nunc viget, sed nonnullo interjecto temporis spatio."[5] Ante annum 328 id contigisse vix existimandum est. Jam vero constat ex chronologorum consensione

(1) Ep. xlix. ad Cornel. de Novati sceleribus.
(2) Dom Cellier Biblioth. des auteurs Eccles. t. ii. p. 375.
(3) L. de velandis virgin.
(4) L. de exhort. cast.
(5) Orat. xviii. n. 12. 13. 15.

filium anno 355 vel 356 Athenis in patriam reducem fuisse, triginta annis vitæ vel studiorum fere elapsis :

Καὶ γὰρ πολὺς τέτριπτο τοῖς λογοις χρονος
Ηδη τριακοστὸν μοι σχεδὸν τουτ' ἦν ἔτος.[1]

Jam et multum consumptum erat in studiis tempus,
Jam trigesimus mihi prope hic erat annus.

Id auctor ejus vitæ confirmat :—Τριακοστὸν ἤδη πληρωσας ἔτος ἐν τοις μαθήμασιν, ὕυτω τῇ πατρίδι ἑαυτον ἀποδίδωσι—" Ita demum, trigesimo jam anno in artium studiis exacto, patriæ sese restituit."[2] Igitur anno 328 jam duos vel tres saltem annos natus erat, si triginta annos a nativitate computemus; longe plures verò si totum illud tempus in studiis impensum intelligamus, quod verosimile est.[3] Equidem senectutem ipse causabat cur patri repugnaret episcopatum ei imponere volenti.

168. *Obj.* 10. Socrates narrat Paphnutium concilii Nicæni patribus dissuasisse legem de cœlibatu, quem cujusque arbitrio permittendum voluit.[4]

Resp. Plurimi narrationem Socratis fide haud dignam contendunt, rationibus haud contemnendis adductis.[5] Cæterum si fides ei tribuatur, illud tantum sequetur uxorum ante ordines susceptos ductarum usum non fuisse lege vetitum, de eo enim agit: " Visum erat episcopis legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati (sicut episcopi, presbyteri, et diaconi) cum uxoribus, quas, cum erant laici, in matrimonium duxissent, minime dormirent." Si Paphnutio suadente patres ab ea lege ferenda abstinuerint, mirum est eos uxorem haud excepisse e numero earum quas in domo sacerdotis versari vetuerunt: "Interdixit per omnia magna synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspicionem effugiunt."[6]

169. *Obj.* 11. Vetant canones ipsis episcopis et presbyteris ne uxorem dimittant. Canon sextus inter apostolicos sic se habet: " Episcopus, aut presbyter, uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat, si vero rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, dejiciatur." Concilium Gangrense statuit: "Si quis discernit presbyterum conjugatum, tamquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, et ab ejus obla-

(1) Carm. de vita sua v. 238.
(2) Greg. presb. in vita S. Gregorii.
(3) Vide Natalem Alex. hist. Eccl: t. vii. diss. xix. prop. iii. et opus dictum, Le Célibat Ecclesiastique par M. L'Abbé Jager, Paris 1836.
(4) Hist. Eccl. l. i. c. viii.
(5) Vide opus jam laudatum Le Célibat Ecclesiastique §. ix. p. 98.
(6) Conc. Nic. apud Labb. t. ii. p. 40.

one ideo se abstinet, anathema sit."[1] Episcopæ et presbyteræ etiam, uxores scilicet episcoporum et presbyterorum, passim in veteribus documentis nominantur.

Resp. Canones dicti apostolici noscuntur plura continere quæ improbanda sunt, et ab hæreticis sanctionibus veteribus fraudulente admixta. Cæterum licet objectum decretum intelligere de non deserenda uxore, cui scilicet subveniendum est et consulendum. Concilium Gangrense vetuit ne quis recusaret interesse sacrificio presbyteri qui ante ordinationem uxorem duxerat—γεγαμηκότος; agebarur enim de Eustathii seu Euctati asseclis, qui nuptias prorsus damnantes, a sacerdotibus qui matrimonium, dum laici essent, inierant, abhorrebant, et laicos conjugatos a communione repellebant. Uxores episcoporum et presbyterorum titulos illos qui objiciuntur habuisse fatemur, eas scilicet quæ nupserant laicis, deinceps ad sacra munera evectis : sed inde non sequitur eas thori consortio frui consuevisse.

170. *Obj.* 12. Ante Gregorii VII. tempora cœlibatus lege injunctus non est, nam sacerdotes passim inibant nuptias : quibus semel initis uti, veterum moribus est concessum.

Resp. Quæ adduximus conciliorum et pontificum decreta legem probant quarto sæculo vigentem, quæ ad ipsa Ecclesiæ primordia referebatur. Quod plurimi decimo vel undecimo sæculo illicitas contraxerint nuptias, contra legem, et totius antiquitatis exempla factum est : nec enim sacerdos aliquis noscitur in tantum flagitium incidisse ante finem noni sæculi.[2] Fuerunt quidem prioribus sæculis qui utebantur matrimonio ante ordines susceptos inito, sed animadvertit S. Epiphanius ; " non illud ex canonis auctoritate fieri."[3] Continentiam a canonibus exigi juxta Apostoli verba quæ interpretatur, docet : " Quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit, sed eum duntaxat qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus : quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur."[4]

---

§. II. De cœlibatus excellentia.

171. Antiquissimam esse cœlibatus disciplinam, etiam ea ex parte qua usus conjugii prius initi sacris ministris vetatur, ex disceptatis constat.

(1) Can. iv.
(2) Vide Fleurium hist. Eccl. l. liv. No. 20. et 3. discours sur l'hist. Eccl : No. 13.
(3) Hær. lix.
(4) Ibidem.

Apud occidentales, et ubicumque Apostolicæ Sedis potestas sese directe explicuerit, eam semper viguisse exploratum est: quam Orientalibus, plerisque saltem, communem fuisse plurima probant documenta. Si quæ igitur occurrant in contrarium exempla, prout Perronius post Lupum affirmat, ea videntur veteris disciplinæ laxamenta, hominum infirmitate et conniventia inducta. Cæterum si cui videatur matrimonia post ordines susceptos tantum vetita fuisse initio apud Orientales, usu conjugii prius initi cujusquam permisso arbitrio, per nos licet, ad legis qualis nunc viget in Ecclesia Latina sanctitatem et æquitatem vindicandam festinantes.

172. Ut disciplinæ sanctitas intelligatur, virginitatis præ matrimonio præstantiam probare oportet. Eam olim negavit Jovinianus, quem ob hunc aliosque errores tamquam hæreticum damnavit Ecclesia sæculo quinto. Novatores non puduit fœda ejus placita in lucem iterum producere, quos idcirco percussit anathemate Tridentinum concilium: "Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus; et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit."[1]

PROPOSITIO.

Melius est ac beatius manere in virginitate, quam jungi matrimonio. Probatur I. ex Scripturis.

174. Christus loquitur de eunuchis "propter regnum cœlorum.. Qui potest capere capiut."[2] Vocibus illis indicantur qui pietatis studio a carnis abstinent voluptatibus, quos manet merces æterna; Christo hortante, ut illud vitæ genus eligat quicumque facultatem viresque sibi divinitus datas noverit. Ergo illa vitæ conditio beatior est, utpote speciales habens promissiones.

175. Alias dicit: "Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut *uxorem*, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit."[3] Relinquit autem uxorem qui manet in virginitate, quatenus eam haud ducit: eam reipsa relinquit qui matrimonio jam junctus, ipsa consentiente cœlibem amplectitur vitam. Hæc voluptatis abdicatio Christi causa centuplam mercedem secum trahit et vitam æternam.

176. Apostolus Corinthiis his de rebus respondens dicit: "Bonum est homini mulierem non tangere;"[4] bona scilicet vocare solent Hebræi quæ meliora vel optima sunt. Sic dicit "Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem

(1) Sess. xxiv. Can. x.
(2) Mat. xix 12.
(3) Ibidem, 29.
(4) 1 Cor. vii. 1. "That is by a common idiom *better*." Bloomfield in loc.

sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego."[1] Verbis perspicuis sui exemplum non nuptis et viduis proponit, ut eis suadeat in ea conditione permanere quam bonam esse prædicat, potiorem utique, et beatam. De virginibus postea dat consilium : " Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem—διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀναγκὴν—quoniam bonum est homini sic esse :" τὸ οὕτως ἐναι[2] manere scilicet in ea qua est virginea conditione.[3] Necessitas quæ inest instatque, intelligi potest carnis tribulatio quam conjuges patiuntur,[4] libidini repugnantes vel moderantes, et quæ sequuntur incommoda tolerantes. Vitæ quoque brevis eos vult esse memores Paulus, necesse quippe est a terrenis voluptatibus animum abducere ut saluti consulamus. Pergit igitur virginitatem commendare ex eo quod animum præstet a nimia hujus vitæ solicitudine immunem, ut Deo liberius vacet. " Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro." Has eximias virginitatis utilitates ex contrariis conjugum solicitudinibus merito elevat Apostolus, ostendens spiritus sanctitatem et animæ munditiem ex ea derivari. Virginitatem et conjugium tandem confert, eamque hoc facit potiorem : " Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit."[5] De vidua tandem dicit: " beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego spiritum Dei habeam."[6] Liquet Apostolum viduarum et virginum cœlibatum conjugio anteferre ab rationes ex ipsa conjugii natura desumptas, ideoque omni tempore suam vim retinentes.

177. Virginum merces potior et sublimior conditio ex Apocalypsi habetur: vidit enim Joannes " centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus *(Agni)* et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis." . . Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores : et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno."[7] Quæ mu-

(1) Cor. vii. 7.

(2) Ibidem, 26.

(3) " I. e. sicut virgines sine conjugio scilicet," Rosenmüller.

(4) Bloomfield in v. 28 scribit. " Render : ' However such will have trouble in the flesh,' namely, that of the ἀνάγκη mentioned at v. 26."

(5) I. Cor vii. 38.

(6) Ibidem, 40.

(7) Apoc. xiv. 4.

nera illis tribuuntur ostendunt conditionem virgineam magni fieri, et amplissimam consequi mercedem.

Probatur II. ex Patribus.

178. S. Cyprianus virgines sic alloquitur: "Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major et cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum; Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi."[1]

179. S. Hieronymus ex professo vindicavit virginitatis præstantiam contra Jovinianum. Inter cætera dicit: "Tantum est igitur inter nuptias et virginitatem, quantum inter non peccare et benefacere; immo ut levius dicam, quantum inter bonum et melius."[2]

180. S. Ambrosius: "Quid est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque ejus authorem quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem, Divinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta virginitatis merita sint."[3]

Probatur III. exemplis.

181. Christus Dominus virginitatem summo dignatus est honore, matre electa virgine. Præcursor ejus virgo permansit. Discipulum virgineo decore insignem speciali prosecutus est affectu; et felicem sanctorum in ævo futuro conditionem in eo præsertim angelicæ similem dixit: "in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cœlo."[4]

Probatur IV. rationibus theologicis.

182. Continentia perfecta animum idoneum facit rerum cælestium meditationi, et mentis quibuslibet exercitiis. Sicut voluptatibus dediti facile fiunt hebetes et penitus vitiis mancipati; ita e contra qui cupiditatibus moderantur, easque sibi subditas tenent, virtutes colere magno studio et felici successu possunt.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

184. *Obj.* 1. Quæ Paulus dicit de præstantia vitæ cælibis respicit rerum in quibus fideles tunc versabantur adjuncta—διὰ τὴν ἐνεςῶσαν ἀνάγκην: vox enim eadem Luc. xxi. 21. adhibetur de clade quam Romani illaturi erant. Ob ingruentes persecutiones præstabat familiæ curam non assumere.

Resp. Ipsi adversarii Calvinus, et Milnerus fatentur Apostolum verbis generalibus de virginitate et matrimonio disserere ratione quæ cuili-

(1) L. de disciplina et habitu virginum.
(2) L. adv. Jovinian.
(3) L. 1 de Virginibus.
(4) Matt. xxii. 30.

bet ætati, et quibuslibet rerum adjunctis conveniat. Profecto nullas enumerat causas præter matrimonii tentationes, solicitudines, et onera, quæ illi muneri inhærent, quibus liberam animi conditionem eorum qui abdicata voluptate Deo vacant, opponit. Quod vox illa ἀνάγκη aliquando denotet maximam rerum desolationem, non potest obstare quin hic intelligatur obvia significatione de præsenti necessitate, ex curis matrimonio adnexis, quæ obstant ne breve vitæ spatium totum impendatur salutis operibus.

184. *Obj.* 2. Apostolus non loquitur de merito coram Deo, sed "de temporali bono, commodo, et quiete in hac vita." Ita Lutherus.[1]

Resp. Profecto edocebat Apostolus fideles de divina voluntate, Spiritum enim Dei se habere non temere dixit. Virginitatem prodesse docet ut virgo sit sancta corpore et spiritu, et hominem innuptum solicitum esse rerum Dominicarum quomodo placeat Deo. Hæc majora sunt quam quæ de sola animi quiete explicari possint.

185. *Obj.* 3. Quæ de virginibus in Apocalypsi dicuntur, de animabus idololatria haud maculatis intelligenda sunt, fornicationis enim sub imagine idololatria apud prophetas consuevit designari.

Resp. Non interest utrum animas idololatria labe immunes, vel virgines intelligamus; constat saltem eam adhiberi imaginem quæ rei conveniat, ideoque virginum puritatem et præmia valde commendari.

186. *Obj.* 4. Singulare vitæ genus quo homo a consortio marito se abstinet, naturæ repugnat, ideoque tristem facit hominem et austerum, et morbos plurimaque incommoda secum trahit, ut de peccatis, quorum est causa, sileamus.

Resp. Naturæ non repugnarunt uterque Joannes, Paulus, et tot sanctissimi viri qui cœlibatum coluerunt; sed cupiditatibus restiterunt, mentis exercitiis quæ hominem, christianum præsertim, decent, vacantes. Quanto mens corpore præstat, ea potiora habenda sunt officia, et magis congrua naturæ, quæ homo facit, ratione et animi affectibus utens. Hilares maxime sunt et benigni plurimi castitatis cultores, iisque viribns fruuntur et valetudine, qua carent sectatores voluptatis. Quod de peccatis asseritur, caret fundamento, nam cœlibatus quem vindicamus ille est qui corpus et animam amplectitur: a quo quis peccato decidit.

187. *Obj.* 5. Cœlibatus perfectus, qualis a Catholicis depingitur, nullibi reperitur: ergo tota quæstio de mera notione est, rei veritate non respondente.

Resp. Non mera est notio, quamvis enim ea sit hominum conditio ut facile labem contrahat quisquis maxima non usus fuerit vigilantia, humili effusa prece; tamen Dei adjutorio gravis omnis culpa poterit evitari. Exempla numero infinito suppeditat Ecclesiæ historia, et etiam hodierna experientia, prout constat veris rerum æstimatoribus.

(1) In Epithalamio.

188. *Obj.* 6. Cum reipublicæ et Ecclesiæ detrimento prædicatur cœlibatus excellentia, quum numerus civium ita minuatur, et imbellium turmæ huc illuc congregentur.

Resp. Inania sunt quæ de civium diminutione objiciuntur, plerumque enim aucto in immensum numero graviora fiunt onera reipublicæ. Cæterum longe magis augetur numerus, sanctissimis morum præceptis servatis quæ cœlibes Christi sacerdotes sedulo tradunt. Nec imbelles fiunt qui sanctam hanc insistunt semitam, sed pro sui status conditione reipublicæ student.

---

§. III. De cœlibatus convenientia.

Sanctissimam et vetustissimam cœlibatus disciplinam contra novatores nuptiis inhiantes vindicarunt patres Tridentini: "Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum nil aliûd esse quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari."[1]

PROPOSITIO.

Sanctissima est cœlibatus disciplina, et sacris ordinibus maxime conveniens.

Probatur I. ex Scripturis.

189. S. Paulus ad Titum scribens continentiam inter dotes sacrorum ministrorum recenset: "Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: . . . . sobrium, justum, sanctum, continentem"—ἐγκρατῆ[2]—Hujus vocis vis obvia omnimodam castitatem indicat, quo sensu verbum usurpatur ab Apostolo: Εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται γαμησατωσαν, "quod si non se continent, nubant;" de iis loquentes qui nulla lege vel voto ad continentiam adstringebantur."[3]

190. "Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi,

(1) Sess. xxiv. can. ix.
(2) Tit. i. 7.
(3) I Cor. vii. 9.

quomodo placeat uxori, et divisus est."[1] Cœlibatus igitur animum solicitudine mundana vacuum relinquit, ut quis Dei rebus vacet: proinde maxime convenit iis qui ad sacrum ministerium assumpti sunt. Hinc scripsit Paulus ad Timotheum: "Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate."[2]

Probatur II. patrum testimonio et judicio.

191. Origenes ait: "Si oratio justi sicut incensum offertur in conspectu Domini, et elevatio manuum ejus sacrificium est vespertinum; dicit autem Apostolus iis qui in conjugiis sunt: 'Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum in idipsum sitis;' certum est quia impeditur sacrificium indesinens iis qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti et perpetuæ se devoverit castitati."[3]

192. S. Cyrillus Hierosolymitanus animadvertit: "Decebat purissimum puritatis doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Jesum bene fungitur sacerdotio, abstinet a muliere: quomodo ipse Jesus ex muliere prodiisset?"[4]

193. Eusebius de sacris ministris loquens: "His autem ipsis, ut melioribus studiis vacent liberius, sejunctus a re uxoria victus adamatur, veluti iis qui divina et incorporea sobole propaganda occupati teneantur: et non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint." Et infra: "Verumtamen eos qui sacrati sint, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet; qui autem non ad tantum assumpti sint sacerdotii munus, iis idem sermo divinus indulget, ac palam omnibus prædicat, quod honorabile sit conjugium, et thorus immaculatus, fornicatores et adulteros judicaturus sit Deus."[5]

194. S. Gregorius Nyssenus: "Quomodo Dei sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum ut munus offerres unctus es? Munus sane non omnino alienum, neque suppositum ex iis quæ tibi extrinsecus eveniunt, sed revera tuum, quod est homo tuus interior, qui tamquam agnus

(1) Ibidem 7. Josephus Milner, Anglicanus, in Ecclesiæ historia fatetur Apostolum cœlibatum commendare, Corinthiis respondendo: "In answer to their queries, he recommends celibacy as preferable to matrimony where a man can practise it, and that I think from general reasons, as more favourable to holiness without however depreciating matrimony. . . . . I should not wonder, if some persons should startle at what I have mentioned as the sentiments of St. Paul, though it be almost impossible for any unprejudiced person to understand him otherwise." Hist. of the Church, cent. i. ch. xi.

(2) 1 Tim. iv. 12.

(3) Hom. xxiii. in l. Num.

(4) Cat. xii.

(5) L. 1 de dem. Ev. c. ix.

innocens, et perfectus esse debet, ab omnique macula ac sordibus remotus. Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est cur Mosen non audias, qui populo edicit, ut a nuptiis purus sit, quo Dei aspectum comprehendat?"[1]

195. S. Epiphanius canones violatos a quibusdam clericis, conjugii ante ordines susceptos initi utentibus jure, querens, ait: "Quod ad ipsam quidem Ecclesiam attinet, ea, utpote a Spiritu Sancto bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimum instituit; ut quæ divino Numini ministeria præstantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur; utque spiritalia omnia officia quam optima lætissimaque conscientia gerantur. Hoc igitur dico propter subitas functiones atque officia convenire, ut presbyter, ac diaconus, et episcopus Deo penitus vacet. Nam si illis etiam, qui e populo sunt, id ipsum Apostolus præcipit: Ut, inquit, ad tempus vacent orationi; quanto id magis Sacerdoti præscribit? Nimirum nullis ut impedimentis avocetur; quod in spiritualibus secundum Deum negotiis in ipso usu sacerdotii, administrationeque ferietur."[2]

196. S. Leo M. ad Anastasium episcopum Thessalonicensem: "Nam cum extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconibus quidem connubium carnale concediur: ut et qui habent, sint tamquam non habentes; et qui non habent, permaneant singulares. Quod si in Ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut levitico ministerio, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria nedum frænasse detegitur?"[3]

Probatur III. ex conciliis.

197. Concilium Turonense I. anno 461. "Cum ergo laico abstinentia imperetur, ut possit orationi vacans, et Deum deprecans exaudiri: quanto magis sacerdotibus, et levitis qui omni momento parati esse debent in omni munditia, et pietate securi, ne aut sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur?"[4]

198. Concilium Arvernense, anno 535. "Cum presbyteri atque diaconi sublimi dignitatis apice prorogantur, actibus omnino renuntient sæculi, et ad sacrum electi ministerium, repudient carnale consortium, ac permixtionis pristinæ contubernium permutent germanitatis affectu: et quisquis ille est presbyter, atque diaconus, divino munere benedictione

(1) L. de Virg. c. ult.
(2) Hær. lix.
(3) Ep. lxxxiv. c. iv.
(4) Can. i.

percepta, uxoris prius suæ frater illico efficiatur ex conjuge: attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos, abjecto militiæ cingulo, vomitum pristinum, et inhibita rursus conjugia repetiisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus sacerdotii violasse; quod nati etiam filii prodiderunt. Quod quisquis fecisse cognoscitur, omni in perpetuum, quam admisso jam crimine perdidit, dignitate privabitur."[1]

Accedunt rationes theologicæ.

199. Ex sanctitate munerum quibus fungitur sacerdos liquet expedire ut carnis voluptatibus careat, et Christi Domini exemplum proxime imitetur: ejus quippe fungitur vicibus in oblatione quotidiana, quem munditie eximia animi exhibere decet. Sanctissimam debet enuntiare doctrinam, et cœlibatum commendare, ad instar Apostoli, quem exemplo etiam suadere oportet. Peccata dimittendi et retinendi exercet potestatem, confessiones virorum mulierumque excipiendo: vix autem mulieres puellæque sui cordis arcana panderent homini marito officio fungi consueto. Morientibus præsto esse debet, sacra unctione et ultimis subsidiis eos donaturus, etiam cum sui discrimine. Hoc munus non facile obit, qui uxori filiisque se morbum afferre timet. Solicitudine nimia divitiarum urgetur qui proli consulere debet, dotes et omnia vitæ subsidia suppeditando. E contra qui sacrum colit cœlibatum, Deo rebusque divinis, et aliorum saluti, totus vacare potest. Est igitur sanctissima disciplina: æquissima pariter: nam hoc oneris nemini invito imponitur, sed solemni præmissa petentibus subdiaconatum ab episcopo monitione: " Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitio ad sæcularia vota transire: quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo cui servire, regnare est, perpetuò famulari; et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est cogitate, et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini, huc accedite."[2] Libera suscipientium ordines voluntate contrahitur hæc cœlibatus obligatio: et nonnisi ob gravissimas causas injungitur, quum sanctissima sint munera, quæ obvio cuiquam non sunt committenda. Sapientissimo porro consilio Ecclesia illud exigit tamquam sinceræ voluntatis pignus et indicium quod quis se totum divino ministerio dicaturus sit, abdicatis penitus carnis voluptatibus.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

200. *Obj.* 1. Christus vetat matrimonii jura relaxari: " Quod Deus conjunxit, homo non separet;"[3] et Apostolus conjuges monuit: " Nolite

(1) Can. xiii.
(2) Pontificale Romanum.
(3) Matt. xix. 6.

fraudare invicem."[1] Ergo iniqua est et nulla lex cœlibatus qua saltem parte derogat matrimonio.

Resp. Eo loci Christus vetat solvi matrimonium, et abrogato divortii jure vinculum statuit perpetuum, nonnisi morte alterius conjugis solvendum. Hoc sancte servat Ecclesia, nec permittit mulieri ad secundas convolare nuptias, nisi post mortem mariti ad sacros ordines assumpti. Cæterum ne ipsi fiat injuria, vetat merito ordines suscipere, nisi ex mulieris libero consensu, qui si defuerit, jura conjugii tuetur, et ordinatum sacris muneribus carere jubet, ut officio marito vacet. Adimpletur igitur et Apostoli præceptum, nec uxor fraudatur; consensus enim ad tempus datus jura suspendit, Paulo docente, qui indulgendo dicit se statuere temporis limitem; consensus in perpetuum proinde jura illa prorsus tollit, vinculo conjugii manente.

201. *Obj.* 2. Apostolus prædixit in novissimis temporibus dæmoniacam doctrinam quorumdam prohibentium nubere propagandam. Ipsa est lex cœlibatus clericos majores obstringens.

Resp. Apostolus locutus est de hæreticis nuptias prorsus vetantibns, qui et carnes manducandas pari rigore prohibebant, ad malum principium, seu dæmonem, earum originem, sicut et nuptiarum, referentes. Eos satis depingit, ut nemo falli queat: "attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus et iis qui cognoverunt veritatem."[2] De Marcionis, Tatiani, Manetis aliorumque sectatoribus optime Apostolus explicatur, juxta veterum sensum. Equidem Ecclesia Catholica non prohibet nuptias vel carnes in universum, sed Deum e contra illarum auctorem prædicat, sacramenti dignitatem in iis agnoscens. Vetando autem clericis majoribus nuptias inire, disciplinam ab Apostolorum ætate derivatam, et Pauli ipsius exemplo, et consiliis, ut de præcepto interim taceam, tuetur.

202. *Obj.* 3. Iniqua est lex quæ arduum nimis virtutis opus injungit, denegato quod communis fragilitas postulat remedio. Hinc inter cœlibatus assertores pauci noscuntur casti, et immania et publica in plerisque regionibus occurrunt flagitia.

Resp. Lex nemini id virtutis opus injungit, nisi qui se ei parem professus fuerit, monitus jam coram altari ab episcopo. Sibi igitur unusquisque imputet si cupiditatis vehementiores impetus sustineat, quin agat triumphum de hoste; vel enim temere se ingessit in ministerium, vel subsidiis sibi datis uti neglexit. Profecto si sedulo sanctis vacaveri tmeditationibus, et toto cordis affectu oraverit Deum, vigil alioquin et humilis, non est dubitandum opem ei brevi præstandam. Quod de impudicorum numero

(1) 1 Cor. vii
(2) 1 Tim. iv. i.

et flagitiis dicitur, detrahentium sanctissimæ disciplinæ calumnia est, reperiuntur enimub ique terrarum episcopi, sacerdotes, aliique inferiores ministri vitam ducentes illibatam Deo hominibusque probatam. Quod si aliquando contraria occurrant exempla, sanctissimæ disciplinæ præjudicium non debent facere: hominum enim vitia legi non derogant. Si illud quod pseudo-politici, vel ipsi libidinis sectatores, postulant remedium adhiberetur, tolleretur Ecclesiæ universæ decus virgineum, et vitia sæpissime nuptiarum velo tegerentur: facile scilicet contingit ea latere, vel nota levi reprehendi, quæ in cœlibi sacerdote et innotescerent, et gravissime damnarentur.

CAPUT XIII.

DE MULIERUM ORDINATIONE.

203. Fuisse in veteri Ecclesiæ pias quasdam mulieres diaconissarum nomine ad quædam munia admissas jam adnotavimus, easque ritu quodam in cœtum adlectas. Eas tamen non fuisse sacra potestate, vel ullo sacerdotii munere donatas constat, perpetua enim fuit fides mulieres divino jure excludi a sacro ministerio. Hæretici sæpius iis blandiebantur, sacra ei demandantes munera. Sic Marcus de Valentinianorum et Gnosticorum grege iis faciebant facultatem conficiendæ eucharistiæ. Collyridiani quarto sæculo in Arabia sacerdotissarum opera panis collyridem in sacrificium virgini offerebant. *Quakeri* apud nos nullum munus mulieribus committunt, sed iis æque ac viris libertatem loquendi in cœtu faciunt, si Spiritu se commoveri existimarint. *Shakeri* mulierem veluti matrem suæ sectæ habent, Annam Lee e Quakeris olim, sed quæ anno circiter 1770 in Anglia, aliis Spiritu pariter toto corpore agitatis se sociam dedit. Ejus labores magna cum laude commemorant, haud verentes ministerium ei tribuere.[1]

PROPOSITIO.

Mulieres divino jure excluduntur ab ordinibus sacris, et omni sacri ministerii munere.

Probatur I. ex Scriptura.

204. Apostolus jubet: "Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur iis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit; si qui autem volunt discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia."[2] "Mulier in silentio discat cum omni subjectione: docere autem mulieri

(1) "In the Fifth month 1781, Mother and the Elders left *Water-Uliet*, and visited the distant parts, from place to place; where the Gospel had been received; and in all the principal places which they visited, they were resorted to from the adjacent parts; and their ministry being every where accompanied with the gifts of the Holy Ghost, in searching out sin and purging iniquity from the soul, Believers were built up in their *most holy faith*." The testimony of Christ's second appearing. Introduction p. xxxiv. DUX FEMINA FACTI.

(2) 1 Cor. xiv. 34.

non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio."[1] "Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ."[2] Quum nec docere, nec loqui in Ecclesia mulieribus permittatur, liquet eas ab omni sacro munere excludi.

Probatur II. ex Patribus.

205. Tertullianus ait: "Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare."[3]

206. S. Epiphanius: "Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quidquam præstare eis in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariæ illud in novo Testamento committi sacerdotis officium debuit;—verum longe Deo aliter est visum."[4]

207. S. Joannes Chrysostomus: "quando de Ecclesiæ præfectura agitur, universa quidem muliebris natura, functionis istius moli ac magnitudini cedat oportet."[5]

Accedit ipsa rerum convenientia, quæ dictat mulierem non debere in gradu eminentiori constitui, Dei vices obeuntem in iis quæ pertinent ad animæ salutem.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

208. *Obj.* 1. Saltem prædicare possunt mulieres, Spiritu Dei eas movente, nam vir et mulier unum sunt in Christo Jesu.

Resp. Vir et mulier unum sunt in Christo, quatenus utrique competunt jura paria in iis quæ ad animæ salutem sunt necessaria; munera autem sacra Apostolis tradita sunt, non item mulieribus, quibus ne loquerentur in Ecclesia prohibuit Paulus.

209. *Obj.* 2. Apostolus arguit mulieres loquaces, quæ interrogationibus importunis molestiam creabant.[6] Constat autem mulieres vaticinatas esse et prædicasse, quum Petrus Joelis vaticinium impletum affirmet: "Super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt."[7]

Resp. Apostolus absque discrimine omnem publice loquendi et docendi facultatem mulieribus denegat, nec nimia quarumdam loquacitate innititur. Quod autem Joel de dono prophetiæ mulieribus communicando enuntiavit, munus docendi non probat, aliud est enim ex Spiritus sancti inspiratione enuntiare futura, quod Mariæ, Matri Domini, aliisque contigit: aliud auctoritate tradere fidei veritates, vel sacra obire munia.

(1) I. Tim. ii. 11.
(2) Eph. v. 22.
(3) L. de Vel. virg. c. viii.
(4) Hær. lxxv.
(5) L. II. de Sacerd.
(6) "To reprove the inconsiderate and talkative women among the Corinthians, who troubled the church of Christ with their unprofitable questions." Barclay, Apology, prop. x. §. xxvii.
(6) Act. ii. 17.

210. *Obj.* 3. In ipsa ad Corinthios epistola, in qua fœminæ loquaces reprehenduntur, traduntur regulæ quibus dirigantur mulieres publice predicantes et orantes: ergo a mente Apostoli alienum fuit iis vetare publicum verbi ministerium.

Resp. Quæ tradit Paulus de coma colenda, et de velo capitis adhibendo, non spectant prædicationis vel orationis munus, sed cœtus publicos, in quibus quomodo mulieres se gerere debeant, et qua ratione induendæ, docet. De publico munere ab iis exercendo ne verbum quidem.

211. *Obj.* 4. Paulus mulierem laudat quæ una cum ipso laboravit in Evangelio: "Salutate Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino."[1] "Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio."[2]

Resp. Laborant utiliter mulieres quando piis vacant operibus quæ in utilitatem Evangelii cedunt. Plurimæ egregiam præstiterunt operam hac ex parte, quas debitis ornavit laudibus Paulus, quin sacrum aliquod munus iis attribueret.

212. *Obj.* 5. Experientia constat plurimos mulierum ministerio ad Deum conversos, quod indubium facit hoc Deo gratum.[3]

Resp. Nulla experientia valet contra manifestum Pauli vetitum, tota suffragante antiquitate christiana. Suo spiritu falluntur qui specie quadam se duci patiuntur.

(1) Rom. xvi. 12.

(2) Phil. iv. 3.

(3) "It hath been observed, that God hath effectually, in this day, *converted many souls* by the *ministry of women*; and by them also comforted the souls of his children; which manifest experience puts the thing beyond all controversy." Barclay's Apology, Prop. x. § xxvii.

CAPUT XIV.

DE ORDINATIONIS EFFECTIBUS.

213. Vindicato sacro cœlibatu, quæ de ordine diximus summatim repetere juvat, antequam tractatum claudamus. Sacræ ordinationis effectus ex disceptatis colliguntur. Imprimis, χαρισμα tribuitur, *donum* scilicet quo potestas ad sacra obeunda munia datur, et anima fit Deo acceptior. Hinc precatur episcopus juxta Euchologium Græcum: "quem tibi presbyteri gradum subire complacuit, dono Sancti tui Spiritus adimple." Juxta Pontificale Romanum dicit: "Super hos famulos tuos benedictionem Sancti Spiritus et gratiæ sacerdotalis infunde virtutem." Verba autem Apostoli interpretatur S. Joannes Chrysostomus: "gratiam quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, et ad omne religionis obsequium, quippe hanc vel excitare, vel extinguere in nobis est."[1] Hinc S. Thomas Aquinas adnotat: "Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque; sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi qui ordinem suscipiunt super plebem constituuntur gradu ordinis; ita et superiores sint merito sanctitatis: et ideo præexigitur gratia, quæ sufficiebat ad hoc quod digne connumerarentur in plebe Christi: sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei."[2]

214. Characterem quoque imprimi ex eo colligi potest quod Apostolus charisma illud in Timotheo manere dicat. Equidem ex Augustino didicimus baptismum et ordinem ea ratione convenire, ut neuter penitus amitti possit. Hinc perpetua consuetudo Ecclesiæ fuit numquam iterare ordines semel datos; ordinatos etiam ab hæreticis et schismaticis pœnitentes suscipere, absque nova ordinatione, quamvis aliquando ritus haud absimilis perageretur, ut omnibus pateret Ecclesiæ auctoritate eos in posterum sacra obituros munia. Merito igitur Tridentini patres anathemate percussit eum qui dixerit ex sacerdote laicum fieri posse; id enim perpetuo Christi sacerdotio, quod ordinatione communicatur, et constanti Ecclesiæ traditioni et fidei repugnat. Dat potestatem et gratiam ad singulos ministerii actus; sed oportet eam haud negligere. Suscitanda est oratione et pietatis exercitiis, quum vigiles nos jubeat esse Deus.

(1) Hom. 1 in Tim.
(2) In Suppl. qu. 35, art. 1, in c. in resp. ad 3.

215. Hi effectus tribuuntur episcopatui, sacerdotio, et diaconatui, quum unicuique sacramenti ratio videatur competere. Minores ordines et subdiaconatus eosdem habere effectus censentur ab iis theologis, qui ea sacramenta censent. Cæteri existimant gratiam in ijs suscipiendis datam, totam pendere ex Ecclesiæ precibus, et pia suscipientium voluntate : nullum porro imprimi characterem, ideoque posse absque culpa eum ad sæculum redire, qui minores tantum ordines susceperit : non item subdiaconum, jam enim lege cœlibatus et perpetui ministerii tenetur, prout monet Pontificale.

216. Onera ordinibus inferioribus et tonsuræ annexa nulla sunt ; habitum tamen ecclesiasticum, talarem scilicet vestem, et tonsuram deferre debent, qui privilegiis clericorum frui velint. Sic indutos canones jubent subdiaconos et majores omnes clericos incedere,[1] et divinum quotidie recitare officium,[2] et illibatam servare castitatem. Quum lex irrita declarans hujusmodi matrimonia a summis pontificibus lata, et pluribus in conciliis œcumenicis probata sit,—concilio scilicet primo et secundo Laternanensi anno 1123[3] et anno 1139[4]—,liquet concilium Tridentinum optimo jure anathemate percussisse eum qui diceret ea valere, non obstante lege ecclesiastica. Equidem constat ex Christi verbis rata fore in cœlis quæ Ecclesia in terris solvit et ligat, ideoque nullius prorsus vis sunt quæ ejus legibus spretis attentantur. Obedientiam et reverentiam etiam sancte pollicetur sacerdos episcopo, quæ in munere adimplendo juxta Ecclesiæ sanctiones, et in mandatis eum in finem directis excipiendis et exequendis præcipue exercenda est. Hæc de ordine sacro breviter dixisse sufficiat.

474181

TRACTATUS XVI.

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

DE HONESTATE MATRIMONII.

1. Matrimonium dictum videtur quasi matris munium, quia eo dirigitur ut proles pariatur et alatur. Ipse matrimonii *contractus* definitur, contractus legitimus virum inter et fœminam quo sibi invicem suorum corporum dominium perpetuum tradunt in usum conjugii. *Status* matrimonii seu conjugum conditio dicitur in catechismo Romano: "viri et mulieris maritalis conjunctio, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens."

2. Veteres quamplurimi hæretici nuptias prorsus damnarunt, Saturninus scilicet, Marcion, Tatianus, Encratitæ, Eustathiani Manichæi, quorum propago in Albigensibus visa est. Anna Lee, nata in oppido *Manchester*, de qua antea verba fecimus, contra *carnem* veluti totius mali *radicem* anno 1770 testimonium publice tulit, omne viri et mulieris commercium reprobans. In Americam postquam ex ergastulo, in quo veluti amens detenta erat, dimissa fuisset, anno 1774 pervenit, ex quo secta in varias diffusa plagas oppida habet, vel ædificia perampla oppidorum ad instar, in provinciis Ohiensi, Kentuckiensi, et alibi. Homines mulieresque in eadem domo vivunt, sed cellulis separatis, et se ab omni carnis voluptate abhorrere vehementer profitentur. Hi nuptias profanas æstimant, turpitudinisque velamen:[1] in eo constituentes originis peccatum quod

(1) "How then is it, that the fallen posterity of Adam have under the sacred pretext of a command or ordinance of God, pretended to solemnize that which in itself is profane, and to sanctify that unclean thing, out of which they have proved to a demonstration that they can bring nothing clean?" The Testimony of Christ's second appearing p. 1. ch. iv. n. 67. *The mystery of iniquity.*

Heva Adæ expetierit consortium maritum.[1] Pestem idcirco in Manichæorum variis propaginibus toties recisam, iterum exscindere opus est.

PROPOSITIO.

Matrimonium est de se licitum et honestum.

Probatur I. ex Scripturis.

4. "Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi." "Dixitque Adam . . . relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una."[2] "Masculum et fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram."[3] Geneseos verbis paulo ante citatis a Christo relatis ita concludit: "Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet."[4] "Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. . . . Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum revertimini in idipsum. . . . . "Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri. Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. . . . Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri, quod vult, faciat; non peccat, si nubat. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit melius facit."[5] "Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere."[6] "Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse."[7] "Adam non es seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione, cum sobrietate."[8] "Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus."[9] Christus refertur nuptiis adsistens, miraculum, aqua in vinum mutata, patrasse.[10]

Probatur III. Conciliorum authoritate.

Gangrense sæculo IV. contra Eustathium. "Si quis vituperat nuptias,

(1) The Testimony of Christ's second appearing ch. iii. n. 19.
(2) Gen. ii. 18. 23.
(3) Ibidem i. 27.
(4) Matt. xix. 6.
(5) 1 Cor. vii. 2.
(6) 1 Tim. iv. 1.
(7) Ibidem v. 14.
(8) Ibid. i. 15.
(9) Heb. xiii. 4.
(10) Joan. ii.

et dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit." "Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tamquam abominabiles nuptias judicat, et non propter hoc solum, quod continentiæ et virginitatis bonum sit, sanctumque propositum; anathema sit." "Si qua mulier virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias exsecrans, anathema sit."[1] Toletanum I. anno 400. "Si quis dixerit, vel crediderit, conjugia hominum, quæ secundum legem divinam licita habentur, execrabilia esse, anathema sit."[2] Bracarense I. anno 561. "Si quis conjugia humana damnat, et procreationem nascentium perhorrescit, sicuti Manichæus et Priscillianus dixerunt, anathema sit."[3] Patrum testimonia referre supervacaneum videtur.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

6. *Obj.* 1. Apostolus ait: "Bonum est homini mulierem non tangere."[4] Quum autem conjugibus permittere videatur carnis commercium, id se profitetur facere "secundum indulgentiam;"[5] scilicet cum nosset eos flagrare libidine, censuit unam præ pluribus uxorem illis permittendam.[6]

Resp. Apostolus præstantiam virginei status prædicat, sed conjugium probat, et ejus jura inculcat, adeo ut conjuges doceat teneri ad sibi invicem officia præstanda, veluti stricta lege debita. Quod autem indulgentiam vocat hanc quæ tradit disciplinam, respicit conjugii officium quod non imperatur a Deo, sed veluti indulgetur; liberum enim est conjugibus ex mutuo consensu ab eo abstinere. Non igitur censendus est Apostolus tantum tolerare unius conjugis societatem maritam, sed sancire; quod utique non contigisset si de re mala ageretur.

7. *Obj.* 2. Apostolus minatur conjugibus carnis ærumnas, libidinis scilicet ignes, ut eos a conjugio deterreat.

Resp. Monet quidem conjuges plurima secum trahere incommoda, onera, et pericula id vitæ genus; sed nihil dicit quod peccatum necessariò ei inhærere significet. Non autem damnanda est vitæ ratio, quæ per se innocua, aliquod habet discriminis vel incommodi.

8. *Obj.* 3. "Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt."[7] Igitur matrimonii usus tantum tolerabatur, donec possent induci homines ad crucem suam amplectendam.

Resp. Ii in carne intelliguntur esse, qui suis cupiditatibus se totos de-

(1) Can. i. ix. xiv.
(2) Can. xvi.
(3) Can. xi.
vii. 1.
i v. 6.
ıony of Christ's second appearing, p.
viii. 8.

dunt; non item qui eas coercent intra justi matrimonii limites. Ideo Apostolus universos fideles alloquens, qui plerique vitam ducebant maritam dixit: "Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis."[1] Quæ monita dat conjugibus, ne fraudent se mutuò, et ut iterum revertantur in idipsum, si ad tempus ex consensu vacaverint orationi, ostendunt haud agi de re quam dissimulabat, sed quam omnino probavit.

9. *Obj.* 4. Res uxoria homines a cœlesti regno detinuisse refertur, ea enim fuit cujusdam excusatio: "Uxorem duxi, et ideo non possum venire."[2]

Resp. Plurima quæ licent sæpius sunt occasiones salutis officia negligendi: quæ tamen non ideo sunt improbanda; sed cavendum ne ita iis inhæreamus, ut quod unice necessarium est haud impleatur. Equidem inter excusationes recensentur boum et villæ emptio, quam tamen nemo facile dixerit lege divina vetitam.

10. *Obj.* 5. Patres nuptias damnant. *Tertullianus* explicans locum Apostoli: "melius est nubere, quam uri," dicit, "Sic accipiendum est, quomodo melius est uno oculo, quam duobus carere: si tamen a comparatione discedas, non erit melius unum oculum habere, quia nec bonum."[3] Siricius matrimonium vocat 'pollutiones.'[4] S. Hieronymus "Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere. Nihil enim bono contrarium est, nisi malum. Si autem malum est, et ignoscitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat."[5]

Resp. Tertullianus, jam Montanista, secundas nuptias eo loci damnat: prima autem fœdera semper tuitus est. Siricius 'pollutiones' vocat illicitas eorum conjunctiones, qui vinculo continentiæ antea erant devincti; sacerdotum, monachorum, vel laicorum qui publicam egerant pœnitentiam. S. Hieronymus 'mali' vocabulum mitiori sensu adhibet, ut indicet ærumnas quæ ex matrimonio facile oriuntur; quum enim dixisset: "tantum est igitur inter nuptias et virginitatem, quantum inter non peccare et benefacere:" subjunxit "imo, ut levius dicam, quantum inter bonum et melius." Quantum abhorruerit ab errore damnantium nuptias, liquet ex iis quæ præfatus est: "Neque vero nos Marcionis et Manichæi dogma sectantes nuptiis detrahimus, nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum spurcum putamus: qui non solum nuptias, sed et cibos quoque, quos Deus creavit ad utendum, damnat et reprobat. . . . Non ignoramus honorabiles nuptias, et thorum immaculatum. Legimus primam Dei sententiam: 'crescite, et multiplicamini, et replete terram:' sed ita nuptias reci-

(1) Rom. viii. 9.
(2) Luc. xiv. 20.
(3) L. de exhort. cast. c. iv.
(4) Ep. ad Himerium Tarracon.
(5) L. 1. c. iv. adv. Jovin.

pimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus." Et postea: "Nunc autem cum hæreticorum sit damnare conjugia, et Dei spernere conditionem, quicquid de laude dixerit nuptiarum, libenter audimus. Ecclesia enim matrimonia non damnat, sed subjicit: nec abjicit, sed dispensat."

11. *Obj.* 6. Nuptiale commercium non potest esse absque libidine, quæ peccandi est proxima occasio: imo et peccati originalis transmittendi causa. Præterea pudet conjugatos operis conjugalis, utpote turpis.

Resp. In præsenti rerum conditione libido quidem in opere nuptiarum adest, quæ tamen peccatum non est intra limites legitimi commercii ad genus hominum propagandum. Nec inde oritur proxima peccandi occasio; quamvis enim contingere possit conjuges libidini indulgentes peccare, levius, vel gravius, id tamen suæ voluntati et infirmitati tribuendum est, possunt enim Deo adjutore ita nuptiis frui ut ne levem culpam admittant. Transmittitur peccatum originis ad prolem, non ob conjugii opus, sed ob Adæ prævaricationem, quæ causa est cur omnes homines ea labe inficiantur: "Carnalis concupiscentiæ malum" iniquit Augustinus, "propter quod homo qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus a bonitate nuptiarum. Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esse, nisi homo ante peccasset; nuptiæ verò essent, etiamsi nemo peccasset." Pudet conjuges ob vehementem quam in actu conjugali experiuntur libidinem, quæ peccatum originis secuta est, sicut puduit Adam et Evam, se visis: nec tamen aliquid de se turpe in homine a Deo condito, nec in opere conjugii, quod Deus instituit et [illegible] [illegible] est.

Lutherus nuptias licere docuit, sed sacramenti naturam et dignitatem habere negavit.[1] Calvinus de sacramentis agens, dicit: "Postremum est matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat."[2] Hæc communis est apud novatores ratio sentiendi. Catholica e contra fides docet illud esse vere et proprie sacramentum novæ legis: "Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit."[3]

PROPOSITIO.

Matrimonium est vere et proprie novæ legis sacramentum a Christo institutum.

Probatur I. ex Scripturis.

15. Apostolus verba quæ protulit Adam visa Eva, recitat: "Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una." Deinde subjungit: "Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia."[4] τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν· ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Illud quod inter conjuges intercedit vinculum, arcanum est plenum sacra significatione, quatenus ad Christum et Ecclesiam refertur; homo enim parentes deserit ut mulieri conjungatur, qui nexus exhibet arctissimam Christi cum Ecclesia conjunctionem; hæc enim veluti mulier extranea assumpta est in Filii æterni, hominis

(1) L. de capt. Babyl.
(2) Inst. l. iv. c. xix. n. 34.
(3) Sess. xxiv. can. i.
(4) Eph. v. 31.

facti, consortium. Conjugium igitur ab initio fuit res mysterio plena, quæ imago quædam erat conjunctionis Christum inter et Ecclesiam olim secuturæ. Quatenus existit in Ecclesia, fidelibus fœdus illud ineuntibus, est res sacra, quæ mysterium jam impletum celebrat, munia conjugum Christi et Ecclesiæ exemplis commendat, et gratiam procul dubio confert qua possint obiri.

Probatur II. ex Patribus.

14. Tertullianus: "Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet."[1]

15. Clemens Alexandrinus: "Matrimonium aliquid sacrum est, et divinum."[2]

16. S. Ambrosius: "Cognoscimus Præsulem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui. Qui sic egerit, peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam solvit: et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cælestis amittit consortium."[3]

17. S. Chrysostomus: "Sacramentum sunt nuptiæ, et imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit."[4]

18. S. Augustinus: "In civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere."[5] Et: "in nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri."[6] Et: "Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti."[7]

Probatur III. ex Græcorum et Orientalium omnium Sectarum consensu.

19. Ex eorum Euchologiis aliisque plurimis documentis constat eos agnoscere matrimonium tamquam verum sacramentum. Vide sæpius citatam Jeremiæ Constantinopolitani Responsionem ad Theologos Wurtembergenses. In Synodo Constantinopolitana anno 1647 Græci recensent cum cæteris Sacramentis "honorabiles nuptias, quæ omnia, ut Sacramenta et divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit."[8]

(1) L. ii. ad uxor. c ult.
(2) Strom. l. iii.
(3) L. 1 de Abraham c. vii.
(4) Hom. lvi. in Gen.
(5) L. de fide et operibus c. vii.
(6) L. de bono conjug. c. xviii.
(7) Ibid. c. xxiv.
(8) Art xv.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

20. *Obj.* 1. Matrimonium res est mere naturalis, quam ad sacramenti dignitatem a Christo evectam fuisse nullo Scripturæ testimonio, vel antiquæ Ecclesiæ certo documento constat.

Resp. Plura sunt Scripturæ testimonia quæ suadent Christum gratia sua fœdus matrimoniale sanxisse et sanctificasse. Adstitit ipse nuptiis: vinculum conjugii nulla ratione solvendum decrevit, illud divinitus impositum declarans: "quod Deus conjunxit, homo non separet." Apostolus de matrimonio tamquam de sanctissimo fœdere, et symbolo disserit. Cæterum etsi hæc invicta non habeantur argumenta, plurima quæ laudavimus Patrum veterum testimonia, et perpetua fides et consuetudo Latinorum pariter et Græcorum, probant Christiana sub lege Matrimonium esse verum Sacramentum.

21. *Obj.* 2. Ad matrimonium pertinent plura, quæ ad Sacramentum pertinere pudet dicere.

Resp. Officia quæ ex matrimonio jam inito derivantur, juxta sancta Dei instituta nullam turpitudinem continent: ipsum autem matrimonium constat mutuo utriusque contrahentis consensu, quo rite præstito conficitur Sacramentum: "non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis," ut tradit Ambrosius.[1]

22. *Obj.* 3. Nullum est symbolum in matrimonio a Christo institutum, quum conjugium ab exordio mundi extiterit.

Resp. Ipsum fœdus nuptiarum extitit quidem ab exordio mundi, fuitque typus conjunctionis Christi cum Ecclesia: sed mystica ejus significatio non fuit, nisi Christo adveniente, solemniter et perspicuo explicata. Hinc illud Christus instituisse recte dicitur, ob significationem et gratiam ei tributam. Extitit juxta plerosque iris ante diluvium: non tamen innotuit tamquam signum fœderis quod Deus postea cum hominibus iniit: quapropter de ea tamquam de re nova loquitur Deus: "arcum meum ponam in nubibus cœli, et erit signum fœderis inter me, et inter terram."[2]

23. *Obj.* 4. De tempore quo Christus matrimonium inter Sacramenta recensuit non constat: de materia, forma, et ministri disputant vehementer Theologi. Ergo nihil certum de sacramentali ejus dignitate asseri potest.

(1) L. de inst. Virg. c. viii.
(2) Gen. ix. 13.

Resp. Mirum non est varias his de rebus ortas esse controversias, quum tamen de sacramentali dignitate matrimonii unanimis sit theologorum omnium tum veterum tum recentiorum consensio. Ob ritus qui in sacramentis administrandis semper adhibebantur, difficultates nonnullæ ortæ sunt, quum quidam ritus nonnullis viderentur ad essentiam pertinere, aliis ad solemnitatem. Sic semper exploratum est in Ecclesia matrimonium esse sacramentum, et necessario exigere liberum contrahentium consensum : utrum autem consensus ille *ex necessitate sacramenti* debeat coram sacerdote præstari disputatur, omnibus fatentibus valere matrimoniale fœdus eo absente initum. Ab initio Ecclesiæ matrimonii sanctitas effecit ut coram sacerdote celebraretur : quæ consuetudo vim legis habuit ; sed quum ethnicorum fœdera matrimonialia vim naturalis contractus habere in comperto esset, ea saltem vis inesse agnoscebatur in fidelium conjugiis, absente sacerdote, contractis : utrum autem sacramentalis dignitas iis etiam inesset, dubitatio aliquos incessit.

24. *Obj.* 5. Si matrimonium agnitum fuisset tamquam sacramentum, nefas fuisset illud clam contrahere, solis partibus præsentibus ; quæ tamen disciplina ante Concilium Tridentinum adeo viguit, ut jure Canonico copula post *Sponsalia de futuro* matrimonii vim obtinuerit. Præterea penes Ecclesiam non est Sacramentorum substantiam mutare : ipsa tamen in Concilio Tridentino irritum declaravit matrimonialem consensum absente parocho præstitum, quamvis antea valeret.

Resp. " Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit . . . . nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est et prohibuit." Ita Tridentini patres.[1] Jus igitur Canonicum copulam instar matrimonii habuit, quando præcesserat solemnis matrimonii promissio, quia consensus partium in matrimonium præsumebatur. Mala tamen quæ ex occultis conjugiis persæpe oriebantur Patribus Tridentinis extiterunt occasio statuendi nullos in posterum habendos esse contractus matrimoniales, quibus parochus, vel alius sacerdos de ejus, seu ordinarii, licentia cum duobus vel tribus testibus non adesset, ubicumque scilicet decretum hoc promulgatum fuisset. Manet immutata sacramenti natura, contractus scilicet legitimus : sed Tridentina sanctione fit ut contractus ille non existat ob legem eum irritantem, quando conditiones indicatæ servatæ non sunt.

25. *Obj.* 6. Matrimonium virginitati præstaret si sacramentum foret : et Ordini etiam maxime conveniret.

(1) Sess. xxiv. cap. 1. de Ref.

Resp. Gratia et sacra significatio quæ matrimoniali fœderi adnectuntur, non efficiunt ut illud virginitati præstet, quum hæc animum liberiorem ad Deo vacandum semper relinquat, matrimonium turba solicitudinum sequente. Hæc etiam demonstrant illud parum convenire clericorum majorum conditioni, qui totos Deo deditos se exhibere debent.

CAPUT III.

DE SACRAMENTI RATIONE.

26. " Communissima et fere unanimis fuit theologorum sententia, ante Melchiorem Canum, qui scripsit anno 1562, sacramentum matrimonii non alium habere ministrum, quam ipsos contrahentes." Ita testatur Josephus Carrière, doctissimus theologus, qui nuperrime hanc materiam pertractavit. Hujus sententiæ, quæ et nostra est, ratio præcipua videtur esse, quod contractus matrimonialis, qualis ab initio extitit, sit ipsum sacramentum novæ legis ; nec enim Christus noscitur aliquid in eo immutasse, sed primariam ejus naturam, duorum scilicet individuam societatem, revocavit, vim ejus inviolabilem declaravit, et sua sanctione sanctitatem et gratiam conjugum fidelium fœderi indidit. Pro ratione igitur contractus, ipsi qui suam sibi invicem fidem oppignerant, ministri videntur sacramenti. Hac sententia sua simplicitate commendatur, et quum per annos saltem quadringentos in scholis obtinuisse noscatur, ab ea vix recedendum putamus. Rationes in utramque partem agitare nostri instituti non est, quas apud Benedictum XIV.,[2] Sardagnam,[3] vel ipsum Carrière,[4] expositas videre quis poterit.[4]

27. Constat quidem ex omnium consensione sacerdotis præsentiam et nuptiarum celebrationem, juxta ritum ecclesiasticum, requiri ex consuetudine quæ in ipsa sanctitate sacramenti innititur : et graviter peccare contrahentes qui, spreto sacerdotis ministerio, contrahunt, remotis arbitris, vel coram præcone hæretico, vel coram magistratu civili. Ministrum idcirco *solemnitatis* plures dicunt sacerdotem, qui tamen censent absque eo et contractum et sacramentum esse posse, in iis regionibus in quibus lex Tridentina clandestinum matrimonium declarans invalidum, non viget. Adversæ sententiæ patroni fatentur contractum existere posse solo contrahentium consensu, sacramentum verò nequaquam absque sacerdotis opera : quam tamen distinctionem contractus a sacramento in baptizatorum hominum nuptiis rejiciunt Theologi contrarii, tamquam fundamento in

(1) De Matrimonio, opera Jos. Carriere, Sem. S. Sulpitii Presby. Vic. Gen. Paris. anno 1837.

(2) De Synodo l. viii. c. xii. xiii.

(3) De Matrim. art. viii. Controv. i. qu 3. 4. 5.

(4) De Matrim. vol. i. c. ii.

traditione carentem, et in tribunalibus Romanæ Ecclesiæ, quæ mater et magistra est omnium, numquam receptam.

28. Juxta sententiarum de ministro varietatem, variæ etiam de materia et forma circumferuntur opiniones. Qui nobiscum contractum esse ipsum sacramentum censent, *materiam* circa quam versatur, esse corpora contrahentium in usum conjugii tenent, *formam* verò consensum quo sibi invicem tradunt dominium in sua corpora. "Causa efficiens matrimonii," inquit Eugenius in decreto pro Armenis, "regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus." Qui sacerdotem ministrum statuunt, contractum materiam sacramenti censent, verba sacerdotis quibus eum firmat et sancit, vocant formam. Medio sæculo proxime elapso prodiit nova opinio, Le Ridant advocato Parisiensi fautore, qua contractus omnino a sacramento distinguitur, hocque totum constare dicitur ritu sacro, manuum quadam impositione, (quæ tamen revera non fit) et benedictionis verbis. Eam vocat doctissimus Gerdil "monstruosum, hæreticale, oppositum doctrinæ constanti Ecclesiæ Christi, quam hausit ex Scriptura, et Patrum traditione, et in quam communi consensu conspirant omnes scholæ Catholicæ, quamvis in quibusdam dissentientes circa materiam, formam, et ministrum sacramenti."[1] At enim inducere nobis animum non possumus, iis assentiri theologis, qui formam in verbis ministri reponunt; constat enim quæ nunc usurpatur verba: "Ego conjungo vos etc;" non ubique obtinere, nec ante quingentos annos in usu fuisse; et magnam morum varietatem in benedictionis sacerdotalis ritu apud Ecclesias antiquitus extitisse, quam nec penitus sublatam voluerunt patres Tridentini, libertate verba usurpandi pro provinciarum more relicta: "Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: 'Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:' vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum."[2] Tanta varietas et arbitrium adeo liberum in forma sacramenti a Christo statuta vix potest admitti. Nobis igitur persuasum est consensum contrahentium, sive verbis, sive nutibus significatum, formæ habere rationem, pro natura contractus, quam immutatam Christus reliquit.

29. Ex sententia de discrimine contractus a sacramento contigit ut quidam theologi censerent licere contractum iis permittere ineundum qui gratiæ sacramenti suscipiendæ non forent idonei: quod consilium novorum placitorum patronis plurimis arrisit. Cæterum labili nititur fundamento, et universalis Ecclesiæ consuetudini adversatur, quam negligere cuicumque haud licet. Meritò igitur docet Carrière prælaudatus non licere sacramentum matrimonii sejungere a contractu: quod quidem nostra sententia fieri nequit.

30. De matrimoniis infidelium, quo nomine censentur omnes qui bap-

(1) Del Mat. p. 4, oper. t. xv. p. 83.
(2) De Mat. p. 1, c. iii. § iii. p. 97.

tizati non sunt, constat ea contractus esse, sed haud sacramenta: nec enim ante baptismum sacramentum ullum recipi potest. Si dispensatione disparis cultus impetrata, baptizatus cum infideli contrahat, quærunt theologi, utrum contractus vel sacramentum habendum sit: qua in re discordes sunt sententiæ. Nobis affirmantes illud esse sacramentum magis probantur, non enim censemus primos Christianos, qui ex adjunctorum difficili conditione ad nuptias cum ethnicis ineundas ducebantur, omni gratiæ subsidio in fœdere illo sanciendo privatos fuisse, qua adjuvarentur in conjugum conversione procuranda. Æquius nobis habetur et benignæ Christi voluntati consonum omnia baptizatorum conjugia sacramenti dignitate auxisse, licet obstaret infidelitas alterius ne gratia recipiretur. Cæterum non admodum huic inhæremus opinioni. De catholici cum hæretico conjugio eo magis sentimus illud sacramenti habere rationem; imo de ipsorum hæreticorum conjugiis, quamvis hi plerumque sacros ritus omittant, et non credant sacramenti dignitatem nuptiis inesse. Cæterum ipse contractus baptizatorum hominum adest, quem sacramentum esse credimus, totam secuti vetustatem; ideoque hæresim, sicut et peccatum quodcumque, obicem gratiæ esse fatemur, sed quo non ipsa tollatur sacramenti essentia. Quod ad intentionis defectum pertinet ex errore de sacramenti natura, opinamur in voluntate contrahendi matrimonium reperiri implicitam intentionem conficiendi sacramentum, quam tollere nequit ipsa contraria voluntas, quum errore nitatur.

CAPUT IV.

DE CONSENSU.

31. Ad matrimonium contrahendum consensus verus et mutuus requiritur, quo scilicet contrahentes sibi invicem suorum corporum dominium tradunt. Si verbis fingatur consensus ex alterutra parte, matrimoniale fœdus non subsistit: quapropter quum homo quidam ad inducendam mulierem ad commercium carnale eam alieno nomine desponsasset dicendo: "Te Joannes desponsat;" fingens se vocari Joannem, eamque deinceps vitiasset, animo tamen "eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam," irritum esse fœdus respondit Innocentius III.: "non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit, et defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale."[1] Hominis tamen fictio non obstitisset "cum præfatus vir prædictam desponsaverit mulierem in propria persona:" unde in foro externo: "videtur forte pro conjugio præsumendum." Id exploratum apud omnes esse debet, eum qui consensus fictione mulierem decepit, et vitiavit, debere damnum illatum reparare, quod sæpe exigit ut verus consensus postea præstetur. Nec in externo foro creditur asserentibus se animo non consensisse.[2]

32. "Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum: sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti. Nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis."[3]

33. Consensus debet esse liber ab omni metu gravi ad hoc injuste incusso, quum enim mulieres quædam assererent "se numquam in illos veraciter consensisse, sed metu illato compulsas, verba protulisse consensus, licet animo dissentirent," respondit Honorius III.: "non statim est audientia deneganda, sed de illato metu est cum diligentia inquirendum.: et si *talis metus* inveniatur illatus, *qui potuit cadere in constantem virum*, erunt non immerito audiendæ."[4] Quilibet levis metus non tollit consensum.

(1) Cap. xxvi. de Spons.
(2) Ibidem cap. xxviii.
(3) Ibidem cap. xxv.
(4) Cap. xxviii. de Spons.

34. Conditiones nullæ debent apponi consensui. Si tamen aliqua apponatur quæ tempus præteritum vel præsens respiciat, et revera extet, valet contractus, secus non valet. Si respiciat conditio tempus futurum, sed necessario eventura sit, valere censendum est matrimonium. Si futurum contingens spectet, suspenditur consensus donec res evenerit. De conditionibus hæc traduntur in Jure Canonico: "Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur; puta si alter dicat alteri: contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam alteram ditiorem; aut si pro quæstu te adulterandam tradas; matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu: licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi."[1]

35. Consensus debet esse *perpetuus*; ad substantiam quippe matrimonii pertinet, ut contrahentes eo vinculo ligentur, quoadusque uterque vixerit. Hinc nullum declaratum est matrimonium quorumdam in Transylvania Calvinistarum, qui errore ducti vinculum conjugale adulterio solvi, consensum sic enuntiabant. "Accipio te, et juro, quod non deseram, donec in honestate permanseris."[2] Cæterum valet matrimonium, si hujusmodi conditio non fuerit apposita, etsi contrahentes eo errore sint irretiti quod solvi possit, adulterii causa; quia generalis intentio quam habent matrimonium contrahendi, prout sub nova lege viget, errori particulari de divortio ob adulterium prævalet.[3] Ea propter valent matrimonia hæreticorum in hisce provinciis, quæ nullam habent hujusmodi conditionem adnexam; non valent autem pleraque fœdera nuptialia mancipiorum, quæ sæpe hac ratione ineuntur: "tecum vivam quamdiu heri nostri nos non separaverint:"—"tibi maritus ero, quamdiu te recte gesseris."

36. Consensus parentum expetendus est, si contracturi matrimonium minores sint viginti uno annis, et ideo sub patria potestate.[4] Peccare filios qui parentum voluntatem in re tanti momenti negligunt, indubium est; sed constanter renuit Ecclesia tantam in parentibus agnoscere auctoritatem, ut consensus minorum libere præstitus non valeat: sunt enim quoad conjugium suæ domini voluntatis.[5] Nimia patria potestas, quæ apud veteres Romanos obtinuit, sapienti moderamine temperata est ab Ecclesia, quæ optime novit incommoda quæ secum trahunt nuptiæ immaturo consilio initæ, non esse æquiparanda morum corruptelæ quæ nuptiarum facultate denegata fovetur. Immeritò carpit Cal-

(1) Cap. ult. de conditionibus.

(2) Vide decr. 20 Maji 1754 apud Bened. xiv. l. xiii. c. xxii. § 9 de Syn. Diœces.

(3) Vide decr. S. Officii 2 Oct. 1680.

(4) Juxta statutum 26 Geo. ii. ch. 33, quod in his regionibus usu comprobatur, uterque major sit viginti uno annis necesse est. Vide Kent's Commentaries vol. ii. Lec. xxvi. n. 5. In statu Delaware ætas octodecim annorum fœminam consensui idoneam facit. Vide an Act regulating Marriage 1839, Sect. 3.

(5) Inst. i. 10. Pr.

vinus æquissimas sanctiones, quas veluti iniquissimas traducit: "quales sunt," inquit, "ut conjugia inter adolescentulos, parentum injussu contracta, firma rataque maneant."[1] Institit apud patres Tridentinos Minister regis Galliarum, ut hujusmodi nuptiæ irritæ declararentur, cui tamen morem gerere detrectarunt. "Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse: nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit."[2] Postea Ludovicus XIII. edicto regio declaravit irrita esse in toto Galliarum regno quæcumque attentarentur conjugia a filiis familias absque parentum consensu: sed clerus Gallicanus, pro sui muneris debito, reclamans, explicationem seu mitigationem decreti obtinuit, qua declarabatur illud intelligendum de effectibus tantum civilibus. Jurisperiti tamen Gallici recentiores plerique "docebant, sin vi legum, saltem vi jurisprudentiæ constantis irrita esse ea matrimonia;" quibus assentiri ipsum qui id refert Carriere,[3] miramur et dolemus. Quod ad nos pertinet, leges Americanæ vetant matrimonia minorum, absque consensu parentum, vel tutorum, gravibus plerumque pœnis sacris ministris qui ea celebraverint, intentatis, sed valent, vimque obtinent etiam in foro civili.[4]

(1) Inst. l. iv. c. xix. 37.

(2) Sess. xxiv. cap. i. de ref. Mat.

(3) De Mat. vol i. p. iii. §. i. cap. iii. p. 317.

(4) Kent's Commentaries, vol. ii. Lec. xxvi. "The consent of parents or guardians to the marriage of minors is not requisite to the validity of the marriage."

CAPUT V.

DE UNITATE MATRIMONII.

37. Unitas matrimonii in eo sita est, quod fœdus hoc inter unum virum et unam tantum fœminam ineatur, adeo ut nulli viro liceat simul plures retinere uxores, nullique fœminæ plures simul habere maritos. *Polyandria*, seu plurium simul virorum consuetudo, repugnat per se matrimonii substantiæ, obstat enim prolis generationi, ideoque per se vetita habenda est. Polygamia simultanea, seu consortium plurium uxorum, quamvis a primaria nuptiarum institutione sit aliena, aliquando tamen licita habebatur. Primus qui duas noscitur duxisse uxores, Lamech peccati meritò a patribus arguitur. "Primus Lamech maledictus et sanguinarius," inquit Hieronymus, "unam costam divisit in duas; et plantarium digamiæ protinus diluvii pœna subvertit."[1] Nicolaus I. docet "adulterii flagitium, quod Lamech omnium primus in duobus uxoribus perpetravit, non nisi sanguine Christi abolitum extitisse."[2]

38. Abraham ex Dei famulis primus noscitur duas duxisse uxores, Saræ enim conjugi suadenti morem gessit, ad Agar ancillam ingressus. Illud nonnisi Deo probante contigisse inferunt merito sacri interpretes ex laudibus quibus Abraham cumulatur in sacris Scripturis, et ex mysterio quod conjugio illi duplici inesse docet Apostolus. Hinc occasio orta est inquirendi utrum plurium uxorum consortium sit per se malum vel a Deo antea prohibitum fuerit, vel nulla lege naturali vel divina olim vetitum, malum jam habeatur ob Christi in nova lege prohibitionem. De jure naturæ primario et secundario etiam hac occasione solet inquiri. Nobis videtur ex Adæ verbis, Christo ipso interprete, satis constare duorum consortium maritum ad primariam matrimonii institutionem referri, ideoque ad jus naturale et divinum, utpote naturæ admodum congruum, et a Deo sancitum. Cæterum non inter eas res illud reponimus, quæ nulla adjunctorum varietate possint speciem mutare, nam quamvis plurima secum trahat incommoda, tum quoad uxorum jura, tum quoad filiorum educationem, finis tamen primarius matrimonii potest obtineri, nempe ut procreentur filii, ideoque Dei vetito sublato, polygamia non videtur per se mala, quamvis minus congrua naturæ

(1) Ep. lxxxv. t. iv. part II. p. 669.
(2) Resp. ad consulta Bulgarorum n. 51.

ipsius institutis. De venia Abrahæ data certum non habemus documentum ; sed nemo facile subscribet Calvini sententiæ, eum et qui ejus exemplum secuti sunt patriarchas, peccati arguentis. Dicendum igitur videtur divinam legem ea de re per[illegible] tempora relaxatam ; nec tamen licuisse uxores plures sibi adsciscere libidinis æstu, sed prolis procreandæ studio. "Sufficiendæ prolis causa," inquit Augustinus, "erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo."[1] Quod dicit Innocentius III. : "Neo ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum ;"[2] non specialem unicuique dispensationem datam indicat, sed veniam utcumque concessam. Polygamiam jam apud Israelitas vigentem legibus rexit et mitigavit Moyses, Dei mandata promulgans.[3]

39. Apud Christianos omnes in confesso est Christum revocasse matrimonium ad primarium institutum, adeo ut jam non liceat plures simul ducere vel habere uxores, sed contrahentes duo fœdere unico ligentur. Inter Lutheri portenta sermonum illud reperitur. "Ego sane fateor me non posse prohibere si quis plures velit uxores ducere, nec repugnat sacris litteris."[4] Re quidem vera ipse una cum Melanchtone, Bucero, aliisque inter novatores primipilis, Philippo Hassiæ Landgravio in remedium libidinis, et conscientiæ quietem indulsit, ut vivente adhuc legitima conjuge Christina, Margaretam de Saal filiam Georgii Saxoniæ ducis uxorem aliam sibi adsciscerat anno 1540, matrimonio tamen clam celebrato, "ne si palam id fiat, Evangelii hostes exclament, Evangelicos similes esse Anabaptistis, qui simul plures duxerunt uxores : item Evangelicos eam sectari libertatem simul plures ducendi, quæ in Turcia in usu est." Ita novi Evangelii vaferrimi præcones. Rem gestam probavit Bossuetius ;[5] Ernesto Hessiæ landgravio tabulas ex scrinio majorum suorum producente.[6]

40. Anabaptistas verbo et exemplo commendasse polygamiam constat, quam tamen respuunt Baptistæ nostrates cum sectariis omnibus hodiernis. In turpissimo refellendo errore, non est cur immoremur, ideoque quæ Christus Dominus protulit, recitasse sufficiat: "Non legistis, quia quis fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos ? Et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro."[7] Una duo-

(1) Cap. Gaudemus viii. de divortiis.

(2) L. iii. de doct. Christ. c. xii.

(3) Deut. xxi. 15. xxv. 5.

(4) An der Kanzler Brück 14 Jan. 1524.

(5) Hist. var. l. vi.

(6) "Dieu pour confondre la moderne sagesse, permit qu' on la tira des archives de la Hesse ; et c' est une main protestante qui mit ainsi en lumière le déshonneur de la secte." Vie de Luther par Audin vol. II. ch. xxviii.

(7) Matt. xix. 4.

rum quum sit caro, tertius consortium non admittitur. Hinc consuetudo et doctrina christianorum semper claruit de unitate matrimonii: quapropter meritò tradidit Nicolaus I: "Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit."[1] Quod de lege a Valentiniano lata, referente Socrate, dicitur qua scilicet liceret duas habere uxores, fundamento carere censetur ab eruditis. Gregorii II. etiam decretum objicitur, quo viro permittitur matrimonium inire, uxore jam ob infirmitatem non valente debitum reddere, suppositicium nonnullis videtur; aliis censentibus agi de impotentia quæ nuptias antecessit.[2] Fidem Ecclesiæ de matrimonii unitate firmavit concilium Tridentinum, anathemate lato in Lutheri et Anabaptistarum errorem: "Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit."[3]

41. *Polygamia* successiva dicitur conjugium iteratum priori soluto vinculo conjugis morte. Montanistæ contendebant secundas nuptias esse prorsus vetitas christianis, easque veluti adulteria traducebant. Iis opposuerunt Ecclesiæ patres Apostoli auctoritatem: "Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro."[4] De vidua loquens alias dicit: "Cui vult nubat, tantum in Domino."[5] Et Timotheum de viduis alloquens ait: "Volo juniores nubere."[6] Minus tamen probabantur nuptiæ iteratæ, quum in iis conjunctionis Christi cum Ecclesia, unius cum una, imago non sit perfecta, et animus ad voluptatem pronus prodatur. Hinc benedictione solemniori quæ datur in Missa pro Sponso et Sponsa, vidua iterum nubens non donatur. Græci duriores sese erga iterum nubentes exhibuerunt. Sed quod liceant iteratæ nuptiæ apud omnes constat, quamvis a sæculo decimo quartas nuptias habeant irritas.[7] Quæ a patribus nonnullis Græcis in eas severius dicta sunt, libidinis æstum præsertim respiciunt; nec ad ipsas damnandas contra Apostoli et Ecclesiæ auctoritatem, traduci possunt. Hinc Eugenius IV. Armenos edocens, dicit: "Declaramus non solum secundas, sed etiam tertias, et quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse."[8]

(1) Res. ad Cons. Bulg. c. 51.
(2) Vide apud Carrière de Mat. vol. 1 p. II. § III. c. 1, p. 144.
(4) Rom. vii. 3.
(5) 1 Cor. vii. 39.
(6) 1 Tim. v. 14.
(7) Vide L. II. Juris Orient. et Petrum Arcud. L. vii. de concordia c. xxvx.
(8) Decr. ad Armenos.

CAPUT VI.

DE VINCULO MATRIMONII.

§. I. De vi vinculi.

42. Solvi posse ob adulterium mulieris vinculum matrimonii Græci recentiores censuerunt, mosque divortii apud plerosque obtinuit, etiam apud quosdam cum Ecclesia Romana communione conjunctos. Operam strenuam adhibuit Eugenius IV. in concilio Florentino ut pravam consuetudinem emendarent; sed et Tridentini patres anathemate damnaturi erant errorem eorum qui dicerent adulterium matrimonium dirimere, quando intercessioni Oratorum Venetæ reipublicæ, consuetudines inveteratas Græcorum plurimorum qui ea ditione continebantur, exponentium, concesserunt, ut alia verborum forma canon fieret:[1] "Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit."[2] Alias quoque solvendi vinculi causas excluserunt. "Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit."[3]

43. Anglicani divortium vinculi matrimonialis fecisse dicuntur a Burneto, quibus tamen ne adulterii quidem prætextus suffragabatur.[4] Equidem alia prorsus ratione nitebatur Henricus VIII., irritum scilicet fuisse ab initio conjugium, ob affinitatis in primo gradu impedimentum, quod dispensatione pontificia auferri non potuisse dicebat. De principio autem apud ipsos non constat, nam quum de divortio Carolinæ, uxoris Georgii IV. ageretur, Archiepiscopus Cantuariensis et alius antistes, e contrariis steterunt partibus,[5] doctrinam Ecclesiæ Anglicanæ vinculi solutionem ad-

(1) Vide Pallavicini Istoria del concilio di Trento l. xxii. cap. iv.
(2) Sess. xxiv. can. vii.
(3) Ibidem can. v.
(4) Burnet, Analysis Article xxv. p. 454.
(5) Vide IX Letter of Hierophilos.

mittere altero propugnante, negante altero. Presbyteriani docent nihil, præter adulterium, aut ejusmodi voluntariam desertionem, cui Ecclesia vel magistratus mederi non valeat, esse causam sufficientem solvendi matrimonii vinculum.[1] Sectariis plerisque hæc sunt communia.

44. Leges civiles in *statibus fœderatis* divortium a vinculo permittunt fieri ob adulterium, quæ sola admittitur ratio in provinciis Neo-Eboracena, et Illinosiana: Aliis plerisque ob malam tractationem, desertionem, aut diuturnam absentiam, quæ *quinquennio* æstimatur in Statu Maine, illud concedentibus. In Statu Ohiensi ebrietas per triennium est divortii vinculi causa. Penes Legislatorum cœtum est in nonnullis Statibus divortium concedere,[2] quod tribunalibus supremis justitiæ leges alibi concedunt. In duobus Statibus, Tennessee scilicet et Carolina Septentrionali, legislatores tantum committere possunt speciali lege potestatem tribunali; qua valeat divortium in casu singulari concedere.

45. Legibus civilibus servata reverentia, Catholici tenent matrimonii vinculum nulla humana auctoritate solvi posse quoad vim ejus, qua coram Deo et Ecclesia conjuges tenentur. Solutio quæ fit legis auctoritate non facit ut valeat alteruter e solutis novum inire conjugium, quod coram Ecclesia legitimum habeatur: sed tamquam violati sacramenti reus censuris subjacebit ecclesiasticis.

PROPOSITIO.

Matrimonium consummatum fidelium nulla umquam de causa, ne adulterii quidem, dissolvi potest quoad vinculum.

46. *Probatur I. ex Scripturis.* "Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur."[3] "Omnis qui dimittit uxorem suum, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam a viro ducit mœchatur."[4] "Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: et qui dimissam duxerit, adulterat."[5] Ex his testimoniis liquet adulterium semper patrari, quando uxor, etsi fuerit ob fornicationem a mariti consortio dimissa, novas contrahit nuptias: vel quando vir, uxore, quacumque de causa, dimissa, aliam, ipsa vivente, ducit: proinde prioris matrimonii vinculum adhuc perstet necesse est. Licet igitur,

(1) "Nothing but adultery, or such wilful desertion as can no way be remedied by the church or civil magistrate, is cause sufficient of dissolving the bond of marriage." Confession of faith ch. xxiv.

(2) "*New-Jersey, Maryland, Virginia, South Carolina* and *Louisiana.* In some of those states divorces by special acts of the Legislature are very common." Kent's Commentaries, vol. ii. p. iv. Lect. xxvii. n. 105.

(3) Marc. x. 11.

(4) Luc. xvi. 18.

(5) Mat. v. 32.

Christo docente, uxorem adulterii ream thori et domicilii consortio privare ; quin possit ipsa, vel innocens maritus ad novas convolare nuptias. " Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro."[1] Nullum limitem præter alterutrius conjugis mortem statuit matrimonio Apostolus. " Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat."[2] Mulier igitur quæ justa de causa, puta ob mariti adulterium, a viro suo discesserit, tenetur innupta manere, aut viro suo conciliari. Si quæ mulier absque justa ratione mariti consortium deseruerit, ipsi nullum permittitur arbitrium, sed divino præcepto adstringitur ad maritum revertendi.

Probatur II. ex Patribus.

48. Clemens Alexandrinus : " Legem aperte constituit : Non dimittes uxorem præterquam propter fornicationem : adulterium autem existimat conjungi matrimonio, vivo aliquo ex separatis."[3]

49. S. Hieronymus : " Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. . . . Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria auctoritate discernit, sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio : ' Qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, et qui dimissam acceperit, adulter est.' Animadverte quod dicat : Qui dimissam acceperit, adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est qui eam acceperit."[4] Scribens ad Oceanum laudat Fabiolam matronam Romanam, quæ pœnitentia luerat novas nuptias propter mariti adulterium cum alio initas.[5]

50. S. Augustinus : " Qui ergo nos sumus, ut dicamus : Est qui mœchatur, uxore sua dimissa, alteram ducens, et qui hoc faciens non mœchatur ? cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit. Proinde si quicumque hoc fuerit, id est, omnis qui hoc fecerit, ut uxore sua dimissa alteram ducat, mœchatur, sine dubitatione ibi sunt ambo, et qui præter causam fornicationis, et qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim, quicumque dimiserit, hoc est, omnis qui dimittit."[6] Et " Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt,

(1) Rom. vii. 2.
(2) 1 Cor. vii. 10.
(3) Strom. l. II.
(4) Ep. clvii. ad Amandum, vide et comm. in c. xix. Mat.
(5) Ep. ad Oceanum.
(6) L. 1 de conj. adult. c. ix.

plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus; non si fornicetur. Licite igitur dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis."[1]

Probatur III. Conciliorum auctoritate.

51. Coc. ELIBERITANUM: "Item fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit prius de sæculo exierit; nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit."[2] Milevitanum II. seu potius Carthaginense. "Placuit, ut secundum Evangelicam et Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur."[3] Forojuliense, anno 791. "Item placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, (*consortio scilicet thori*) non liceat viro quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere."[4] Nannetense sæculo 10. "Si cujus uxor adulterium perpetravit, et hoc a viro deprehensum fuerit, et publicatum, dimittat uxorem, si voluerit propter fornicationem . . . . vir vero ejus illa vivente nullatenus accipiat aliam."[5] Decretum pro Armenis in Florentino concilio editum: "Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere: non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit." Accedit ratio Theologica, quum enim matrimonium Christi et Ecclesiæ conjunctionem significet, oportet ut semel consummatum nunquam solvatur. Consonum etiam erat sapientiæ Christi ita statuere, ut sic conjuges perpetuo quodam ac firmo affectu se invicem prosequerentur, a crimine se abstinerent, et liberis educandis operam præstarent assiduam.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

52. *Obj.* 1. "Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur."[6]

Resp. Christus fornicationis seu adulterii causam excipit, quia est legitima ratio uxorem a thori consortio perpetuò dimittendi: quin tamen liceat idcirco marito, quamvis innocenti, aliam ducere; nam qui dimissam, etiam ob adulterium, duxerit, mœchatur; ea scilicet de causa quod ipsa prioris

(1) De conj. adult. l. II. c. iv.
(2) Can. ix.
(3) Can. xvii.
(4) Cap. x.
(5) Can. xii.
(6) Matt. xix. 9.

matrimonii vinculo manet ligata. Si quis contendat dimissam ob adulterium solvi eo ligamine, potior erit ejus conditio quam innocentis ejectæ. "Quomodo est verum?" inquit S. Augustinus, "Quomodo mœchatur, nisi illa quam duxit, eo vivente a quo dimissa est, adhuc uxor aliena est?"[1] Quamvis autem Christus de solutione vinculi matrimonialis divortio mosaico fuerat interrogatus, responsio ejus de adultera dimittenda ad divortium thori perpetuum merito restringitur: ipse enim mosaicam de divortio legem duritiei Judœorum, potius quam æquitati, vel primævæ matrimonii institutioni consonam declaravit, et inviolabile prorsus matrimonii consummati ligamen: "Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet."[2] Dicit igitur omnem qui uxorem dimittit mœchari, quatenus "facit eam mœchari,"[3] seque adulterii periculo temere se objicit, ni forsan detecta jam uxoris pravitas eum habeat excusatum. Tenetur tamen ipse se castum custodire, et novas nuptias fugere, quamdiu vixerit uxor infida.

53. *Obj.* 2. S. Basilius: "Quæ reliquit est adultera, si ad alium virum accessit; relictus verò est dignus venia: et quæ cum eo habitat, non ideo condemnatur."[4] Lactantius ait "esse adulterum, qui a marito dimissam duxerit, et eum qui præter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alterum ducat."[5]

Resp. Basilii canon videtur indicare maritum ab uxore desertum, si aliam consortem sui thori faciat, veniam Ecclesiæ facilius impetrare, absque solemni pœnitentia; quamvis enim graviter peccet consuetudine illicita, culpa quodammodo extenuatur, habita ratione periculi cui ob uxoris crimen objicitur.[6] Lactantius verbis citatis morem legibus imperii sancitum indicat: "Sed divina lex" subjungit ipse "ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit." Porro leges illæ, licet imperatorum christianorum auctoritate firmatæ, tolerasse potius qnam probasse divortia ob adulterium, et nuptias inde secutas merito censentur. "Aliæ," inquit S. Hieronymus, "sunt leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit."[7] S. Chrysostomus "Nec mihi recites leges externas, atque profanas, quæ libellum repudii dare, ac divortium facere præcipiunt; non enim profecto secundum has leges judicaturus est Deus, sed juxta eas quas ipse posuit."[8]

54. *Obj.* 3. S. Zacharias Papa sæculo octavo sic loquitur: "Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? si fecisti, neutram habeas: et si illa, quæ

(1) L. 1. de conjug. adult. c. xii.
(2) Mat. xix. 6.
(3) Ibid. v. 32.
(4) Ep. 1 ad Amphiloch. can. ix.
(5) Inst. l. vi. c. xxiii.
(6) Vide Can. xxi.
(7) Ep. xxx. ad Ocean.
(8) In c. vii. ep. 1 ad Cor.

uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem et adultera sine spe conjugii permaneatis.[1]"

Resp. In decreto illo uxoris vocabulum lato sensu usurpatur pro *sponsa de futuro*, uti ex illis verbis: "neutram habeas" colligitur. Vetat igitur Pontifex ne matrimonium ineatur vel cum sponsa, vel ejus sorore vitiata, quam adulteram vocat ob violatam fidem viro sponsalia contrahendo præstitam. Perstat etiamnum hoc impedimentum.

55. *Obj.* 4. Durum est et iniquum, innocentem cogi vel ad secum retinendam adulteram, vel ad continentiam integram servandam.

Resp. Plurima oriuntur incommoda ex indissolubili matrimonii nexu, quæ tamen efficere nequeunt, ut vinculum a Deo impositum humano judicio solvatur. Profecto ex absentia aut rixis conjugis sæpe oritur necessitas se continendi diutissime; quin idcirco cum Luthero dicere oporteat has esse divortii legitimas causas.[2] Oritur etiam eadem continentiæ necessitas ex conjugis morbo, aliisque capitibus. Quis tamen inde concludet solvi ob hujusmodi rationes vinculum matrimonii posse? Qui igitur infidelem consortem nactus est, debet aut ei pœnitenti ignoscere, aut in delicto perseverantem domo ejicere, seque oratione, aliisque pietatis exercitiis contra dæmonis carnisque impetum munire: "Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere."[3]

56. *Obj.* 5. Ex vinculo illo perpetuo nulla auctoritate solvendo plurima in societatem derivantur mala nam rixæ jurgiaque perpetua vigent inter conjuges, qui et cæde se e servitute illa durissima aliquando liberant.

Resp. Quæ oriuntur mala vitio conjugum tribuenda sunt, non vinculo sacro, quod pacis, concordiæ et prolis educandæ optimum est præsidium. E contra divortii facta facultate, felicitatis domesticæ tollitur fundamentum, affectus enim qui perpetuus non est, sed quodam rerum eventu suspenditur, non est qualis decet eos qui se totos sibi invicem tradidisse censentur. Hinc plurima gravissimaque in societatem mala veluti ex fonte manantia; adulteria enim fiunt aliquando divortio ut detur locus,[4] cædes etiam patrantur, proles deseritur, et adeo multiplicantur divortia, ut matrimonium videri possit contractus *ad beneplacitum*, qui magnam morum fert corruptelam.

(1) Causa xxxii. qu. vii. cap. concubuisti.

(2) Comm. in c. vii. 1. ep. ad Cor. an. 1523 script.

(3) I Cor. x. 13.

(4) "It is very questionable whether the facility with which divorces can be procured in some of the states, be not productive of more evil than good. It is doubtful whether even divorces for adultery do not lead to much fraud and corruption. I have had occasion to believe, in the exercise of a judicial cognizance over numerous cases of divorce, that the sin of adultery was sometimes committed on the part of the husband, for the very purpose of the divorce." Kent's Comm. vol. ii. p. iv. lect. xxvii. n. 106.

ANIMADVERSIO.

57. Non solvitur vinculum matrimonii dum ex mutuo consensu separantur conjuges perfectionis studio, ut præmia a Christo promissa relinquenti uxorem sui causa comparentur. Si alter, eo casu, ingredi velit religionem, utrique id injungitur: "nam dum unum utrorumque corpus conjugii copulatione sit factum, incongruum est partem converti, et partem in sæculo remanere."[1] Cæterum exceptio admittitur quando uxor est grandæva, et votum castitatis in sæculo emittit, publice tamen in conspectu Ecclesiæ.[2] Ut ordines sacros suscipiat vir, uxor debet etiam solemnem emittere professionem: "Nullus conjugatorum est ad sacros ordines assumendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus."[3] Si dispensatio concessa fuerit ut maneat in sæculo, exigitur ut nuncupet castitatis perpetuæ votum; nec potest alteri nubere, etiam post viri mortem,[4] sacri canones enim conjugium ulterius ei vetant, et irritum declarant.[5] Si uxor fregerit fidem conjugii, potest maritus ordines sacros suscipere absque ejus consensu, nam jus omne ipsa amisit.

---

§. II. De solutione vinculi.

58. Matrimonium *ratum* fidelium, quod initum est, sed haud *consummatum*, solemni professione, votorum scilicet emissione in ordine probato, dirimitur: "Si quis dixerit," ita Tridentini patres, "matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit."[6] Ita ex veteri Ecclesiæ traditione decretum est, religiosa quippe professio instar mortis habetur, et alter conjux, qui adhuc commercium nullum cum eo habuit, liber relinquitur, ut si velit novas ineat nuptias. Alexander III. id explicat: "Verum post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire. Quia cum non fuissent una caro effecti, satis potest unus

(1) Can. Quia Agatho, 27 quæst. 2.
(2) Cap. *cum sis*, de convers. conjug.; et cap. *Uxoratus*, ibid.
(3) Cap. *Conjugatus*, ibidem.
(4) Can. Seriatim, distinct. 32.
(5) Benedict. xiv. de Syn. l. xiii. c. xii. n. xvi.
(6) Sess. xxiv. can. vi.

ad Deum transire, et alter in sæculo remanere."[1] Exempla sanctorum plurima referuntur qui conjugio uti propter Christum noluerunt. De S. Thecla id testantur S. Epiphanius, et S. Ambrosius; de S. Cœcilia, Alexio, et Euphrasia Simeon Metaphrastes; de duobus militibus S. Augustinus; de S. Leobardo S. Gregorius Turonensis; de virgine Gregoria S. Gregorius. M; de Edilrida Angliæ regina Venerabilis Beda.[2] Dicuntur etiam Pontifices Romani sæpius matrimonii haud consummati vinculum diremisse, ob gravissimas causas, præter religionis solemnem professionem. Nonnulli theologi tamen negant aliam ob causam præter ipsam professionem religiosam vinculum dirimi posse. Cæterum quum solo præstito consensu, ante conjugii usum, non videatur adeo perfecta sacramenti ratio ut solvi nequeat absque injuria ipsius vel contrahentium, iis assentimur qui censent summos Ecclesiæ rectores suæ potestatis limites ea in re haud excessisse. Quo jure dirimatur religionis professione emissa, quæritur a theologis, quorum aliqui ad jus naturale, alii ad jus ecclesiasticum, alii ad jus divinum illud referunt. Ex canone Tridentino, ait Benedictus XIV., "clarissime ostenditur hanc solubilitatem originem habere a jure divino: si etenim, post hunc Tridentini canonem, de fide est matrimonium ratum solvi per professionem, solubilitas debuit esse imposita a solo Deo, qui eam potuit facere sempiterne veram, uti subtiliter argumentatur Card. de Lauræa."[3] Hæc eruditissimi pontificis sententia gravi profecto nititur ratione. Quod autem aperta non proferantur documenta illius divinitus datæ facultatis, non debet nos morari, quum traditione orali et usu Ecclesiæ satis innotescat. Id catholico homini satis esse debet.

59. Matrimonium infidelium, seu non baptizatorum, *legitimum* dicitur, haud tamen *ratum*, quum sacramenti vi careat. Illud solvi posse, alterutro ad fidem converso, si conjux nolit absque contumelia Creatoris consortio conjugii frui, tradit Innocentius III., Apostoli testimonio et Ecclesiæ consuetudine innixus. "Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: 'Si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi."[4] Integrum Apostoli testimonium referre juvat: "Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri

(1) Extra de convers. conjug. cap. verum.
(2) Hist. Eccl. l. iv. c. xix.
(3) Quæst. 546. n. 35.
(4) Extra, Cap. quanto de Divortiis.

immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus."[1] Si infidelis consentiat habitare cum converso absque injuria Creatoris, ut aiunt, scilicet nullum obicem fideli in via salutis statuendo, vinculum matrimonii non solvendum declaravit S. Congregatio Conciliii, prout refert Benedictus XIV.[2] Matrimonii autem solutio tantum fit, quando jam aliud a converso initur.[3] Ante novas nuptias monendus est conjux infidelis, eique optio datur vel habitandi pacifice cum fideli, vel juribus matrimonii prorsus renuntiandi.

---

§. III. De divortio thori.

60. Quamvis nullo unquam in rerum eventu solvi possit vinculum matrimonii fidelium semel validi et consummati, etiam suprema Ecclesiæ auctoritate, conceditur tamen divortium thori et habitationis graves ob causas. Et quidem imprimis ob *adulterium*, licet enim innocenti sese a consortio adulteri separare, præsertim interveniente judicis ecclesiastici sententia. Id ex Christi verbis, permittentis ut dimittatur mulier ob fornicationem, constat. Idem jus competit uxori, nam ea est contractus natura, ut pares sint in eo quod pertinet ad conjugii fidem. Ita docuerunt summi viri, Ecclesiæ illustres doctores. S. Basilius: "Domini autem sententia æque viris ac mulieribus convenit, quod non liceat a matrimonio discedere, præterquam propter fornicationem."[4] S. Chrysostomus: "In aliis quidem plus habeat, inquit, vir: ubi vero ratio habenda est pudicitiæ, minime superior sit. Vir sui corporis potestatem non habet, neque uxor. Magna hic paritas, et prærogativa nulla."[5] Hæc illi, pro sacramenti sanctitate, et dignitate; longe alias ac recentiores quidam qui censent leges non debere adulterium viri plectere paribus pœnis, eo quod non idem societati civili proveniat damnum.[6] Eadem tamen fit injuria sacramento, et fides contrahendo præstita violatur, cum gravi alterius contrahentis injuria.

61. Divortium ob adulterium concessum *perpetuum* est, adeo ut innocens numquam teneatur condonare culpam alteri licet pœnitenti, ad con-

(1) 1 Cor. vii. 12.
(2) De Syn. Diœc. l. xiii. c. xxi. §. 1.
(3) Ib. l. vi. c. iv. n. 4.
(4) Ep. 1. ad Amphilochium.
(5) Hom. xix. in c. vii. ep i. ad Cor.
(6) Montesquieu, Pothier, et Taylor apud Kent Comm. vol. ii. p. iv. Lec. xxvii. n. 106.

sortium maritum eum excipiendo. *Ad tempus* conceditur divortium graves ob causas, quas non indicavit Christus, quia de perpetuo divortio erat interrogatus. Ecclesiæ potestatem hac in re vindicavit concilium Tridentinum canone edito: "Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit."[1] Causæ præcipuæ recensentur immoderata sævitia,[2] morbus contagiosus, amentia et furor conjugis, vis adhibita ut conjux a necessariis religionis muniis absterreatur,[3] vel ad crimina patranda inducatur. Pleræque hæ causæ divortii *a vinculo* legibus civilibus fœderatarum nonnullarum provinciarum statuuntur: nonnullis divortium a thoro tantum ob alias præter adulterium causas concedentibus,[4] aliis penes judices arbitrium relinquentibus alterutrum divortium concedendi, pro injuriæ ratione, et petitione læsi conjugis.[5]

(1) Sess. xxiv. can. 8.

(2) Cap. Litteras, Extra de rest. spol.

(3) Cap. ii. de divortiis.

(4) "For extreme cruelty in either of the parties, the court of chancery may decree a divorce from bed and board for ever thereafter, or for a limited time, as shall seem just and reasonable." Digest of Laws of New Jersey, art. *Divorce*, § 8.

(5) Vide Digest of Laws of Pennsylvania, Act of 25th Feb. 1817.

CAPUT VII.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

62. Matrimonia infidelium legibus Ecclesiæ sunt immunia, quum hæ subditos fideles respiciant, ideoque nonnisi indirecte possint attingere infideles, quatenus scilicet vetet Ecclesia fidelibus cum iis inire nuptias. Utrum ea subsint potestati principum infidelium, vel aliorum cui civiliter subjiciuntur contrahentes, inter theologos quæritur. Nobis videtur matrimonii natura ejusmodi esse ut nullatenus civili potestati subjaceat, quatenus contractus ipse individuæ vitæ societatis spectatur, hæc enim tota pendet ex voluntate et consensu contrahentium. Statui tamen possunt civili auctoritate conditiones ex quibus pendeant jura civilia conjugii, adeo ut nec conjuges legitimi habeantur, nec proles agnoscatur, legis præscripto neglecto. Equidem ad rectum rerum ordinem, et ad justam bonorum et onerum distributionem pertinet, ut conjugium *civiliter* agnosci possit, et probari ; sed ad ipsam contractus radicem, quæ in contrahentium consensione posita est, non videtur posse potestas mere humana pertingere. Matrimonia igitur infidelium valere nobis videntur, quoties nihil obstat ex jure ipso naturæ desumptum : civilem autem non consequuntur effectum, nisi legis servatis conditionibus.

63. De matrimoniis fidelium, seu baptizatorum, jam quæritur, utrum alicui potestati, seu ecclesiasticæ, seu civili, subjaceant, non tantum quoad effectus in utroque foro, sed etiam quoad ipsam vim contractus. In confesso apud omnes est civilem potestatem posse vires in foro civili denegare contractui matrimoniali, qui celebratus non fuerit juxta leges ; quæ tamen potestas non libidine imperandi, sed utilitatis civium studio exercenda est. Pari de causa in foro ecclesiastico posset irritum haberi conjugium, quod contra leges Ecclesiæ fuerit initum. Sed de valore contractus in se et coram Deo quæritur : utrum scilicet Ecclesia vel potestas civilis possit irritum facere contractum, licet contrahentes voluntatis libero consensu eum ineant, nullo obstante naturali impedimento, adeo ut vis omnis ei tollatur, tum in foro externo, tum coram Deo. *Dirimens* vocatur impedimentum hujusmodi, quod scilicet obstat ne valeat contractus : *impediens* e contra est quod obstat ne liceat contractum inire, qui tamen initus suam obtinet vim.

64. Illud certissimum principium statuendum est ex fidei doctrina posse Ecclesiam impedimenta dirimentia constituere, et in iis constituendis haud errasse: "Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit."[1]

65. Lutherus Calvinusque, quum nuptias naturalem tantum contractum haberent, eas nonnisi naturæ legibus vel divinis regi voluerunt. Apostata insignis, M. Antonius de Dominis, Ecclesiæ potestatem hac in re etiam impugnavit. Launojus principibus blandiens, et plures alii janseniana pice tacti, inter quos et synodus Pistoriensis auctor, Ecclesiæ abstulerunt quam civili potestati tribuerunt auctoritatem. Sectæ pleræque recentiores eos agnoscunt matrimonio obices quos lex divina statuit, eam intelligentes quæ Israelitis data est, cui nulla lege humana derogari posse affirmant.[2] Plerique *status* fœderati eos gradus consanguinitatis qui in libro Levitici nominantur, lege definierunt obstare matrimonio; qua deficiente definitione omnia valere censentur conjugia in linea collaterali, exceptis fratrum et sororum contuberniis.[3]

66. De Ecclesiæ potestate nulla apud nos lis agitur, continetur enim *intra forum suum*, nec enim tribunalia civilia nostratia agnoscunt leges ecclesiasticas, quæ tamen totam suam vim obtinent in conscientiæ foro. Quas autem a lege civili declarari contigerit nuptias irritas, de effectibus civilibus intelligere oportet; nec enim legum latoribus in animo est de rebus spiritualibus, vel quæ ad animarum regimen pertinent, aliquid decernere: quum ex constitutione totius reipublicæ *Status* ab *Ecclesia* discrimen omino servandum sit: nec quidquid valeat potestas civilis in rebus ecclesiasticis. Ita igitur apud nos conciliantur jura, quod conjugia contra Ecclesiæ leges celebrata, ab iis qui ejus auctoritate continentur, nulla sint prorsus et irrita, quandocumque lege Ecclesiastica talia declarantur: adeo ut omnibus privilegiis sacræ communionis privari queant, ecclesiasticis censuris inflictis, qui civilis sanctionis prætextu conjuges se gerunt, obice ecclesiastico haud sublato:[4] et e contra quæ forsan haud agnoscat civilis potestas conjugia, legis conditionibus haud impletis, possint vim habere in foro ecclesiastico, si jus divinum, naturale, vel ecclesiasticum non obstet.

(1) Sess. xxiv. can. iii.

(2) "Marriage ought not to be within the degrees of consanguinity or affinity forbidden in the word; nor can such incestuous marriages ever be made lawful by any law of man, or consent of parties, so as those persons may live together, as man and wife." Presbyterian confession of faith, ch. xxiv. §. iv.

(3) Vide Kent's Comment. vol. ii. Lect. xxvi. n. 83.

(4) Presbyteriani in sua confessione dicunt nullam humanam legem posse conjugiis contra legem divinam vim tribuere: at constat non omnes gradus Leviticos in fœderatis aliquibus statibus impedimenta haberi. "In several of the United States, marriages within the levitical degrees, *under some exceptions*, are made void by statute. Kent ibid

PROPOSITIO.

Potuit Ecclesia constituere impedimenta matrimonium dirmentia, et in iis constituendis non erravit.

Probatur I. ex perpetuo potestatis exercitio.

67. Concilium ELIBERITANUM censuit: "Si quis privignam suam duxerit uxorem; eo quod sit incestus, placuit, nec in fine dandam esse ei communionem."[1] Concilium NEOCÆSAREENSE anno 314. "Mulier si duobus nupserit fratribus, abjiciatur usque ad diem mortis. Sed propter humanitatem in extremis suis, sacramentis reconciliari oportet; ita tamen, ut si forte sanitatem recuperaverit, matrimonio soluto, ad pœnitentiam admittatur."[2] Concilium AURELIANENSE II. anno 533: "Placuit, ut nullus Christianus Judæam, neque Judæus Christianam in matrimonio ducat uxorem: quia inter hujusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. Qui si commoniti a consortio hoc se separare distulerint, a communionis gratia sunt sine dubio submovendi."[3] Concilium MOGUNTINUM anno 813: "Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur: ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur."[4] In his omnibus decretis irrita declarantur hujusmodi conjugia: unde patet eam præsulibus Ecclesiæ omni ætate insedisse persuasionem, sui juris esse impedimenta stature, quæ obstarent ne valerent matrimoniales contractus contra vetitum attentati. Porro nefas est cogitare potestatem adeo constanter adhibitam carere fundamento.

Probatur II. ex patrum testimoniis.

68. S. BASILIUS ait: "Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum conjunctio divellatur."[5] Canonici intelliguntur juxta Balsamonem, qui virginitatem professi in canonem, catalogum scilicet monachorum vel cleri, referebantur.

69. S. GREGORIUS M. scriptis edocuit Augustinum quomodo cum Anglis ad fidem conversis, de matrimoniis gerere se deberet. Romanam legem qua permittebantur consobrinorum conjugia imprimis emendat, subjungens: "Unde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda quam diximus a se omnino debet abstinere: cum noverca autem misceri grave est facinus."[6]

Probatur III. ratione theologica.

70. Quum Christus præsulibus Ecclesiæ, amplissimis verbis, ligandi solvendique dederit auctoritatem, potestate præditi censendi sunt omnia

(1) Can lxvi.
(2) Can. ii.
(3) Can. xix.
(4) Can. liv.
(5) Can. vi.
(6) Ep. l. xii. ep. xxxi. ad aug.

statuendi quæ ad bonum regimen animarum pertinent: ad hoc autem plane spectat ea de matrimonio decernere quæ bonos mores fovent, et hominum salutem. Quæ concurrere debeant ut consensus legitimus habeatur, mores et salutem spectant. Ergo in his definiendis exercenda est Ecclesiæ potestas, quæ quum rata habenda sit in cœlo, Christo ita pollicente, valent coram Deo impedimenta dirimere contractum. Ecclesiam vero haud errasse in constituendis matrimonii impedimentis, ex Christi promissionibus inferimus, et re ipsa probamus: quæ enim statuit eo diriguntur ut morum et fidei integritas servetur.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

71. *Obj.* 1. Christus nullibi legitur concessisse Ecclesiæ auctoritatem dirimentia impedimenta constituendi: potestas autem major est quam quæ ratiocinando statui possit.

Resp. Concessit Christus Apostolis amplissimam auctoritatem ligandi et solvendi; et eam quam a Patre acceperat, summam potestatem, in vadimonium dedit ejus quam iis communicavit exercendam. Eos constituit sui ministros, et dispensatores mysteriorum divinorum, qui idcirco legatione pro ipso funguntur, ejus vices obeuntes in iis quæ pertinent ad sacramentorum administrationem. Jura matrimonii certe explicuit Paulus, et ea nixus auctoritate, quid liceret fideli, si infidelis nollet cum ipso habitare, declaravit. Non ratiocinando potestatem hanc statuimus; sed quam semper exercuit Ecclesia, ostendimus verbis Christi comprobari.

72. *Obj.* 2. Leges quas de matrimonio dedit Deus, tantum spectandæ sunt, nec aliæ adjungendæ, quæ, libertate nubendi minuta, peccandi periculum augent.

Resp. Leges illæ populo singulari datæ non obligant cæteras gentes; etenim Deus totam legem abrogatam voluit, Christo suam in terris Ecclesiam fundante. Penes rectores Ecclesiæ idcirco est ex veteri codice desumere, quæ omnium gentium conditioni accommodata videantur, eaque adjicere quæ specialia rerum adjuncta postulant.

73. *Obj.* 3. Quoties Ecclesiæ præsules tulerunt leges de matrimoniis, consueverunt Cæsarum operam postulare, ut vim haberent: quod indicium est eos nil per se posse. Sic concilium Moguntinum a Carolo M. confirmationem eorum quæ de impedimentis statuerat petiit.

Resp. Non id semper fieri consuevit; sed libero plenoque jure decreverunt præsules quæ ad matrimonium spectabant, adeo ut ipsi summi principes iis tenerentur legibus quæ fidelium omnium conjugia regebant. Profectò Gregorius V. anno 998 in synodo Romana Roberti Francorum regis cum Berta consanguinea matrimonium irritum pronuntiavit. Quandocumque autem regia implorabatur opera ad legibus ecclesiasticis vim tribuendam, effectus civiles spectabantur: nec enim nisi civili auctoritate probante poterant sanctiones illæ in judiciis rebusque civilibus obtinere.

74. *Obj.* 4. Liber duorum consensus de corporum suorum dominio, quod jure naturæ penes unumquemque est, non potest irritus fieri Ecclesiæ auctoritate.

Resp. Quicumque baptismo lustrati fidem catholicam profitentur, cives sunt reipublicæ cœlestis, institutæ scilicet ut cives cœlo fruendo fiant idonei. In omnibus igitur quæ ad salutem spectant, supremæ auctoritati Ecclesiæ, quæ a Deo est, subduntur, et eorum voluntas, sicut et actus, sacro ejus imperio moderanda est. Penes eam est conditiones legitimi consensus definire, quæ si neglectæ fuerint, irritus erit. Profectò non ita potest unusquisque de suo corpore disponere, quod divinæ legis, vel ecclesiasticæ nulla habenda sit ratio.

75. *Obj.* 5. Ecclesia irritum declarando matrimonium libere contractum, solvit quod Deus conjunxit, Christo id vetante, et injuriam facit contrahentibus et proli. Ergo abutitur potestate in destructionem.

Resp. Deus haud conjunxisse censendus est eos qui leges ab Ecclesia latas spernunt. Quod si bona fide contraxerint, impedimenti haud conscii, potestas ecclesiastica plerumque exercetur dispensando ut valeant contrahere. Quæcumque forsan evenerint incommoda, nequeunt imputari Ecclesiæ, quæ sapientissimas et sanctissimas tulit sanctiones.

76. *Obj.* 6. Impedimenta illa ecclesiastica civili potestati injuriam faciunt, nam conjuges legitimi juxta patriæ sanctiones, adulteri vel incesti in foro, uti aiunt, ecclesiastico habentur, et filii spurii.

Resp. Nulla fit civili potestati injuria, nam libera omnino et suprema in iis quæ ad ordinem et regimen politicum manet auctoritas: quod si cives cœlestis reipublicæ haberi velint, oportet ut servent Ecclesiæ instituta. Ea tantum conditione ejus privilegiis frui licet. Si igitur aliquando contingat aliquos *civiliter*, uti aiunt, esse conjunctos, quos obex impedit ne juxta legem Ecclesiæ conjungantur, civium terrenorum fruuntur juribus, amittunt cœlestia; non enim Dei judicium rerum externam speciem spectat, sed veritatem.

PROPOSITIO.

Civilis potestatis exercitium in matrimoniis dirimendis ultra civiles effectus non extenditur.

Probatur ex rerum natura.

77. Civilis potestas eum in finem instituta est ut cives regat in iis quæ pertinent ad ordinem et salutem publicam. Quum igitur finis illi propositus sit civilis, ejus auctoritas tota intra eos limites consistit. Præterea non debet singulorum libertati detrahi in societate constituenda, nisi quatenus id exigit ipsa salus communis: præsertim quoad ea quæ naturæ jura præcipua videntur. At vero salus communis non exigit ut libertas matrimoniorum minuatur, quum satis præcaveantur mala ex ejus abusu, civilibus effectibus eorum quæ contra leges inita fuerint, denegatis. Res vero

præcipua et jus naturæ, ex quo pendet hominis felicitas, est nuptiarum libertas. Ergo huic detrahere nequit civilis potestas. Accedit quod matrimonium fidelium sit sacramentum, ideoque rectoribus Ecclesiæ permittitur ministrandum: qua ratione est extra civilem potestatem, quoad vim vinculi coram Deo.

78. Hinc Romana tribunalia constanter responderunt: "matrimoniis fidelium quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere, qualiacumque tandem fuerint impedimenta a sæculari potestate, Ecclesia non consulta, nec probante, perperam ac nulliter constituta."[1]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

79. *Obj.* 1. Civilis potestas suprema est, et valet omnia efficere, quæ ad reipublicæ salutem prosunt: maxime autem pendet salus publica ex matrimoniis. Potest ergo ea irrita declarare quæ cum sui aut reipublicæ pernicie cives ineunt.

Resp. Potest ea irrita facere quoad omnes effectus civiles, qua ratione saluti publicæ et privatæ satis consulit. Ad externum regimen non spectat ulterius progredi, conscientias ligando vel solvendo, quæ soli Deo, et iis qui ab eo suam derivant auctoritatem, subduntur.

80. *Obj.* 2. Turpis foret discordia si apud Ecclesiam valerent quæ irrita sunt et inania apud omnia patriæ tribunalia: ergo ipsa Ecclesiæ et reipublicæ salus communis postulat valere in utroque foro leges civiles quæ conjugia quædam nullius declarant valoris.

Resp. Nulla discordia vel lucta inter utramque potestatem intercedat necesse est, rebus, prout apud nos, compositis: nec enim Ecclesia aliquid facit quo legum civilium sanctiones frustra evadant: nec civilis potestas sese ecclesiasticis rebus immiscet, ut cogat nos conjuges in foro Ecclesiæ agnoscere, quos jura sacra a conjugii sacramento repellunt.

81. *Obj.* 3. Plures leges Romanæ et Cæsareæ sanctiones quibus conjugia irrita declarabantur, vim habent in foro Ecclesiastico. Agnoscit Benedictus XIV. "a legibus civilibus inductum esse impedimentum ex cognatione legali seu adoptione: imo impedimenti cognationis spiritualis primum monumentum reperiri in quadam constitutione Justiniani imperatoris." Ita Carrière theologorum Gallorum placita referens.

Resp. Vim obtinuerunt in foro Ecclesiæ sanctiones civiles quæ æquæ visæ sunt, et dignæ quæ probarentur: rejectæ cæteræ sunt naturalibus juribus hominis adversæ. Sic quæ leges Romanæ statuebant de matrimoniis filiorum familias absque parentum consensu, et mancipiorum absque dominorum venia, utpote adversa juribus naturalibus, constanter rejecta

(1) Vide resp. S. Poenit, 1 Junii 1824, episcopo Viva. relatam apud Carrière vol. 1, p. 111, § II c. II n. 579.

sunt.[1] Cum Benedicto XIV. agnoscimus occasionem impedimenti ecclesiastici sanciendi posse ex lege civili oriri; sed pernegamus legem civilem vim ullam in foro ecclesiastico per se habere qua vinculum matrimonii coram Deo tollat.

82. *Obj.* 4. Lex civilis impedimentum statuendo tollit contractum civilem, qui nisi legitimus sit, nullus est: jam vero absque contractu nullum est matrimonium.

Resp. Absque contractu humano et naturali, nullum est matrimonium; sed opus non est ut civili quadam forma induatur, ad materiem sacramento præstandam. Christus non noscitur quid speciale de contractu decrevisse, sed qualis fuit ab initio eum sanxisse: quod quidem sapientiæ ejus consonum videtur, ne cum civilium rerumpublicarum legumque mutationibus materies sacramenti varietur; vel hominum voluntas in iis quæ sunt juris naturalis civili potestati subjaceat.

83. *Obj.* 5. Lex civilis declarat conjugia irrita quocumque sub respectu, et ad fines quoslibet.

Resp. Fines civiles plane spectat lex, de conscientiæ negotiis parum solicita, quæ tota sunt dijudicanda juxta divinas et ecclesiasticas sanctiones. Ex ipsa legis natura prout a jurisperitis celeberrimis traditur, hæc derivatur distinctio.[2]

ANIMADVERSIONES.

84. Vindicata Ecclesiæ potestate constituendi impedimenta dirimentia, quam civili potestati non competere ostendimus, liquet Ecclesiæ nomine intelligi ejus rectores, præsules scilicet, præsertim Summum Pontificem. Voce ludebat Launojus, ea designari principes civiles affirmans. Sed quum res per se pateat, in ea vindicanda contra recentiorum quasdam cavillationes haud vacat immorari.

85. Canones Tridentinos de potestate Ecclesiæ in statuendis impedimentis dogmaticos esse, ex ipsis eorum verbis colligitur, nam anathema dicitur neganti Ecclesiam potestate illa carere, vel in constituendis impedimentis errasse. Præmittuntur etiam verba quibus patres animum suum esse testantur, insigniores hæreses et errores exterminare. Ita etiam habet sensus totius Ecclesiæ.

86. Constat quoque patres Tridentinos locutos esse de potestate quæ Ecclesiæ est, nec niti aliqua principum concessione vel assensu, ideoque contra mentem patrum hanc excogitatam hujus potestatis originem. Merito igitur Pius VI. damnavit Pistoriensem synodum solemni decreto, quod

(1) Mirum, libertatem matrimonii, quam Ecclesia sanctissimis sanctionibus munivit, minutam a recentioribus legumlatoribus, qui Romanorum Ethnicorum leges imitari maluerunt. Quanto melius singulorum juribus semper studuit Ecclesia!

(2) "Municipal law is a rule of *civil conduct* prescribed by the supreme power of a state." Blackstone.

tota agnoscit Ecclesia: "Doctrina synodi asserens ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia; quod jus originarium præterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum, subjungens, supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii—Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in Christianorum matrimoniis *jure proprio* impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in iisdemque dispensare," damnatur ut "canonum iii. iv. ix. xii. Sess. xxiv. concilii Tridentini eversiva, *hæretica*" (prop. lix.) "Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis impedimentum, quorum origo reperitur in collectione Justiniani; tum ut restringat impedimentum affinitatis, et cognationis ex quacumque licita, aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta civilem numerandi rationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;—Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiastica auctoritate constituta, vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis, vel comprobatis," declaratur ut "libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta." (Prop. lx.)

CAPUT VIII.

DE SINGULIS IMPEDIMENTIS.

87. Quam Ecclesiæ vindicavimus potestas duplici ratione exercetur, impediendo scilicet ne matrimonium ineatur licite, nisi certis positis conditionibus ; vel ne omnino valeat contractus. *Impedientia*, uti jam diximus, ea vocantur impedimenta quæ obstant licitæ celebrationi matrimonii, quin vim ejus tollant, et quatuor numerantur : scilicet *Ecclesiæ vetitum*, *tempus*, *sponsalia*, *votum*. *Ecclesiæ vetitum* dicitur prohibitio ab episcopo facta ne nuptiæ ineantur, quæ plerumque fit ob dubium de impedimento dirimente, ut tempus detur indagini.[1] *Tempus* per quod nuptiarum solemnitates prohibentur, est ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ exclusive, et a die cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive.[2] Solemnitates autem dicuntur "nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest." Ita Rituale Romanum. Benedictio quæ prohibetur ea est quæ in Missa *pro Sponso et sponsa* continetur. Licet igitur ritum in Rituali Romano præscriptum omni tempore peragere. Item permittitur sponsam absque pompa et solemnitate domum traducere, uti declaravit S. Congregatio Concilii.[3] Ratio cur solemnitates nuptiarum aliquando vetentur est quod jejuniorum tempore pœnitentiæ operibus vacandum sit, et in magnis festis celebranda sint mysteria.

88. *Sponsalia*, scilicet mutua matrimonii promissio,[4] obstant ne alterutri cum alio præter eum cui fidem oppigneravit, liceat matrimonium inire. Aliquando fiunt cum solemnitate, testibus accersitis, et etiam parocho præsente ; sed vim habent etiam clam facta, solis spondentibus præsentibus. Necesse tamen est ut fiant seriò, animo se obligandi ad matrimonium ineundum, et ut mutuò acceptentur. Fieri non debent ante septennium :[5] nec revocari ante pubertatis annum,[6] qui decimus quartus maribus, decimus secundus fœminis censetur. Non valent nisi libere fiant, et de

(1) Cap. ii. de Mat. contract. contra. interdictum Eccl. l. iv. tit. xvii.
(2) Trid. Sess. xxiv. c. x. de ref.
(3) Decr. 10 Julii an. 1684.
(4) Leg. 1. § de spons.
(5) Cap. vii. de desp. imp.
(6) Cap. v. et v. de desp. imp.

re licita; quapropter si matrimonium legibus Ecclesiæ vetetur, nemo potest sponsione se obligare ad illud ineundum, nisi dispensatione impetrata. Quæ ex metu injuste incusso fiunt sponsalia, vi omni carent.[1] Parentes pro filiis sponsalia censentur facere, quando hi præsentes non contradicunt.[2] Mutuo consensu solvi semper possunt; soluta autem non impediunt ne sponsi cum aliis ineant nuptias, dummodo non sint consanguinei sponsi in primo gradu.

89. *Votum* quarto loco dicitur obstare licitæ celebrationi matrimonii, quin illud dirimat. Intelligitur scilicet votum simplex a quolibet privatim emissum, vel publice, sed ab Ecclesia in perpetuum non acceptatum. Illud non obstare valori matrimonii constat ex jure.[3]

90. Impedimenta *dirimentia*, quæ scilicet faciunt ut matrimonium initum non valeat, quindecim numerantur, quæ adjuvandæ memoriæ causa versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

91. *Error* circa personam, vel qualitatem quæ in substantiam personæ redundat, dirimit matrimonium jure ipso naturæ, nullus enim est contractus, ubi substantia ipsa rei ignoratur. Hinc non valuit Liæ cum Jacobo matrimonium, donec fraude detecta liberum consensum præstiterit. Valet tamen matrimonium, licet initum ex errore circa personæ dotes seu qualitates, quæ tamen substantiam personæ non afficiunt: puta si quis errore putavit puellam esse divitem, castam, sanam, bonæ indolis. Haud absimilia sunt legis civilis principia.[4]

92. *Conditio servilis* obstat ne valeant nuptiæ, quoties[5] ignorata fuerit a libero, qui cum mancipio contraxit, injuria enim quis censeretur consensisse conditione adeo sibi et proli iniqua. Si liber servam carnaliter

(1) C. *Ex litteris* II. de desp. imp.

(2) Cap. unico de desp. imp.

(3) Caput vi. *Qui clerici.*

(4) "It is said that error will, in some cases, destroy a marriage, and render the contract void, as if one person be substituted for another. This, however, would be a case of palpable fraud, going to the substance of the contract; and it would be difficult to state a case in which error simply, and without any other ingredient, as to the parties, or one of them, in respect to the other, would vacate the contract. It is well understood that error, and even disingenuous representations, in respect to the qualities of one of the contracting parties, as his condition, rank, fortune, manners, and character would be insufficient. The law makes no provision for the relief of a blind credulity, however it may have been produced." Kent's Commentaries, vol. ii. part iv. lec. xxvi.

(5) C. *Ad nostrum*, de conjugio serv.

cognoverit "postquam illam audivit esse ancillam," ejus uxor habenda est.[1] Lex quippe canonica non obstat, si liber jure suo utens cum mancipio velit nuptias inire. In plerisque statibus fœderatis lex civilis libertatis exercitium hac ex parte coercet, nec enim valent liberi cum servis, vel Indis, contrahere matrimonium; quod irritum proinde absque ulla judicii forma habetur.[2] Mancipia jure canonico idonea habentur ad contrahenda inter se matrimonia, etiam dominis invitis, agitur enim de jure naturali, et de suscipiendo sacramento: "Sane juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu, neque liber, neque servus est a sacramentis Ecclesiæ removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; et si contradicentibus dominis, et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi."[3] Leges civiles in statibus in quibus servitus viget, plenum conjugiorum arbitrium dominis dant, et gravissimis subjiciunt pœnis sacros ministros mancipiorum adstantes matrimoniis absque consensu dominorum in scripto.

93. *Votum* solemne quod dirimit matrimonium, illud dicitur quod emissum fuerit in ordine religioso, et acceptatum in perpetuum ab Ecclesia, votorum enim solemnitas ex acceptatione hæc pertinet: acceptatur autem, probato ordine a Sede Apostolica, et perpetua obligatione votorum ex utraque parte, tum emittentis, tum Ecclesiæ cujus nomine suscipitur agnita. Jure novo speciali eadem vis tribuitur votis in Societate Jesu emissis, licet penes Superiores maneat subditos dimittere, et ideo deficit acceptatio in perpetuum.

94. *Cognatio* sive *carnalis* ex sanguinis communione, quæ consanguinitas dicitur, sive *spiritualis* ex officio patrini vel matrini orta; sive *legalis*, ex perfecta alicujus in hæredem adoptione, dirimit matrimonium.

95. *Consanguinitas* est vinculum personarum, quarum una ab alia, vel ambæ ab eadem tamquam a communi et propinquo stipite, generatione descendunt. Series generationum *linea* dicitur, *directa* quidem si sermo sit de iis quorum unus ab alio descendit, filius ex, gr. a patre. *Collateralis* autem, quando de iis agitur qui tantum in stipite communi conjunguntur: fratres scilicet et consobrini in hac linea constituuntur. *Gradus* appellatur mensura distantiæ a stipite; fratres et sorores idcirco primo in gradu conjunguntur, consobrini, fratrum vel sororum filii secundo in gradu et sic deinceps. Quando inæqualis est gradus, remotior spectatur: attamen si alteruter uno tantum gradu a stipite distet, alter duobus, quamvis

(1) C. Propos.

(2) "By the Massachusetts Revised Statutes, 1835, all marriages prohibited by law on account of consanguinity or affinity, or when the former wife or husband is living, or when either party was at the time insane or an idiot, or between a white person and a negro, Indian, or mulatto, are declared to be absolutely void, without a decree of divorce, or other legal process." Kent's Commentaries, vol. ii. Lect. xxviii.

(3) Cap. *Dignum est*, eodem tit.

secundo gradu conjuncti dicantur, primum tamen attingunt: ex: gr: avunculus et neptis. Prohibitio nuptiarum inter consanguineos nititur reverentia quæ propinquis debetur, natura ipsa docente, et ad morum integritatem fovendam dirigitur, ex necessitudine enim, quæ inter propinquos intercedit, frequens foret peccandi occasio, nisi spes matrimonii tolleretur.[1] In linea recta nullus est vetito limes, nec enim quivis potest cum aliqua ex ejus posteris contrahere; sed in linea collaterali jure naturæ non excedit primum gradum.[2] Leviticæ prohibitiones non habent vim ullam in nova lege; ideoque ex Ecclesiæ auctoritate quæ extant impedimenta derivantur. Ad quartum usque gradum extenditur prohibitio.

96. Cognatio *spiritualis* contrahitur jure ecclesiastico inter patrinos ac baptizatum, quem susceperunt e sacro fonte, et illius patrem et matrem; necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum."[3] In confirmatione cognatio contrahitur inter confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem.[4] Ratio impedimenti est ut liberius officia quæ suscipiunt sponsores obeantur, sublata spe matrimonii, ideoque tentationum occasione minuta.

97. Cognatio *legalis* est propinquitas a legibus statuta ob perfectam adoptionem qua extraneus ad hæreditatem et filii jura adsumitur. Dirimit matrimonium inter adoptantem et adoptatum, posterosque adoptati usque ad quartum gradum; item inter uxorem adoptantis et adoptatum; et inter uxorem adoptati, et adoptatum; denique inter adoptatum, seu adoptatam, et filios legitimos, aut filias adoptantis, quamdiu manserint in patria potestate. Patre autem mortuo, vel filiis sui juris factis, matrimonium iniri potest eos inter et adoptatum.[5] Impedimentum hoc propinquitate quam leges agnoscunt innititur, sed ex Ecclesiæ eam sancientis totam vim desumit.

98 *Crimen* homicidii, vel adulterii, vel utrumque obstat ne valeat matrimonium inter reos. *Homicidium* communi consilio patratum, ut via nuptiis paretur, licet alterutrius tantum opera, impedit ne matrimonium

(1) "These regulations, as far at least as they prohibit marriages among near relations, by blood or marriage, (for the canon and common law made no distinction on this point between connexions by consanguinity and affinity,) are evidently founded in the law of nature; and incestuous marriages have generally (but with some strange exceptions at Athens) been regarded with abhorrence by the soundest writers and the most polished states of antiquity. Under the influence of Christianity, a purer taste and stricter doctrine have been inculcated; and an incestuous connexion between an uncle and niece has been recently adjudged, by a great master of public and municipal law, to be a nuisance extremely offensive to the laws and manners of society, and tending to endless confusion, and the pollution of the sanctity of private life." Kent's Commentaries, vol. II. p. iv. Lec. xxvi. n. 82.

(2) Ibidem, n. 84.

(3) Conc. Trid. Sess. xxiv. c. II.

(4) Ibidem.

(5) Cap. unico. de cogn. leg.

ineatur, ob quod patratum est.[1] *Adulterium* patratum, data fide de nuptiis post conjugis mortem ineundis, impedit ne valeant, quoties ante vel post adulterium facta est promissio, adeo ut cum eo videatur conjungi.[2] Matrimonium attentatum, et consummatum, priore conjuge in vivis, et utroque reo conscio vinculi, vim hujus impedimenti obtinet.[3] *Adulterium cum homicidio* inducit impedimentum, quando alteruter conjugem occidit, ut nuptias cum adultero conciliet.[4] Impedimentum hoc vim obtinet, si alteruter fuerit baptizatus,[5] secus si uterque baptismo careat.

99. *Cultus disparitas* est impedimentum ex defectu baptismi quo fit ut baptizatus cum infideli, scilicet non baptizato, nequeat contrahere nuptias. Primordiis Ecclesiæ prohibita sunt fœdera hujusmodi: "Nolite jugum ducere cum infidelibus;"[6] at valuerunt, imo consuetudine ita invaluerunt ut plerisque haud illicita viderentur.[7] Cæterum diffusa religione christiana, a sæculo forsan sexto irrita habita sunt.

100. Matrimonia catholicorum cum hæreticis baptizatis nulla lege dirimuntur, sed vetita sunt antiquis canonibus, quorum observantiam sæpissime inculcarunt summi pontifices. Vetiti ratio manifesta est quod in re sacra non liceat cum hæretico communicare: matrimonium autem sacramentum est. Deinde discrimini se objicit catholicus conjugia illa ineundo, quum et sibi et proli non facile consulatur de muniis religionis. Iniquum autem prorsus foret salutis suæ, vel suorum abjicere curam. Concilium Eliberitanum Apostoli verba ad suam sanctionem qua hæc vetantur connubia firmandam adducit: "Hæretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis Catholicas dandas esse puellas: sed neque Judæis, neque hæreticis, dare placuit: eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet."[8] Laodicenum concilium decrevit: "Eos qui ad Ecclesiam pertinent, indifferenter filios proprios hæreticorum nuptiis minime sociare debere."[9] Chalcedonenses patres: "Sed neque copulari debet nuptura hæretico aut Judæo, vel Pagano; nisi forte promittat se ad orthodoxam fidem persona orthodoxæ copulanda transferre. Si quis hanc definitionem sanctæ synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit."[10]

(1) Cap. *Laudabilem*, de convers. infid.

(2) C. Relatum 31, qu. 1.

(3) C. Significavit 2, c. Lit. 4, c. cum haberet 5, et c. si quis 8. De eo qui duxit in mat.

(4) Cap. iii. et vi. De eo qui duxit.

(5) C. 1, de convers. infid.

(6) II. Cor. vi. 14.

(7) Aug. conf. l. ix. c. ix.

(8) Can. xvi.

(9) Can. x.

(10) Can. xiv.

101. Plurima a summis pontificibus statuta sunt, ut veteres illi canones sancte servari pergerent. Aliquando quidem speciali indulgentia permiserunt nuptias hujusmodi fieri, conditionibus quibusdam appositis, quibus prolis catholicæ educationi præcipue consulebatur. Sed ut omnes intelligant quam aliena sit Ecclesia ab hujusmodi connubiis adeo plenis periculi, et a sanctitate sacramenti abhorrentibus, solent jubere "ne umquam mixta hæc connubia intra sacri templi ambitum perfici sinat *(parochus;)* et ut ab imperienda contrahentibus sacerdotali benedictione, et a recitandis precibus in Romano Rituali præscriptis pro celebratione nuptiarum omnino abstineat." Permittunt scilicet ei "materiali tantum præsentia adesse, perinde ac si unice ageret partes testis, ut aiunt, qualificati sive auctorizabilis."[1] Disciplinam hanc novissime vindicavit Archiepiscopus Coloniensis, quem et secutus est Archiepiscopus Posnaniensis, uterque ærumnis et exilio gloriosus, Borussorum regi, extra civilis potestatis limites excurrenti, fortiter et modeste, prout Ecclesiæ præsules decet, repugnans. Utinam et nobis contigerit sancta servare jura, et fidelium saluti, quæ infaustis connubiis toties periclitatur, consulere! Porro quo loco habeamur a sectariis liquet, quum nos veluti idololatras traducant, a quorum consortio abhorrendum sit.[2]

102. *Vis* impedit quin valeat matrimonium, quoties tanta est quæ gravem incutit timorem.[3] Puella minis aut improperiis patris ad connubium adacta, vinculo conjugii non ligatur, nisi deinceps, noscens priorem consensum haud valere, libere consentiat.[4] Qui ex metu ne propinqui vitiatæ puellæ ulciscantur injuriam, eam ducit, ejus maritus vere censendus est, nisi mors vel gravissimum supplicium extra justitiæ ordinem intentatum ei fuerit ad extorquendum consensum.[5] Ut libertati matrimoniorum consuleret synodus Tridentina, vetuit dominis temporalibus ac magistratibus, omnibusque "sub anathematis pœna quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte, subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant."[6]

103. *Ordo* sacer susceptus impedit ne valeat matrimonium postea attentatum, Ecclesiæ irritum illud decernente, uti jam vidimus.[7]

(1) Vide Pii vii. Breve: "Etsi fraternitatis;" ad Archiep. Mogunt. anno 1803.

(2) "Such as profess the reformed religion should not marry with infidels, Papists, or other idolaters." Presbyterian confession of faith, ch. xxiv. n. 3.

(3) "A marriage procured by force or fraud, is also void ab *initio*, and may be treated as null by every court in which its validity may be incidentally drawn in question. The basis of the marriage contract is consent, and the ingredient of fraud or duress is as fatal in this as in any other contract, for the free assent of the mind to the contract is wanting." Kent's Commentaries, p. iv. Lec. xxvi.

(4) Cap. *Ad id.* 21. de Sponsalibus.

(5) C. *Veniens*, de Sponsal.

(6) Sess. xxiv. cap. ix. de ref.

(7) Tract. de Ordine, c. xii. De Sacro Cœlibatu.

104. *Ligamen*, vinculum scilicet prioris matrimonii, facit ut non valeat matrimonium postea attentatum, priore conjuge adhuc in vivis, licet mortua censeatur. Nulla absentia quamvis diuturna, nec bona fides potest efficere ut novæ valeant nuptiæ, viva priore conjuge. Hinc Clemens III. interrogatus: "quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causa captivatis, vel peregrinationis absentes, ultra septennium præstolatæ fuerint: nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem: et pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari;" respondit: "quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare: nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum."[1] Leges civiles in quibusdam statibus triennii absentiam causam ligaminis solvendi definiunt, et novum permittunt matrimonium, divortio vinculi concesso.[2]

105. *Honestas publica* vocatur impedimentum ortum ex sponsalibus valide initis cum persona consanguinea in primo gradu, matre scilicet vel sorore sponsæ, vel patre vel filio sponsi. Oritur etiam ex matrimonio rato, quod consummatum non fuerit, et ad quartum gradum extenditur.[3] Sponsalibus juste solutis, manet impedimentum, adeo ut ne quidem ex sponsæ consensu possit sponsus ejus sororem ducere, absque dispensatione.[4] Ex sponsalibus autem invalidis nullum oritur impedimentum.

106. *Amens* non valet matrimonium inire, necesse enim est consensum præstare, natura contractus cognita. Qui ad tempus insaniunt, valide contrahunt iis temporum intervallis in quibus sunt sui compotes. Consonant leges civiles.[5]

107. *Affines* non possunt matrimonio conjungi intra quartum gradum, si affinitas oriatur ex copula licita;[6] si ex illicita impedimentum restringi-

(1) Cap. xix. de Sponsalibus.

(2) "In New Hampshire, joining the religious society of the Shakers, who hold cohabitation unlawful, and continuing in that society for three years, is a sufficient cause for a divorce. Dyer v. Dyer, 5 *New Hampshire Rep.* 271. In Connecticut, divorce a *vinculo* applies to cases of adultery, and fraudulent contract, and wilful desertion for three years, with total neglect of duty, or seven years absence and unheard of. *Statute Code* 1702. In Ohio the Supreme Court is authorized to grant a divorce, if either party had a former husband or wife living at the same time of the second marriage, or where either party is wilfully absent from the other for three years." Kent's Commentaries, xxiii. Lect. xxvii. n. 105. note.

(3) Vide S. Pii V. constit. *Ad Romanum*. et cap. 1 de Sponsal. in 6.

(4) Vide Decr. S. Cong. conc. 6 Julii 1658, probatum Alex. viii.

(5) "All persons who have not the regular use of the understanding, sufficient to deal with discretion in the common affairs of life, as idiots and lunatics, except in their lucid intervals, are incapable of agreeing to any contract, and of course to that of marriage." Kent's Commentaries vol. ii. Lect. xxvi. n. i.

(6) Cap. *Non Debet*, de Consanguin.

tur intra primum et secundum gradum,[1] ne occultis dirimendi matrimonii causis multiplicatis, incertum sæpe foret. Qui conjugis alterutrius consanguinei sunt, alteri censentur affines: sed *affinitas non parit affinitatem*, ideoque affines alterutrius conjugis non sunt alteri quoque affines. Impedimentum hoc oritur ex lege ecclesiastica, et institutum est ad mores integros fovendos, quum affines plerumque sint familiares, et tentationibus idcirco obnoxii, nisi spes tolleretur matrimonii. Qui vetitas cum consanguineis vel affinibus ineunt nuptias, separandi sunt, absque spe dispensationis,[2] quam tamen eis pœnitentibus concedit sæpe benigna mater Ecclesia.

109. *Clandestina* matrimonia dicuntur quæ clam attentantur, remotis arbitris, seu juxta disciplinam Tridentinam, "aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, aut ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus." Hæc disciplina in diœcesi S. Ludovici obtinet, ex eo quod decretum promulgatum fuerit in tota ditione Hispanica: sed Apostolica sedes quædam indulsit ob specialia locorum adjuncta, quæ ex statutis diœcesanæ synodi quam tenuit ante annum episcopus egregius Joseph Rosati desumenda sunt. In diœcesi Neo-Aureliæ et Mobiliensi pari de causa obtinere censenda est; sed præsulum auctoritas est attendenda. In plerisque diœcesibus non viget, quum concilii patres noluerint decretum vim obtinere nisi triginta diebus elapsis post ejus promulgationem, et apud nos promulgatum non fuerit. In locis in quibus non viget, valent matrimonia solo contrahentium consensu, quamvis deficiente probatione in foro externo, non agnoscantur. Cæterum graviter illicita sunt, quoties sacerdotis ministerium negligitur. Lex civilis plerisque in statibus omnia sancit connubia quæ coram præcone, vel magistratu, vel sacerdote fiunt; et secretorum fœderum probationes admittit.[3]

110. *Impotentia* ad conjugium naturalis omnem vim contractui adimit. *Absoluta* est quæ omnes respicit personas: *relativa*, quæ inter quasdam personas intercedit: *temporalis* quæ ad tempus durat; *perpetua* quæ tolli nequit. Impedimentum hoc jure naturæ nititur, nec enim natura sinit ut contractus ineatur ab iis qui nequeunt primariam ejus conditionem ponere. Si dubium sit, datur triennii experientia, ne temere solvatur tanti momenti contractus.[4] Civiles leges plerumque hoc agnoscunt impedimen-

(1) Conc. Trid. Sess, xxiv. cap. iv. de ref. mat.

(2) Ibidem cap. v.

(3) "It is not necessary that a clergyman should be present to give validity to the marriage, though it is doubtless, a very becoming practice, and suitable to the solemnity of the occasion. The consent of the parties may be declared before a magistrate, or simply before witnesses, or subsequently confessed or acknowledged, or the marriage may even be inferred from continual cohabitation, and reputation as husband and wife." Kent's Comm. p. iv. Lect. xxvi. n. 88.

(4) Cap. vi. *de frigidis*.

tum,[1] quod in statu Neo-Eboraceno non obtinet,[2] sicut nec in codice Napoleonis.

111. *Rapta Mulier* nequit matrimonium cum raptore inire, nisi in loco tuto et libero constituta, ipsa consentiat: rapta autem dicitur quando invita vi abducta est ut matrimonium contrahere cogeretur. In raptores pœnæ gravissimæ æque ac justissimæ a concilio Tridentino statutæ sunt: "raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur prætera raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare."[3]

Quum singula explicare impedimenta, et accommodare casibus qui occurrunt, Ethices sit provincia, hæc quæ raptim diximus ad rem nostram sufficiant.

ANIMADVERSIONES.

112. Quæ retulimus impedimenta alia naturæ jure innituntur, alia solis ecclesiasticis sanctionibus. Quæ ex errore, et amentia desumuntur naturalia sunt impedimenta quæ tollunt consensum. Impotentia est quoque impedimentum naturale. Consanguinitas primo gradu collaterali fratres inter et sorores ad jus naturale refertur, in quod nil potest Ecclesia. Ligamen desumitur ex jure naturæ, Christo sanciente. Cætera pleraque a legibus Ecclesiæ derivantur, a qua proinde tolli possunt. Immerito igitur Henrici VIII., nuptiæ cum Catharina Austriaca, vidua Arthuris fratris Henrici, celebratæ ex dispensatione Julii II, in quæstionem vocatæ sunt, quum ageretur de impedimento mere ecclesiastico.

113. Summi Pontifices, pro ea quam a Christo acceperunt auctoritate, ab omnibus impedimentis mere ecclesiasticis valent dispensare: episcopi autem nonnissi juxta speciales sibi datas facultates, vel pro rerum necessitate in occultis impedimentis, quando non potest recurri ad Pontificem. Quum amplissimæ soleant episcopis fœderatarum provinciarum concedi, necesse non est jus aliquod controversum nobis vindicare: sed præstat S. Sedis juribus cum debita reverentia servatis tutum insistere concordiæ iter.

114. Quum vis matrimonii *coram Deo* pendeat, uti vidimus, ex Ecclesiæ legibus quibus consensus contrahentium regitur, liquet ad ecclesiasticos judices spectare causas matrimoniales, in quibus de ejus valore agitur. Eorum est igitur judicare quandonam divortium a vinculo dandum

(1) "The courts in Massachusetts, Delaware, Ohio, North Carolina, Alabama, and probably in other states, are authorized by statute to grant divorces causa impotentiæ." Kent's Comm. vol. ii. Lecture xxvii. n. i.

(2) Ibidem.

(3) Sess. xxv. cap. vi. de Ref.

sit, eo quod irritum sit matrimonium; et etiam quandonam divortium a thoro *liceat*. Hinc Tridentini patres definierunt. "Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit."[1] Quæ fiunt judicia apud tribunalia civilia, respiciunt, uti supra explicuimus, civilia onera, ligamina, et injurias, potius quam intrinsecam rerum honestatem. Id tamen addemus, bonis moribus parum favere quod causæ matrimoniales ad publica deferantur tribunalia, quum ea plerumque sit rerum quæ proferuntur natura qua pudor læditur. Hæc strictim de matrimonio diximus, plurimis prætermissis, vel leviter indicatis, quæ fusius exponere instituti nostri ratio non exigebat. Jam de sacramentis in universum agendum est.

(1) Sess. xxiv. can. xii.

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS

IN UNIVERSUM.

PRÆNOTANDA.

1. Quum de singulis egerimus sacramentis, jam quæ ad omnia spectant in unum colligenda sunt, et ea statuenda principia quæ omnibus conveniunt. Vera sacramenti novæ legis notio est quam ab initio tradidimus, ritus scilicet a Christo institutus, pignus et instrumentum gratiæ, habet enim ex divina institutione vim sibi insitam efficiendi sanctitatem et justitiam quam significat, uti recte docet Catechismus Romanus. Quam longe præstet veteris legis ritibus, qui nonnumquam sacramenta vocantur, inde liquet, nam vim nullam intrinsecam habebant, sed pertinebant ad Dei cultum, et commemorabant nonnumquam divinitus collata beneficia, simul indicantia futurum Redemptorem: "finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti."[1] Circumcisio Abrahæ injuncta populum Dei a cæteris discernebat gentibus, et spem Redemptoris ex genere Abrahæ fovebat, nam in semine Abrahæ benedicendæ erant omnes gentes, cæterum nullam, ut videtur, impertiebatur justitiam. E contra baptismus abluit peccata, novamque tribuit in Christo vitam.

(1) Rom. x. 4.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NUMERO.

2. Septem esse novæ legis Sacramenta ex Tridentini concilii auctoritate tradidimus, et singula, Scriptura et traditione nixi, probavimus. Juvat vero ipsam definitionem Tridentinam recitare, et generalibus quibusdam argumentis confirmare, ut uno veluti intuitu omnia habeant lectores perspecta. "Si quis dixerit," inquiunt patres Tridentini, "Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet, baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum; anathema sit."[1]

PROPOSITIO.

Septem sunt novæ legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora.

Probatur I. ex Scripturis.

3. Baptismum fuisse a Jesu Christo institutum liquet ex mandato Apostolis dato: "Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti."[2]

4. Confirmationem Christum habere auctorem, colligitur ex Actis Apostolorum, in quibus legitur Apostolos fidelibus baptizatis manuum impositionem dedisse Spiritum Sanctum: quod nisi Christo auctore facere non poterant: "Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum."[3]

5. Eucharistiam instituit Christus post cœnam paschalem, quum enim panem in manus sumpsisset, et fregisset, benedicendo dixit. "Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem." Poculum deinceps manu prehendens dixit: "Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur."[4]

5. Pœnitentiæ instituit sacramentum; potestate remittendi vel retinendi

(1) Sess. vii. de Sac. can. ii.
(2) Matt. xxviii. 19.
(3) Act. viii. 17.
(4) Luc. xxii. 19. 20.

peccata data Apostolis: "Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis: quorum retinueritis retenta sunt."[1] Potestatis hujus exercitium necessario postulat ritum externum, judicii instar; est enim ab hominibus exercenda in homines, causa utique cognita, ne temere et perperam exerceatur.

7. Extremæ unctionis Sacramentum ex B. Jacobi Apostoli monito et mandato colligimus: "Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit remittentur ei."[2] Unctio hæc periclitantium vita, cui peccatorum venia promittitur, ritus sit necesse est Christum habens auctorem; ipsius enim est gratiam ei adnectere.

8. Ordinem sacramentum esse ex D. Paulo colligitur, manuum enim impositione gratiam et potestatem ad sacra munera tradi docet. Ad Timotheum scripsit: "Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum."[3]

9. Matrimonium esse sacramentum colligitur ex sanctione vinculi quod solvi nequit, Christo dicente: "Quod Deus conjunxit, homo non separet:"[4] et ex sacra ejus significatione, quam explicat Paulus, magnum in eo latere mysterium conjunctionis Christi cum Ecclesia affirmans: "Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia."[5]

Quæ patres de singulis Sacramentis tradidere jam recitavimus, adeo ut opus non sit in eorum doctrina probanda immorari.

Probatur II. celebri præscriptionis argumento.

10. Equidem sexto decimo sæculo ineunte septem agnoscebantur sacramenta per totam qua late patebat Ecclesiam: imo et apud Græcos schismate a Latinis per sæcula plura divulsos. De Græcorum doctrina dubitari nequit; habentur enim insignia ejus documenta. Jeremias patriarcha Constantinopolitanus, suorum nomine agnovit "in ea ipsa Catholica et Orthodoxa Ecclesia septem sacramenta esse, baptismum scilicet, sacri unguenti unctionem, sacram communionem, ordinationem, matrimonium, pœnitentiam, et extremæ unctionis oleum."[6] Euchologia Græcorum id confirmant; quod et de sectis omnibus Orientalibus dici potest, omnes enim septem sacramenta prædicant.[7] Jam vero quum ex illis nonnullæ a quinto saltem sæculo, a Latinis divulsæ sint, necesse est ut septem agnita

(1) Joan. xx. 22.
(2) Jac. v. 24.
(3) 2 Tim. i. 6.
(4) Matt. xix. 6.
(5) Eph. v. 32.
(6) Censura confess. Luth. sibi oblatæ an. 1575. Vide etiam Conc. Constantinopolitanum anno 1638 et aliud anno 1642, Primate Russiæ assidente: aliud quoque anno 1672.
(7) Vide Assemannum Compendio Storico Vol. iii. Ven. 1736.

fuisse sacramenta ante dissidia credamus. Sacramentaria antiquissima Latinorum[1] et Græcorum[2] vetustam fidem ab ipsis primordiis Ecclesiæ provenientem testantur. Concilia Londinense anno 1237, Exoniense anno 1287, Coloniense anno 1280, et Claromontanum 1269, septem Sacramenta recensent, sicut et decretum pro Armenis, in Concilio Florentino, anno 1439, editum ab Eugenio IV. Hæc documenta conciliorum, et Sacramentaria ad magnam nos reducunt antiquitatem, quam superat tamen fides ex Orientalium sectarum cum Ecclesia consensione deducta. Jam verò doctrina quæ certis probatur documentis, et cujus origo posterior Apostolica ætate ostendi nequit, meritò ad Apostolos refertur, juxta præstantissimum Augustini effatum : " Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur."[3]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

11. *Obj.* 1. Scriptura nullibi septem sacramenta esse tradit, nisi de iis placeat intelligere illud Apocalypsis : " Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem."[4]

Resp. Septenarium numerum sacramentorum non tradit Scriptura, quum instar catechismi, vel fidei confessionis non sit : cæterum ipsa tradit sacramenta, uti ex dictis constat. Quod si cui testimonia de singulis rem conficere non videantur, traditionis divinæ documenta eam extra omnem dubitationis aleam ponunt. Impie autem lusit Kemnitius in voce *sacramenti*, illud Apocalypsis, de arcano quod septem capitibus bestiæ significabatur, ad sancta hæc instituta transferens, contra sacri scriptoris explicationem : " Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt."[5]

12. *Obj.* 2. Aqua et sanguis quæ ex Christi latere profluxerunt, sacramenta Ecclesiæ indicare passim dicuntur a patribus, qui proinde nonnisi baptismum et eucharistiam agnoverunt.

Resp. Patres non docuerunt numerum sacramentorum iis indicari, sed ea habuerunt veluti aptissima symbola divinæ virtutis quæ a Christo derivata in sacramentis claret. Sic Ambrosius : " Aqua et sanguis exivit : illa quæ diluat, iste qui redimat."[6] Quod si baptismi et eucharistiæ præsertim imagines in iis perspexerint, id non obstat aliis sacramentis, quorum vis e sanguine Christi pariter derivatur. Cæterum mysticis interpre-

(1) Apud Martenium de antiquis Ecclesiæ ritibus.
(2) Apud Allatium de perpetua Occid. et Orient. Eccl. consens.
(3) L. iv. de Bapt. contra Donat. c. xxiv. n. 3.
(4) Apoc. xvii. 7.
(5) Ibidem 9.
(6) L. x. in Luc. n. 135.

tationibus non est inhærendum, quum sint potius certis fidei documentis accommodandæ.

13. *Obj.* 3. Patres antiquissimi Justinus, Irenæus, Tertullianus, nonnisi duo commemorant sacramenta.

Resp. Pro occasione patres commemorant sacramenta, nec numerum definiunt, sed variis in locis singula tradunt. Ad Justini scopum non pertinebat omnia christiana instituta evolvere, calumnias enim ethnicorum de infandis sceleribus christianorum satis refellit, ostendendo quomodo initiarentur, et quid in sacris conventibus fieret, mysteriis divinis celebratis. Baptismum idcirco et eucharistiam exposuit. Irenæus pariter ex occasione ea explicuit, sed et de pœnitentia locutus est, confessione peccatorum occultorum etiam commemorata.[1] Tertullianus pleraque recensuit: "Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecretur; caro signatur ut anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore Christi et sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur."[2]

14. *Obj.* 4. Cyrillus Hierosolymitanus, et Ambrosius, vel alius perantiquus auctor de sacramentis ex professo egerunt, et tamen pleraque quæ hodie celebrantur prætermiserunt, nonnisi baptismo et eucharistia commemoratis, chrismate autem tamquam baptismi ritu quodam indicato. Scriptor hic se omnia quæ ad sacramenta pertinent exposuisse profitetur: "Ergo accepisti de sacramentis, plenissime cognovisti omnia."[3]

Resp. Edocebat uterque catechumenos de sacramentis brevi suscipiendis, die scilicet eodem consueverant tria illa ministrari. Chrismati autem pariter ac baptismo et eucharistiæ sacramenti rationem inesse perspicuo tradunt. De iis loquitur scriptor ille Ambrosii sub nomine latens, dum dicit se plenissime omnia tradidisse; nec enim ultra propositum verba ejus extendenda sunt.

15. *Obj.* 5. Augustinus duo tantum commemorat sacramenta: "Pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus, et Apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini."[4]

Resp. Hæc veluti exempla refert Augustinus, quin alia excludat, nam aliàs agnoscit chrisma in genere signaculorum esse sacrosanctum, sicut est ipse baptismus; et ordinem vocat sacramentum, eum cum baptismo conferens. Dicit etiam: "Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus sacramentorum in baptismo, in eucharistia, in cæteris sanctis sacramentis."[5]

(1) L. i. adv. hær. c. ii. et l. iii. c. iv.
(2) L. de resur. carnis.
(3) De Sac. l. vi. cap. ii. n. 5.
(4) De doct. Christ. l. iii. c. ix.
(5) Enarr. i. in Ps. ciii.

16. *Obj.* 6. Ex voce sacramenti quam patres aliquando usurpant de aliis præter eucharistiam et baptismum ritibus, non potest inferri eos sacramentis a Christo institutis accenseri; constat enim eam latissime sumi pro signo quolibet sacro.

Resp. Voce non innitimur, quamvis sua sit ei vis; præsertim quum eodem veluti spiritu baptismo et ritibus de quibus quæstio accommodetur, et gratia dicatur suscipientibus tribui. Ex toto sermone rituum de quibus quæritur natura et vis colligitur.

17. *Obj.* 7. Lotio pedum æque dici posset sacramentum ac cætera quæ baptismo et eucharistiæ adjiciuntur: nam patres eam ita vocant: "Audi," inquit auctor librorum de sacramentis, "quia mysterium est et sanctificatio: 'Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.'"[1] Bernardus etiam *in cœna Domini* loquens, ait: "De tribus itaque sacramentis quæ satis sunt congrua huic tempori, baptismo nimirum, eucharistia et lotione pedum, dicendum erit."[2]

Resp. Mysterium in lotione illa latere recte docet venerabilis ille scriptor, quum indicet animam necessariò a Christo mundandam, ut partem cum ipso habeat. Cæterum agnoscit varios esse mores Ecclesiarum de pedum lotione, quæ varietas de sacramento admitti non posset. "Consuetudo quæ rectius servatur in Romana Ecclesia de non lavandis pedibus, in Mediolanensi Ecclesia de ipsis lavandis etiam recte custoditur, tum propter exemplum Christi et Petri, tum ut gratiam virtute humilitatis et Christi imitationis obtineat." Bernardus licentia quadam sermonis utitur, lotionem vocans sacramentum; sed ex contextu mens ejus patet, dicit enim multa esse sacramenta, ideoque se de tribus tantum tunc locuturum: "Multa quidem sunt sacramenta, et scrutandis omnibus hora non sufficit." Cæterum videtur confessionem qua peccata abluuntur, lotione illa indicatam intellexisse, nam citat verba Joannis: "Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis Deus est qui remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate." Deinde pergit: "Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus sacramentum, pedum ablutionem."

18. *Obj.* 8. Græcorum et orientalium consensio Latinis non suffragatur, nam occasione bellorum cruce signatorum, Latinorum placita apud eos obtinuerunt, quamvis non apud omnes, nec enim hodie ab omnibus agnoscuntur, si fides sit ipsis Catholicis missionariis.

Resp. Ex historia illorum temporum liquet quo studio Græci placita sua retinuerint, et quæ Latinis conflata sit invidia. Difficultas aliquid novi apud eos inducendi rituum diversitate aucta est. Præterea antiquissima eorum Euchologia et documenta omnia vetustam testantur fidem. Quod

(1) L. iii. de Sac. c. 1.
(2) Serm. in cœna Domini.

Catholici quidem missionarii de nonnullorum sacramentorum neglectu apud Græcos aliosve questi sint, contigit ex rituum diversitate: re tamen diligenter investigata, prolatis tabulis, omnis dubitandi ratio sublata est.

19. *Obj.* 9. Cyrillus Lucaris, patriarcha Constantinopolitanus, juxta Ecclesiæ suæ fidem, testatus est duo tantum esse sacramenta.

Resp. Corruptus erat auro Batavorum, ut patriam proderet fidem; sed brevi impietatis pœnas persolvit. Ejus fraudem Jeremias patriarcha Constantinopolitanus detexit, eique in synodo Hierosolymitana anno 1672 anathema idcirco dictum est. "Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex apostolica traditione, praxique perpetua septem Ecclesia sacramenta."

20. *Obj.* 10. Plures doctores scholastici sacramenta confirmationis et extremæ unctionis ab Apostolis instituta esse censuerunt; imo confirmationem nonnisi a concilio Meldensi sæculo nono institutam docuit Alexander Alensis. Alii negarunt matrimonium conferre gratiam.

Resp. Omnes doctores scholastici septem agnoverunt sacramenta; sed nonnulli de institntione eorum inquirentes, putarunt confirmationem et extremam unctionem non fuisse a Christo Domino *immediate* instituta: quæ tamen ab Apostolis juxta potestatem sibi commissam statuta censuerunt. De sententia Alexandri Alensis non sumus adeo soliciti, quum facile contingat doctorem privatum errare. Inopia veterum documentorum, qua sua ætas laborabat, existimavit Alexander chrisma, in quo essentiam confirmationis reponebat, esse institutum ex Spiritus Sancti instinctu in concilio Meldensi. Quod Durandus matrimonii sacramentum esse remedium concupiscentiæ, potius quam gratiæ subsidium censuerit, contigit quin negaret gratiam eo conferri.

ANIMADVERSIONES.

21. Fides docet Christum esse sacramentorum auctorem; sed *immediata* institutio omnium in quæstionem olim vocata est, quamvis jam obtineat. Equidem non constat Apostolis tantam a Christo traditam esse potestatem ut gratiam signo visibili adnecterent, quum ipsi nonnisi ministros et dispensatores se exhibeant: "Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei."[1] Vetus ille auctor librorum de Sacramentis ait: "Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?"[2] Augustinus etiam ad Christum ea refert: "Ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo liberæ multitudinis continerent."[3]

(1) 1 Cor. iv. i.
(2) Lib. iv. de Sacr. c. iv.
(3) L. de vera Rel. c. xvii.

22. *Materia* sacramentorum dicitur res adhibita in iis conficiendis vel actus sensibilis eorum effectum minus perfecte significans. Sic aqua materia est baptismi : panis et vinum materia sunt eucharistiæ : oleum materia est extremæ unctionis. In quibusdam autem sacramentis actus sensibilis locum habet materiæ. In pœnitentia, quum instar judicii sit, actus pœnitentis, confitentis peccata et pœnas amplectentis, materia habentur, vel quasi materia. In matrimonio, pro ratione contractus, uti plerisque placet, corpora sunt materia circa quam versatur : alii consensum ipsum materiæ locum habere dicunt, acceptationem esse formam. *Forma* est verborum series, quibus materia ad sacramentum definitur. Aliquando alia signa verborum vim obtinent, uti mutis nubentibus. Lutherus omnem vim fidei tribuens, sacramentis nullam inesse putavit, sed ea tantum inservire ut excitetur fides. Verba igitur sacramentorum instar concionis habuit : quæ sentiendi ratio Calvino, cæterisque novatoribus arrisit. Narrationis etiam formam præseferunt, refert scilicet minister quid fecerit vel jusserit Christus, non ipse aliquid conficere censetur. Ea ratione recitant Episcopaliani instituti sacramenti historiam.

23. Veteribus omnibus alia omnino verborum quæ in sacramentis conficiendis adhibentur, insedit notio ; persuasum enim habuerunt verba proferri ad definiendum materiæ usum, et ad vim ei impertiendam. Hinc quoties de valore baptismi agebatur, id præcipue inquirebatur, utrum invocatis tribus divinis personis administratus fuisset.[1] Docet Augustinus ; " Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest."[2] Quod autem ipse aliàs verbo Dei tribuat vim illam, " non quia dicitur, sed quia creditur ;"[2] non est intelligendum de fide suscipientis sacramentum tamquam causa gratiæ, nam agnoscit baptismum infantium valere : sed de verbo quod fide tenetur, " nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens : hoc est verbum fidei quod prædicamus." " Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem."[3]

24. Quæsitum est a theologis utrum materia et forma sacramentorum a Christo fuerint definitæ, et *in specie* determinatæ. De baptismo et eucharistia constat eas esse ita definitas. De cæteris certum videtur ipsa verba non esse præscripta, quum non eadem ubique, neque omni ætate, noscantur usurpata. Cæterum ea in quolibet sacramento adhibenda sunt quæ Ecclesia jubet ; et id omnino videndum ne quid prætermittatur quod substantiam ipsam attingat. Qui contingunt linguæ defectu errores nil officiunt, quoties communi hominum judicio verba sensum eundem præsefe-

(1) Vide Innoc. ep. xxii.
(2) L. vi. de Bapt. contra Donat. c. xxv.
(3) Tract. lxxx. in Joan.

runt. Hinc Zacharias pontifex interrogatus de sacerdote baptizante, "in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta;" respondit: "Si ille qui ita baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, . . . baptizans sic dixerit, non possumus consentire ut denuò baptizentur."[1]

(1) Cap. *Retulerunt*, de consecr. Dist. iv.

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

§. I. De ministri potestate.

25. Christus Dominus auctor sacramentorum ea hominum ministeri(perficit, sua gratia et auctoritate præsens. Jam probavimus esse ordinen quendam sacrorum ministrorum, quorum est Christi nomine sacra obire munia. Cæterum baptismum a quolibet ministratum valere ostendimus nixi perpetua traditione Ecclesiæ; quod tamen munus nemini e laici licet exercere, nisi gravi urgente necessitate. Matrimonii ministros ag novimus contrahentes ob specialem ejus naturam, quum contractus sit, ve quid contractus ad instar. Plerorumque sacramentorum sacerdos ministe est, qui tamen jurisdictione indiget ut judiciariam in remittendis peccati exerceat potestatem. Confirmationis minister ordinarius episcopus est sicut et ordinis; nec valet sacerdos, quacumque interveniente auctoritate sacerdotium vel diaconatum conferre: quamvis summi pontificis delegatione fiat idoneus minoribus ordinibus et subdiaconatui conferendis, sicut et confirmationi tribuendæ. Hæc sigillatim jam ostendimus. Lutheru tamen docuit cuilibet christiano eandem in verbo et sacramentis esse potestatem, quamvis non foret nisi ex auctoritate publica exercenda. Inte ejus propositiones damnatas a Leone X. ea est: "Ubi non est sacerdos, æque potest quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset."[1]

26. Sectarii ministros quos sibi præficiunt se donare[2] dicunt potestate. Anglicani tamen appellant successionem apostolicam, quum non pudere majores suos aliquando a regio indulto facultates derivare *ad beneplacitum* regis vel reginæ exercendas. Quæ ab Oxoniensibus propugnantur principia de origine potestatis sacræ sana sunt;[3] sed in iis applicandis vehe-

(1) Prop. xiii.

(2) "A number of believers, united under Christ their mystical head, are become a church essential; and as such is the first and proper subject of the keys, and have power and privilege to govern themselves, and to choose out their own ministerial officers." Baptist Church discipline concerning a true and orderly Gospel Church.

(3) "No command of an earthly king, no ordinance of an earthly legislature could invest us with power over the gifts of the Holy Ghost; for such may we well term the power duly to administer the sacraments which Christ has ordained. No act of Parliament, however binding the provisions of such acts may be with regard to the temporal affairs of the nation, could make any one of us a priest or clothe us with one jot o

menter errant. Catholica Ecclesia a Deo potestatem derivans, eam ordinatione communicat, et absque ea nullam agnoscit auctoritatem sacramenta ministrandi: "Si quis dixerit christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit."[1] Ita definierunt Tridentini patres.

PROPOSITIO.

Christiani omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis non habent potestatem.

Probatur I. ex Scriptura.

27. "Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia; primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. . . . Numquid omnes Apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores?"[2] Liquet igitur ex ipsa Dei ordinatione omnes docendi munere non fungi, nec iis proinde docendi potestatem competere. Idem alias inculcat: "Ipse (*Christus*) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi."[3] Pastores et doctores Christi voluntate et ordinatione constituti sunt in Ecclesia ad opus ministerii perficiendum, cui cæteri fideles impares sunt. Alias de gentibus loquens quibus Evangelii audiendi copia non est data, ait: "Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?"[4] Fides divina juxta Apostolum concipienda est ex audita evangelica prædicatione, quæ indiget missione, non qualibet, sed qualem dedit Christus Apostolis: "Sicut misit me pater, et ego mitto vos."[5]

Probatur II. traditione.

28. Quum plurima jam laudaverimus patrum testimonia, tum in tractatu de ordinibus, tum alibi passim, pauca hic recitare sat erit. S. Hieronymus Hilarium diaconum eucharistiæ conficiendæ potestate carere ostendit: "Hilarius cum diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens."[6] S. Ambrosius potestatem remittendi peccata deesse Nova-

one tittle of power over the things of the unseen world. As little surely, could popular election invest us with this power from on high. Men may express their readiness to receive the gifts of Heaven at our hands; but is it not absurd that those who are to be the receivers from us of any boon whatsoever, shall themselves be the persons to supply us with the means of bestowing it?" Tract No. 5.

(1) Sess. vii. can. x.
(2) 1 Cor. xii. 28.
(3) Eph. iv. 11.
(4) Rom. x. 15.
(5) Joan. xx. 21.
(6) Dial. contra Lucifer.

tianis dicit, quod veri apud eos non essent sacerdotes, scilicet jurisdictione præditi: "Hoc jure vindicat Ecclesia, quæ veros sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet."[1] VICTOR UTICENSIS populum sacerdotes in exilium abituros alloquentem inducit: "Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis munus pœnitentiæ collaturi sunt, et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: "quæcumque etc."[2] Hæc liquet munia esse sacerdotalia, quæ perficiendi cæteri fideles nullam habent potestatem, si exceperis baptismum ob summam ejus necessitatem, et Christi voluntatem ex usu Ecclesiæ manifestam.

29. Accedit Concilii Nicæni I. decretum quo diaconis vetabatur eucharistiam sacerdotibus ministrare, quia "nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi corpus accipiant."[3]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

30. *Obj.* 1. Quæ afferuntur Apostoli loca ostendunt donorum, non officiorum varietatem, prout innuit ipse præfatus: "divisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus."[4] Officiorum igitur distinctio ordinis causa inducta videtur, quum omnes alioquin parem habeant potestatem, munera tamen diversa, quæ proinde in publicam utilitatem, probante Ecclesia, exercere debent.

Resp. Et dona et officia Apostolus plane distinguit, et ad Christi ordinationem horum refert discrimen. Quamvis autem in primordiis Ecclesiæ plurima data sint dona fidelibus plerisque, non ideo docendi et sacramenta administrandi munera omnibus censebantur communia, erant enim pastores et doctores, ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Nihil dicit Paulus ex quo par omnibus vindicetur potestas, quod enim dicitur de Spiritu dividente singulis prout vult,[5] respicit donorum universim communicatione, non specialia ministerii sacri officia. Hæc ex aliis quæ laudavimus testimoniis noscuntur esse sacri ordinis propria, nec umquam consueverunt exerceri, nisi potestate accepta ordinatione.

31. *Obj.* 2. Si qua adductis locis adstruatur distinctio, tot erunt agnoscenda officia quot recensentur, ideoque Apostolus alius erit at Evangelista, nec prophetæ, nec pastoris, nec doctoris nomen ei conveniet: at constat Joannem Apostolum, Evangelistam et Prophetam simul fuisse, omnesque

(1) De Pœnit. l. i. c. ii.
(2) De persec. Vandal. l. ii.
(3) Can. xviii.
(4) I. Cor. xii. 4.
(5) Ibidem 11.

Apostolos pastores esse et doctores: ergo non officia, sed dona enumerasse censendus est Paulus.

Resp. Utique officia distincta pleraque sunt quæ recenset Apostolus, quamvis ea aliquando in eodem homine conjungi contigerit. Nil autem distinctioni obstat, quod pastores et doctores iidem forsan nuncupentur, a duobus ejusdem muneris officiis, quamvis et hi distingui possint, pastores quippe episcopi gregem gubernantes, doctores alii docendi officio, non item regimine, præditi, intelligi possunt. Cæterum ex donorum diversis ordinibus communicatione, vel ex ejusdem muneris variis nominibus, fieri non potest ut potestas sacris ministris specialiter tributa, dispensandi Christi nomine sacramenta, communis omnibus fidelibus evadat.

32. *Obj.* 3. Minister sacramentorum tantum memorat quod fecit et facit quod jussit Christus: quod christianus quilibet facere valet.

Resp. Minister sacramentorum agit Christi nomine et auctoritate; et speciali proinde indiget potestate. Ideo Christus Apostolos mittens quam a Patre acceperat potestatem memoravit, seque eos mittere instar sui declaravit. Nil igitur proficit quilibet absque auctoritate sacra munera aggrediens, sed Christi instituta irrisui habere videtur.

33. *Obj.* 4. Omnibus fatentibus baptismus a quolibet ministrari valet: id verò admitti nequit, si omnibus christianis non sit in sacramentis potestas.

Resp. Ex summa baptismi necessitate potestas illius ministrandi omnibus relicta est, Christo ita disponente uti ex traditione et usu Ecclesiæ discimus. Cæterum non eadem est omnibus auctoritas, nam extra necessitatem non licet laico baptizare. Quod autem ea potestas sit omnibus, etiam infidelibus, satis congruit ablutioni quæ a quolibet fieri valet; nec probat eos quid posse in aliis sacramentis, quæ sacrificandi, vel judicium ferendi, vel aliam specialem potestatem exigunt.

---

§. II. De ministri intentione.

34. Is fuit Lutheri error, ex principio de fidei justificatione derivatus, sacramenta prodesse suscipientibus, dummodo firmiter crederent sibi imputari Christi merita, licet sacerdos non seriò, sed joco ageret. E contra constanter docuit Ecclesia sacramentis ex Christi institutione inesse virtutem, eaque ministranda esse animo faciendi quod ipse instituit. Id ex constitutione Martini V.,[1] et ex decreto Eugeniano pro Armenis constat, quod solemni definitione munivit concilium Tridentinum: "Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem

(1) Ad calcem Conc. Constantiensis.

faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit."[1] Apud Catholicos igitur constat intentionem exigi in ministro faciendi quod facit Ecclesia: nec tamen necesse est velle effectum producere quem ritui adnecti Ecclesia credit, nam omnibus fatentibus valet baptismus ab hæreticis collatus, qui plerique hisce in regionibus non credunt gratiam conferri baptismo. Id etiam constat ex Nicolai I. ad Bulgaros responsione. Nec opus est ut quis velit facere quod facit Ecclesia Catholica, eam veram Christi Ecclesiam agnoscendo, nam hæreticos id sibi non proponere liquet.

35. Disceptatio theologica de intentionis, quam vocant *internam*, necessitate, a nobis alias relata est.[2] Quæ de intentionis necessitate ab Eugenio IV. et a patribus Tridentinis tradita sunt, ad animi propositum videntur referenda: et Rubricæ Missalis plura docent de intentione consecrandi hostias in altari positas, quæ effectum ex occulto animi consilio pendere indicant. Huc etiam recidit damnatio propositionis ab Alexandro VIII., de baptismo collato ab eo qui intus in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia.[3] Gravissima contra objicitur difficultas, quod eo posito principio incerta evadant sacramenta, et tota Ecclesiæ potestas nutet, nemo enim novit occulta hominum consilia, ex quibus valor sacramentorum pendere dicitur. Cæterum Christi promissio securos nos facit de ministrorum successione, et Ecclesiæ vi invicta: quem proinde damus vadem, hæreticis ex opinione theologica cavillationis occasionem sumentibus. Iis etiam licet respondere juxta alteram sententiam, quæ tenet satis esse ut minister gerat se serio, veluti ritum quem Christus instituit conferens, quidquid animo meditetur. In re supremo judicio non dirempta alterutra licet uti sententia.

---

§. III. De Ministri dignitate.

36. Valere baptismum ab hæreticis collatum fide constat, uti jam ostendimus. Valere pariter cætera sacramenta collata ab iis qui charactere necessario sunt præditi theologi plerique tenent. Maldonatus et Morinus opinati sunt hæreticorum ordinationes aliquando irritas habitas fuisse; sed decreta illa optime explicantur de pœna, qua omne ordinis suscepti exercitium denegabatur perperam ordinatis. Ordines igitur a Græcis episcopis collati valent, sicut et eucharistia conficitur a sacerdotibus, confirmatio ab utrisque, ab illis vi ordinis, ab his consuetudine vigente et probata: extrema unctio quoque ab iis ministratur. Pœnitentia autem quum exigat

(1) Sess. vii. can. xi.
(2) Vol. iii. de Baptismo n. 14.
(3) Prop. xxviii.

jurisdictionem nequit ab iis ministrari, nisi forte mortis in discrimine, quando, juxta nonnullos theologos, Ecclesia iis tribuit jurisdictionem in morientium utilitatem. Cæterum quum sectarii, inter quos versamur, careant omni sacro charactere, nullum præter baptisma conficere valent sacramentum, si exceperis matrimonium quod contrahentes ipsi baptizati conficiunt.

37. Sancta sancte tractanda esse patet: utrum autem sacramentorum valor a ministrorum probitate pendeat, sæculo quarto ineunte magno animorum æstu est disceptatum. Cæcilianum ad Carthaginensem sedem evectum impugnarunt nonnulli, eum prætexentes fuisse a *traditoribus* ordinatum, reis scilicet sacros libros et vasa ethnicis, dum ferveret persecutio, prodendi. Vanissima calumnia dissipata est, sed et principium ipsum eversum quod a ministrorum meritis sacramentorum valor penderet. Donatistæ vocati sunt sectarii illi, nomine a Donato a Casis nigris, celebri sectæ patrono, sumpto. Waldenses sæculo duodecimo, duce Petro Waldone, mercatore Lugdunensi, restaurarunt illum falsum principium, sacramenta ab improbis sacerdotibus confici haud posse dicentes; quæ a se, ob probitatem et pietatem insignem, ministrata valere dictitabant hi paupertatis Apostolicæ professores. Errore eodem laboravit sæculo decimo quarto Joannes Wickleff, Oxoniensis professor, qui inter cætera docuit: "Si episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat."[1] Hodierni Oxonienses prorsus contrarium docent.[2] Quakeri, quum nullum agnoscant sacramentum, de dignitate ministri non agunt; sed ministerii nomine intelligentes operam, quam quis a Spiritu Sancto motus impendit, ut alios ad Deum hortando ducat, contendunt illud nemini competere, qui non sit sanctus, dono Spiritus divini auctus.[3]

38. Concilium Tridentinum definivit: "Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit."[4]

PROPOSITIO.

Valent Sacramenta a ministro in peccato mortali existente confecta, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit.

Probatur I. ex Scripturis.

39. Quum apud Corinthios magistrorum causa fideles exercerent simul-

(1) Prop. iv. inter damnatas a conc. Constantiensi.

(2) "The unworthiness of men cannot prevent the goodness of God from flowing in those channels in which he has destined it to flow." Tract. No. 5.

(3) Barclay's Apology, Prop. x. Quest. 2. § xv.

(4) Sess. vii. Can. xii.

tates, et dicteria in sacros ministros, ne Apostolo quidem excepto, funderentur; hominum ipsorum nullam rationem faciendam esse docuit, sed Dei cujus auctoritate fungebantur: "Quid igitur est Apollo! quid verò Paulus? Ministri ejus, cui credidistis. . . . Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. . . . Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. . . . Itaque nolite ante tempus judicare."[1] Apostolus plane in auctoritate sua innititur, de sua dignitate et merito ad Deum referendo judicium. Igitur ad auctoritatem divinam respiciendum est, de occultis cordium arcanis, et de omnibus ministrorum meritis servato judicio Deo.

Probatur II. ex patrum constanti doctrina.

40. S. Gregorius Nazianzenus dicit: "Omnes qui baptizandi munere funguntur, idonei habentur; quamvis enim alius alii probitate vitæ antecellat, eadem tamen baptismi vis est."[2] S. Joannes Chrysostomus: "Contingit quidem laicos pie vitam agere, male autem et improbe sacerdotes; unde neque futurum esset baptisma, nec corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignitatem ac merita requireret gratia: atqui etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quidquam læditur vita sacerdotis."[3] S. Augustinus vindicias Ecclesiæ hac in re contra Donatistas strenue egit, adeo ut supervacaneum sit eum laudare. Unum tamen aut alterum locum speciminis gratia damus: "Non exhorreat columba ministerium malorum; respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: 'Hic est qui baptizat.'"[4] Congruum porro divinæ Christi sapientiæ erat sacramenta ita instituere, ut a ministrorum meritis nullatenus penderent, adeo ut suscipientium fides tota in ipso consisteret, nec animi solicitudine de ministrorum dignitate torquerentur. Sic suæ gloriæ magis consuluit, virtutem sacramentis tribuens, et omnes ad se veluti revocans. Fidelibus etiam benigne consuluit, alioquin semper hæsituris de sacramentorum valore, quum vitia hominum plerumque sint oculta.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

41. *Obj.* 1. "Scimus quia peccatores Deus non audit."[5] Ergo non valent sacramenta ab iis collata.

Resp. Non audit Deus ministrum pravum, suo nomine precantem, sed

(1) I. Cor. iii. 4. 9. v. i.
(2) Orat. xi. in S. Bapt.
(3) Hom. viii. in 1 ad Cor.
(4) Tract. v. in Joan.
(5) Joan. ix. 31.

Ecclesiam suam cujus voces profert; imo Christum Filium dilectum, cujus auctoritate, indigne licet, fungitur. Equidem Deum audire aliquos, eo ipso tempore quo eum invocant, peccato inquinatos, et eorum opera patrare prodigia ex Christi verbis colligitur: "Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem."[1]

42. *Obj.* 2. Qui christianus non est, non potest minister Christi esse: peccator autem christianus non est, docente Apostolo, "Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus."[2]

Resp. Quicumque baptismo suscepto ordinationem sacram deinceps receperit minister Christi est, assumptus in ministerium ea, quam statuit Christus et tota servavit antiquitas, ratione. Si Spiritu Christi careat, suo damno id contingit, et ejus non est, quia gratia non est cum illo conjunctus. Cæterum est ejus minister, legatione pro eo fungens, et necessariis potestatis quam exercet munitus indiciis.

43. *Obj.* 3. Paulus dicit ex Christo capite "totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate."[3] Ergo ubi peccato divortium a Christo factum est, nulla est gratiæ aliis communicatio.

Resp. Apostolus docet omnia quæ toto corpore Ecclesiæ diffunduntur dona a Christo derivari, et totam compagem eo niti. Non ideo tollitur omnis peccatoris cum eo nexus, quum maneat baptismi et ordinis sigillum. Licet igitur gratiam amiserit, attamen concredito sibi ministerio fungens, id ponit ex quo Christo volente pendet gratiæ communicatio, quæ tota a Christo derivatur.

44. *Obj.* 4. Petrus fideles sic alloquitur: "Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus."[4] Qui autem gratia ipse caret, non potest eam alteri impertiri.

Resp. Petrus eo loci hortatur fideles ad donorum divinorum usum ea qua decet ratione, bonos enim et fideles dispensatores esse oportet. Cæterum quæ ministerii sunt munera non pendent ex ministrorum animo pio, sed ex Christi institutione. Non impertitur minister aliquid doni sibi divinitus dati, sed ritum peragit cui Christus gratiam adnecti voluit.

45. *Obj.* 5. Christo injuriosum est hominem peccatorem ejus minis-

(1) Matt. vii. 22.
(2) Rom. viii, 9.
(3) Eph. iv. 16.
(4) 1 Pet. iv. 10.

trum æstimare; et sancta munera impuris manibus dari affirmare. Superstitionem prorsus redolet, actum a quocumque fiat prædicare gratiæ instrumentum, licet sit peccatum.

Resp. Christo e contra servamus honorem, eum salutis et gratiæ fontem agnoscendo, et virtutem sacramentorum quæ instituit prædicando. Peccatores, peccatis scilicet inhærentes, gravissimam illi irrogant injuriam, sacro ejus ministerio fungentes: sed quæ ipse donat munera nequeunt inquinare; prout recte docet S. Nicolaus I: "Non potest aliquis quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Non potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscumque sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest."[1] Nulla est superstitionis labes, quod ritum divinitus institutum haud pendere a meritis conficientis credamus: nec peccatum dicendus est ritus sacer etiam ab indigno ministro peractus, quamvis ipse peccet, indigne eum perficiens.

46. *Obj.* 6. Magna morum corruptela hac ratione fovetur, sublata solicitudine de ministrorum dignitate.

Resp. Nequaquam, nam constanter docet Ecclesia peccare gravissime ministros sacramenta indigne ministrantes, et in æternæ mortis reatum incurrere[2] sed consulitur fidelium paci, ne anxie hæreant de hominum arcanis meritis.

(1) Resp. ad Bulgar. c. lxxi.
(2) Rituale Romanum, de Sac. admin.

CAPUT III.

DE SACRAMENTORUM EFFICACIA.

47. Tota sacramentorum efficacia denegata est a Luthero fidem instrumentum justificationis statuente. Sectarii fere omnes ei inhærent principio, sed novissime Oxonienses ei nuntium miserunt, sacramentorum vim catholicis fere vocibus exponentes. Ad ambiguitatem cui studebant sextodecimi sæculi novatores tollendam, Tridentini patres voces in scholis a tribus antea sæculis usurpatas, barbariem quidem redolentes, sed veritatem et vim sacramentorum apprime enuntiantes, adoptarunt, ea *ex opere operato*, scilicet vi ipsis insita, gratiam conferre definientes: "Si quis dixerit per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere: anathema sit."[1] Si quis dixerit sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit."[2] Ea igitur est mens Ecclesiæ sacramentis divinam insitam esse virtutem, quæ tamen frustratur aliquando prava suscipientum voluntate, obicem gratiæ objicientium.

PROPOSITIO.

Sacramenta novæ legis gratiam continent quam significant, et gratiam ipsam non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

Probatur I. ex Scripturis.

48. Nova nativitas baptismo tribuitur, veluti instrumento Spiritus sancti efficaci ac certo: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."[3] Spiritus Sanctus collatus dicitur impositione manum ab Apostolis facta cum prece: "Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus."[4] Gratia sacri ministerii manuum impositione data est, testante

(1) Sess. vii. can. 8.
(2) Ibidem can 6.
(3) Joan. iii. 5.
(4) Act. viii. 18.

Paulo : " Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum."[1] Hæc manifesto ostendunt ritibus illis vim certam inesse, et effectum certo sequi, quoties obex non objicitur.

Probatur II. ex Patribus.

49. Tertullianus ait : " Aquæ sanctificatæ vim sanctificandi combibunt."[2] Vis insita sacramento clarius enuntiari non posset. S. Cyrillus Hierosolymitanus ait : " Qui in aquam descensurus es, non aquæ simplici mentem adhibe, sed Spiritus Sancti virtute salutem suscipe."[3] Gregorius Nyssenus : " Baptismus peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa."[4] S. Joannes Chrysostomus : " Judaica expiatio nequaquam a peccatis liberabat, sed a corporis sordibus tantum : nostra vero talis non est, nam et a peccatis liberat, et animam abstergit, et Spiritus gratiam largitur."[5] S. Hieronymus : " Quantam vim habeat baptisma, et aqua in Christo sanctificata paulo post docebo."[6] S. Optatus Milevitanus : " Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam ; si repetatur, facit vitæ jacturam."[7] Hæc omnia de baptismo agunt, sed par est sacramentorum ratio. Hinc dicit Augustinus : " Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit."[8]

Probatur III. Conciliorum auctoritate.

50. In Symbolo prout in concilio Constantinopolitano recitatum est, dicitur : " Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum." Remissio igitur peccatorum credebatur baptismi effectus. In Milevitano II. concilio regeneratio ei tribuitur, probatur enim parvulorum baptisma " ut in iis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt."[9]

51. Accedit ratio theologica ex parvulorum baptismo desumpta ; nisi enim vis quædam sacramento insita agnosceretur, frustra baptizarentur parvuli, qui nullo sui actu possunt gratiæ suscipiendæ fieri idonei. Amentium aliorumque sensibus uti non valentium in mortis discrimine baptismus idem præbet argumentum ; nisi enim gratia actui ipsi baptizandi adnecteretur, inutiliter baptizaretur quicumque non esset sui compos. Consuetudo etiam confirmationem et eucharistiam parvulis ministrandi, quæ in veteri Ecclesia obtinuit ; et subsidia moribundis præstita testantur constantem sæculorum præteritorum fidem de vi insita sacramentis.

(1) II. Tim. i. 6.
(2) De Bapt. c. iv.
(3) Catech. iii.
(4) Orat. in bapt. Christi.
(5) In Bapt. Christi.
(6) Ep. xxxviii. ad Oceanum.
(7) L. v. contra Parmen.
(8) L. xix. contra Faustum c. xi.
(9) Can. ii.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

52. *Obj.* 1. Scripturæ sacramentorum fructus fidei qua suscipiuntur tribuunt: "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit."[1] Et Petrus dicit de gentibus ad fidem conversis: "fide purificans corda eorum."[2]

Resp. In adultis animi dispositio requiritur ad fructus sacramentorum percipiendos, ideoque fides ab iis exigitur quibus prædicatur Evangelium. Ea mundantur corda, cœlesti illustrata lumine, et ad gratiam baptismi disponuntur. Profecto Petrus Judæos ad pœnitentiam motos hortatus est, ut baptismum suscipiendo remissionem peccatorum quærerent. Fidei igitur alio loco tribuit cordis puritatem, quia ad eam disponit et præparat.

53. *Obj.* 2. Bonis animi motibus potius quam ablutioni, tribuit Petrus salutem et gratiam quam consequimur: "salvos facit baptismus, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Jesu Christi."[3]

Resp. Monet Apostolus baptismum non fieri corpus mundandi causa, sed animam; ad quod conscientiam rite disponi oportet. Cæterum animam rite dispositam baptismus gratiæ muneribus ornat; quapropter ei salutem adscribere Paulus non dubitat: "Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti."[4] Licet igitur gratiam justificationis tribuere fidei et pœnitentiæ tamquam dispositionibus ad eam suscipiendam, sed et sacramentis tamquam instrumentis quibus in ea largienda utitur Deus.

54. *Obj.* 3. Augustinus vim illam insitam sacramentis non videtur nosse, scribit enim: "Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia."[5]

Resp. Agit eo loci contra Manichæos de sacramentis veteris legis, sed iis longe superiora prædicat Christi instituta: "Sacramenta non sunt eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem."[6]

55. *Obj.* 4. Doctrina de sacramentorum vi intrinseca fidem in rebus materialibus sistit, cum Dei et Christi, imo et suscipientis, injuria.

Resp. Fides nostra in Deum est, quem omnis gratiæ auctorem prædicamus, nec nisi per Christi merita aliquid nos adipisci posse confidimus.

(1) Marc. xvi. 16.
(2) Act. xv. 9.
(3) I. Pet. iii. 21.
(4) Tit. iii. 5.
(5) L. xix. contra Faustum c. xxi.
(6) In Ps. lxxiii.

Ideo sacramentorum vim agnoscimus, quia Christi sunt instituta, per quæ vult nos suis donis ditare. Suscipientes autem adultos oportet afferre animum humilem et pœnitentem ad munera oblata impetranda.

56. *Obj.* 5. Eodem recidit si sacramentorum vis pendere dicatur ex dispositionibus ea suscipientium, quum omnes harum necessitatem ad impetrandum effectum agnoscant.

Resp. Illud datur discriminis quod agnita vi intrinseca sacramentorum, Christi eorum auctoris potentia in animæ sanctificatione, iis veluti instrumentis, prædicetur, quæ idcirco in parvulis aliisque nullum actum proprium elicere valentibus effectum suum sortiuntur. Magis etiam in Christi gloriam cedit effectum tribuere ejus meritis per sacramenta applicatis, quam hominis conatibus, etiam divinitus adjutis.

57. *Obj.* 6. Perperam inductæ sunt barbaræ illæ voces *ex opere operato*, vetustis sæculis ignotæ, ad vim sacramentorum designandam, quum sermo, sicut et doctrina veterum temporum, præstaret.

Resp. Quod novæ inductæ sint voces ad vim sacramentorum enuntiandam, contigit ea ætate qua doctores scholastici fidei principia methodo exponere solebant. De veritate servanda soliciti parum studebant vocabulorum elegantiæ; et ut distinguerent effectus conatuum humanorum, etiam ex gratiæ motu, a sacramenti vi intrinseca, eos *ex opere operantis* provenire, hanc *opus operatum* esse dicebant. Ea loquendi ratio aptissima inventa est, Luthero suum placitum de fidei justitia propugnante; ideoque sapientissimo consilio a patribus Tridentinis sancita est, ne effugium ullum daretur vaferrimis erroris patronis. Jus certe habet Ecclesia voces definiendi quibus veritas ab errore discernatur; quod a Nicænis patribus in causa Ariana factum probant plerique Protestantes.

ANIMADVERSIO.

58. Inter theologos quæritur utrum sacramenta *physice* contineant gratiam, quod placet Thomistis, vel *moraliter* tantum, prout alii opinantur. Horum nobis probatur sententia, quum vis sacramentorum satis vindicetur, effectu ea certò consequente ex divino instituto, quin iis *physice* insit.

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM.

§. I. De novæ legis sacramentis.

59. Effectus sacramentorum omnium est gratiæ sanctificantis communicatio, quæ in baptismo et pœnitentia, quæ *mortuorum* sacramenta dicuntur, animam peccatis mortuam ad vitam revocat: in cæteris sacramentis, *vivorum* scilicet, eam novo munere ditatam Deo facit acceptiorem. Alia gratia cujusque sacramenti propria *sacramentalis* dicitur, datur enim ad sacramenti fines assequendos, jusque secum fert ea auxilia impetrandi. Gratia ad ordinum munera obeunda sacramentalis proinde est.

60. Tria sacramenta characterem imprimunt, quo nomine intelligitur "spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum et indelebile."[1] "Si quis dixerit," inquiunt patres Tridentini, "in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit."[2]

PROPOSITIO.

In tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, et ordine imprimitur character in anima.

61. Ex Scriptura adducuntur a nonnullis testimonia sequentia, quibus tamen non innitimur, quum sciamus ea posse intelligi de spiritali gratiæ unctione et nota, quin ad characterem referantur. "Qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris."[3] "In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto."[4] "Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis."[5]

Probatur ex Patribus.

62. S. Cyprianus: "Recens baptizatos sigillo Domini consummabo."[6]

(1) Decret. pro Armenis.
(2) Sess. vii. can. ix.
(3) 2 Cor. i. 21.
(4) Ephes. i. 13.
(5) Ibidem iv. 30.
(6) Ep. lxxvii.

S. Cyrillus Hierosolymitanus "Spiritus Sanctus tempore baptismi animam tuam obsignat."[1] Vocat baptismum "Signaculum sanctum et in-indelebile."[2] S. Ambrosius, "Etsi specie signemur in corpore, veritate tamen signamur in corde."[3] Alia testimonia dedimus dum de baptismi charactere speciatim ageremus.[4]

63. Probatur etiam ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, juxta quam tria illa sacramenta semel valide suscepta nunquam iterum conferuntur; cujus rei ratio sufficiens dari nequit, præter eam quam ipsa agnoscit Ecclesia, nempe quia indelebile signum animæ imprimunt. Vide de Baptismo et ordinatione non iterandis Concilium Carthaginense III.[5] de Confirmatione S. Augustinum,[6] S. Gregorium II.[7] concilium Toletanum VIII. anno 653, et Cabilonense II. anno 813. Vide etiam Florentinum et Tridentinum.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

64. *Obj.* 1. S. Augustinus loquitur tantum de charactere exterius cognito, scilicet de indicio rite suscepti baptismi: "Attendo fidem in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Iste est character Imperatoris mei."[8] Imo non alio sensu characterem Christi in valide baptizato admittit, quam characterem Donati in Donati sectatoribus, si in ipsius nomine fuissent baptizati: "Nam si Donatus quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret."

Resp. Augustinus certe loquitur de charactere in anima impresso, qui baptismo iterando obstat, uti ex tota cum Donatistis disputatione liquet. Utitur autem indicio illo externo cognoscendi utrum revera spirituale illud signum fuerit animæ impressum, quum enim anima oculis non pateat, externis indiciis quæ ei insunt explorare oportet. Ideo investigabat utrum in nomine Trinitatis fuissent baptizati, et re comperta pro certo habebat characterem fuisse impressum. Nec inter characterem illum et alium a Donato imprimendum comparationem instituit, adeo ut unum alteri adæquet, quod impium et absurdum foret; sed tantum ut ostendat valere baptismum a Donato collatum, animadvertit eum in suo nomine non baptizasse, ideoque non suum sed Christi characterem impressisse. Si autem *per impossibile*, ut aiunt suo nomine baptizans suum impressisset charac-

(1) Cat. iv.
(2) Præf. in Cat.
(3) L. 1 de Spir. s. c. vi.
(4) Tract. de Bapt. c. vii. n. 187.
(5) Cap. xxxviii.
(6) L. II. de Bapt. contra Donat. c. xiv.
(7) Ep. xiii. ad Bonifac.
(8) Serm. ad plebem Cæsar.

terem, "ego"—inquit Augustinus eo loci,—"quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem. Nunc vero ipse desertor characterem fixit Imperatoris sui. Deus et Dominus noster Jesus Christus quærit desertorem, delet erroris crimen, sed non exterminat suum characterem."[1] Ex his facile colligitur Augustinum nullum agnoscere characterem Donati, sed tantum declarare qua ratione eum deleret si *per impossibile* fuisset impressus.

65. *Obj.* 2. Ante Innocentii III. tempora de charactere nihil certum habetur: ille autem primus eum propugnavit.[2] Si hujusmodi effectus hisce sacramentis adnexus fuisset, de eo Scripturæ et patres perspicuam procul dubio fecissent mentionem.

Resp. Quæ ex patribus, præsertim Augustino, citavimus testimonia plane evincunt longe ante Innocentii tempora characterem in Ecclesia agnitum; quod etiam ex ipso objecto decreto liquet, non enim quærebatur utrum character imprimeretur quando sacramentum rite conficitur, sed utrum qui in amentia vel lethargo baptizati erant, characterem, quem omnes fatebantur sacramento adnexum, recepissent. De silentio Scripturæ quod dicitur parum habet roboris, plura enim tacent Scripturæ quæ traditione et consuetudine Ecclesiæ innotescunt, præterquamquod quæ adduximus testimonia de charactere possunt intelligi.

66. *Obj.* 3. Vitiosus est circulus, quum character probetur ex eo quod sacramenta illa plus semel non recipiantur; et ea iterari non posse probetur ex charactere impresso. Præterea character ille inutilis prorsus est, quum homines eum agnoscere nequeant, et Deus nullo hujusmodi signo indigeat, ut baptizatum, confirmatum, aut ordinatum ab alio distinguat.

Resp. Sacramenta illa iterari non posse probamus ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, et auctoritate: eoque statuto argumentum inde desumimus ea characterem indelebilem animæ imprimere, nisi enim aliquod hujusmodi signum animæ perpetuo inhæreret, plurimæ suaderent rationes ea absque piaculo, imo magna cum utilitate posse pluries conferri. Hoc ratiocinium quod profectò validum est, firmatur ipsius Ecclesiæ decretis quæ ab Apostolis olim edocta, et divino lumine adhuc illustrata, declarat characterem revera imprimi. Circuli vitiosi hic nullum certe est vestigium: Nec inutilis dicendus est character, quum certo constet Deum sacramentis illis eum adnectere, ipse autem nihil frustra faciat. Homines quidem eum in se non vident, cognoscunt tamen in causa, nempe in rite administrato sacramento, indeque discunt perpetuas obligationes quas suscipientes contrahunt.

(1) Serm. ad plebem Cæsar.
(2) Cap. Majores, L. III. Decr. tit. xlii.

ANIMADVERSIO.

67. Deficiente necessaria animi dispositione in adultis sui compotibus, et obice ideo objecto, gratia non communicatur; sed character imprimitur tribus quæ mox recensuimus sacramentis. At qui consensum penitus denegat sacramento suscipiendo, ne characterem quidem recipit: "Ille vero," inquit Innocentius III., "qui numquam consentit sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti."[1] Singula explicare quibus animus præparatur ad sacramenti gratiam assequendam, theologorum ethicorum est: sed et pleraque attigimus dum de unoquoque sacramento ageretur.

---

§. II. De veteribus sacramentis.

68. Consueverunt theologi inter sacramenta veteris et novæ legis instituere comparationem ut horum præstantia magis magisque claresceret. Ipsa veteris legis sacramenta contulisse gratiam Durandus et Paludanus censuerunt; plerisque Scholæ doctoribus in contrariam abeuntibus sententiam. Circumcisionem, quæ utpote Abrahæ data præcessit mosaicis institutis, habuisse vim intrinsecam peccatum originis tollendi S. Bonaventura cum aliis opinatus est. Novatores autem omnibus sacramentis denegantes virtutem intrinsecam, nova a veteribus tantum discernebant, quod hæc typi forent redemptionis futuræ, illa signa in memoriam ejusdem peractæ. Horum errorem damnarunt Tridentini patres, scholasticorum litibus haud diremptis: "Si quis dixerit ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit."[2] Eugenius in Decreto pro Armenis de novæ legis sacramentis loquens: "Multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt." Ex hoc decreto certum videtur, quamvis tamquam fidei dogma non sit definitum, sacramenta vetera ex opere operato non contulisse gratiam, sed tantum profuisse ex opere operantis: ii scilicet qui eorum ex occasione fidem, dolorem, aliosque pii animi motus concipiebant, gratiam per Redemptoris, in quem sperabant, merita adipiscebantur. Circumcisionem verò adhibitam fuisse tamquam externam fidei in Redemptorem protestationem nonnulli putant; et ea ratione deletum in masculis ad octavum diemper venien-

(1) Cap. Majores.
(2) Sess. vii. can. iii.

tibus peccatum originis; existimant enim illius peccati sub veteri lege remedium fuisse actum aliquem externum quo fides illa declarabatur. Certum autem videtur primarium illius ritus finem fuisse ut gens Judaica veluti Dei cultui consecrata, et fœdere obligata notaretur: "ut sit in signum fœderis inter me et vos."[1] Hinc Apostolus ejus utilitatem declarans non innuit eam delesse peccatum originis; sed asserit Judæis tamquam Dei populo, ejus occasione credita esse divina eloquia: "Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei."[2]

69. Omnes ritus judaicos, quos sacramenta nuncupamus, caruisse vi sanctificandi animam plurima Apostoli testimonia demonstrant: "munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, et in variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis."[3] "Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi . . . emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?[4]" "Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata."[5] Per illa igitur sacramenta conferebatur tantum mundities externa et legalis, quatenus qui eos ritus peregerunt habebantur immunes a sordibus, quibus ob violatas leges Mosaicas fuerant in conspectu populi judaici inquinati.

70. Paria esse virtute vetera et nova sacramenta probare conantur nonnulli ex D. Pauli ad Corinthios verbis: "Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari: et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt."[6] Cæterum egregie falluntur, Apostolus enim non asserit eandem nobis ac illis esse spiritalem escam, eundemve potum, sed illis omnibus dona illa ac beneficia fuisse communia, ut eorum exemplo qui tot beneficiis ingrati Dei iram provocaverunt, Christianos terreret, ne divinis donis elati vitiis indulgerent: "sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt."[7]

(1) Gen. xvii. 11.
(2) Rom. iii. 1.
(3) Heb. ix. 9.
(4) Ib. 13.
(6) Ib. x. 4.
(7) 1 Cor. x. 1.
(8) Ib. 5.

CAPUT V.

DE CÆREMONIIS.

71. Sacramenti substantia in ritu a Christo instituto posita est, in quem nullam sibi vindicat potestatem Ecclesia: sed alii adjiciuntur qui sacras habent significationes, et ad reverentiam sacramento conciliandam idonei sunt. Baptismi substantia in ablutione aqua facta, invocatis tribus divinis personis consistit: cæteri ritus *cæremoniæ* sunt, hoc scilicet vocabulo complectimur ritus omnes qui ad decorem et splendorem divini cultus diriguntur. In eas debacchatus est Calvinus, eas vocans "nugas, quod nihil utilitatis habeant: deinde præstigias, quod spectantium oculos inani pompa deludant."[1] Lutherus non negavit cæremonias aliquas utiliter adhiberi posse, dummodo obligatio eas servandi, et cultus notio abessent.[2] Anglicani cæremonias probant, et arguendos esse palam docent qui eas spernunt, quas tamen instituendi vel mutandi potestatem cuilibet Ecclesiæ nationali vindicant.[3] Hoc utentes arbitrio plerasque quas majores sui servaverant, reliquerunt, et plures immutarunt, Eduardo et Elizabetha regnantibus. Qui in his regionibus Episcopaliani dicuntur eadem licentia ab Anglicanorum quibusdam ritibus discesserunt. Oxonienses jam rituale vetus deperditum plorant, et rituum sacrorum utilitatem et antiquitatem tuentur. Presbyteriani cæremonias rejiciunt, et baptismum administrandum jubent, prævia quidem instructione de ejus natura, et de parentum officiis, sed omni omissa cæremonia.[4] Eucharistiam conficiunt, narrantes quid Christus fecerit, et panem frangentes, quem circumsedentibus mensæ distribuunt, vinum deinceps propinaturi. Quæ præcedunt et sequuntur conciones, et psalmus vel canticum cum oratione *ex tempore* fusa totum ritum constituunt: nullas quippe certas preces habent, sed pro ministri cujuslibet arbitrio.[5] Baptistæ hos imitantur, sicut et Methodistæ Episcopalianos.

(1) Inst. l. iv. c. x. n. 12.

(2) Lib. de form. Missæ, et lib. de piis cærem.

(3) Article xxxiv.

(4) "He is to baptize the child with water, by pouring or sprinkling it on the face of the child, without adding any other ceremony." The Directory chap. vii.

(5) "The table on which the elements are placed, being decently covered, the bread in convenient dishes, and the wine in cups, and the communicants orderly and gravely sitting around the table." Ibidem ch. viii.

72. Ecclesiæ ritus probatos vindicavit concilium Tridentinum, anathemate lato in eos qui eos sperni posse vel omitti sine peccato asserebant: "Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro lubito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse, anathema sit."[1] Jam recitavimus canonem quo feriuntur Missæ cæremonias irridentes.

PROPOSITIO.

Recepti et approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni nec sine peccato a ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari possunt.

Probatur.

73. Non licet spernere, nec omittere, nec mutare instituta probata et sancita a legitima auctoritate: porro Ecclesiæ auctoritas omnino legitima est et sacrosancta, quum ei commissa sit a Christo sacramentorum dispensatio. Ergo quos instituit et probavit ritus reverenter sunt excipiendi et servandi.

74. Christus Dominus suo exemplo nos docet perspicuo, quod signis et actibus veritas cœlestis insinuanda sit et officia commendanda. Sic surdo et muto ad se adducto, "apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens, tetigit linguam ejus: Et suspiciens in cœlum ingemuit, et ait illi: Ephpheta, quod est aperire."[2] Sic cæcum curaturus: "Apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: et expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum, si quid videret."[3] Alias Apostolis "insufflavit:"[4] et ascensurus in cœlum "elevatis manibus suis, benedixit eis."[5] Laudans publicanum retulit pectoris tunsione cor humiliatum et pœnitens significasse.[6] Ritus Ecclesiæ eo plane tendunt ut officia et veritas insinuentur, ideoque his commendantur exemplis.

75. Ecclesiæ veteris exemplum suffragatur:[7] plerique enim ritus antiquissimi sunt, adeo ut eorum origo lateat. Profecto baptismi cæremoniæ ad ætatem apostolicam haud temere referuntur, et eucharistiæ conficiendæ

(1) Sess. vii. can. xiii. de sacr.
(2) Marc. vii. 32.
(3) Ibidem viii. 23.
(4) Joan. xx. 22.
(5) Luc. xxiv. 50.
(6) Luc. xviii. 13.
(7) Oxonienses id alte prædicant, et Tertullianum et Basilium adducunt testes: the ritual of the Church was derived from the Apostles, and was based on religious principles and doctrines." Tract 34.

et administrandæ ritus antiquitatem suam produnt. Euchologia, Sacramentaria, et quotquot supersunt vetustatis monumenta rem faciunt exploratam.

76. Ratio aperte favet, quum enim ritus eo dirigantur ut sacramentorum vim explicent, et animi dispositiones quibus suscipienda sunt, et officia quæ suscipientibus imponuntur, insinuent, liquet eos utiliter et laudabiliter præscribi et peragi: subsidia quippe sunt hominum indoli, qui sensibus plurimum ducuntur, accommodata, et ad sanctos fines instituta.[1]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

77. *Obj.* 1. Impie adjiciuntur ritus iis quos instituit Christus veluti ac si ipse quid deceret ignorasset.

Resp. Nulla est impietas eam exercere auctoritatem quam Christus ipse demandavit, statuendi et componendi omnia quæ ad disciplinam pertinent. Instituendo sacramenta substantiam eorum definivit, in quam nihil potest Ecclesia; sed reliquit Apostolis et præsulibus futuris potestatem pro temporum et locorum varietate cætera disponendi, quam se exercituram Paulus ad Corinthios scribens, indicavit: "cætera cum venero disponam."[2] Id animadvertit olim Augustinus: "Ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur *(eucharistia)*, ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. . . . Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens. . . . 'Cætera autem cum venero, ordinabo.' Unde intelligi datur, (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur."[3] Nihil latuit Christum; sed quum sacramenta hominibus per tot sæcula forent ministranda, in varietate adjunctorum infinita, sapienter qui minoris forent momenti ritus præsulum Ecclesiæ permisit æquo arbitrio.

78. *Obj.* 2. Sacramentorum substantia obscuratur tot adventitiis ritibus, qui simplici Christi instituto adjiciuntur, adeo ut jam disceptent theologi, et inutili labore quærant quinam ritus sit essentialis quorumdam sacramentorum.

Resp. Sacramentorum vis declaratur ritibus qui in solemni eorum administratione fiunt: omnes enim intelliguntur præcipuo ritui, qui est ipsum sacramentum, inservire. Quod autem de quorumdam rituum necessitate disputetur, contingit absque sacramenti injuria, quum alterutro ritu præcipuo

(1) Post plura de ritibus erudite disceptata concludunt Oxonienses: "The conclusion to be drawn from all that has been said in those pages is this: that rites and ordinances, far from being unmeaning, are in their nature capable of impressing our memories and imaginations with the great revealed verities; far from being superstitious, are expressly sanctioned in Scripture as to their principle, and delivered to the Church in their form by tradition." Tract 34.

(2) I. Cor. xi. 34.

(2) Ep. ad Januar. liv. alias cxviii. i. ad Jan.

vim ejus contineri constet, quamvis dubitetur utrum uterque sit necessarius. Sic in confirmatione disceptatur de chrismatis necessitate ; in ordinatione de instrumentorum porrectione ; nec tamen dubitat aliquis utrumque sacramentum perfici, ritu Ecclesiæ peracto. Cæterum dubium ex rituum multitudine non est ortum, sed ex brevi narrandi ratione quam secutus est sacer scriptor ; et ex monumentorum antiquorum defectu.

79. *Obj.* 3. Cæremoniæ in sacramentis adhibitæ judaismum sapiunt, potius quam simplicia Christi instituta. Plurima in baptismo fiunt ad instar ritus quo proselyti excipiebantur.

Resp. Nihil judaicum in cæremoniis his reperire est, quum christianis mysteriis innitantur, et officia insinuent christiana. Equidem in lege mosaica ritus fuerunt qui aliquatenus sunt nostris affines, sed si simul conferantur, patebit discrimen. Idem dicendum de ritibus quibus proselyti excipi solebant. Quod de simplicitate institutorum Christi dicitur, e præjudicio vulgari derivatur, et absque tabulis asseritur ; non enim adeo simplicia fuerunt ut excluderentur cæremoniæ, uti patet ex vetutissimo usu ab Apostolis derivato, qui certe fuerunt optimi Christi voluntatis interpretes.

80. *Obj.* 4. Gratis referuntur cæremoniæ sacrameutorum ad ætatem Apostolicam.

Resp. Tertullianus sub finem sæculi secundi et initium tertii, plurimas commemoravit, veluti ab Apostolis traditione derivatas, et communi Ecclesiarum usu firmatas ;[1] quod profecto testimonium antiquum est et magni momenti. Alia adduximus quamplurima dum de singulis sacramentis ageremus.

81. *Obj.* 5. Risum movent et impietatem provocant pleræque cæremoniæ in sacramentorum adminstratione adhibitæ : v : g : insufflationes, aurium nariumque saliva contactus, salis in os immissio etc.

Resp. Qui animo bene parantur ritus omnes in sacramentis adhibitos reverenter contemplantur, eas recolentes Christi Domini res gestas vel dicta quæ iis commemorantur. Inter probationes adduximus miracula a Christo patrata quæ in memoriam revocantur aurium tactu saliva, et insufflationis exemplum. Sal sapientiæ et incorrupti animi symbolum usurpatur ad gratiam evangelicam significandam, qua efficimur " sal terræ."

Hæc breviter : quæ desiderantur ex specialibus de sacramentis tractatibus colligi possunt. Jam de cultu universo religioso agendum est, ut pateat Ecclesiam Catholicam purum et integrum Deo deferre, qui proinde illi sit gratus, colentibus autem maximè utilis.

(1) L. de corona militis.

TRACTATUS XVIII.

DE CULTU RELIGIOSO.

PRÆNOTANDA.

1. "Ambigua est" inquit vir Protestanticus eruditissimus, "religiosi cultus appellatio: nam et religiosus est, honos qui soli Deo defertur, et religiosus est, qui ob Deum defertur Angelis et Apostolis: neque enim is honor ad communem civilemque vitam pertinet."[1] *Latria*—λατρεια—a Theologis post Augustinum[2] cultus supremus dictus est: *Dulia*—δουλια—inferior cultus famulis Dei præstitus: *hyperdulia*—ὑπερδουλια—eximia inferioris cultus species, quæ Virgini Mariæ tribuitur. *Adorationis* vox ad supremum cultum designandum sæpius sumitur; aliquando inferiorem cultum religiosum designat: sed latius, etiam pro civili cultu, quo homines aliis obsequium testantur, a vulgato interprete adhibitus est, sicut a veteribus plerisque. Apud profanos scriptores orandi, et concionandi sensu nonnumquam usurpata est. Veneratio e contra sæpe indicat apud antiquos cultum supremum, adeo ut vocum usus plurimum varietur. Ipsa Augustini distinctio superius indicata usu magis quam vi vocum nititur.

2. Vulgare est præjudicium Catholicos colere sanctos, imagines et reliquias, quod de cultu ejusdem generis, ac illius qui Deo redditur plerique intelligunt; ideoque in limine vocum explicationem præmittendam duximus, ut claritas dicendis accedat. Religiosi cultus nomine omnem intelligimus honorem qui Deo redditur, vel creaturis ob supernaturalia quibus ornantur dona. Supremum et absolutum cultum Deo deberi ob summam ejus perfectionem et majestatem exploratum est, quem in Ecclesia catholica dari juvat demonstrare, antequam vindicemus quem præstat rebus creatis propter Deum honorem.

(1) Grotius in animadv. Rivet. p. 43.
(2) L. x. de civ. Dei c. 1.

CAPUT I.

DE CULTU DEI.

3. Deum colendum esse tum animi obsequio, tum corpore, in tractatu de Revelatione ostendimus. Sectarii omnes eum colere profitentur, purumque eorum cultum jactant, quem plerique in oratione præcipue reponunt, qua Deus omnium bonorum fons agnoscitur. Episcopaliani sacrificium, commemorativum tamen, se Deo offerre gloriantur, et statas preces fundunt. Methodistæ pro more eos imitantur. Presbyteriani sacrificii nomen respuentes et certas orandi formulas, preces pro arbitrio ministri, una cum hymnis et psalmis cultum habent. Baptistæ hos sequuntur duces. *Quakeri* meditabundi conveniunt, animoque Deum colentes, silentium non rumpunt, nisi ex Spiritus instinctu.[1] *Shakeri* saltant, læta animi sensa corporis motu vocibusque prodentes.[2]

PROPOSITIO.

Divinus cultus qualis in Ecclesia Catholica peragitur purus et perfectus est, Deo dignus et hominum indoli conveniens.

Probatur.

4. Deus supremo obsequio colitur in Ecclesia Catholica, oblato ei sacrificio, quod cultus summum est genus; agnoscitur omnium bonorum fons, quæ idcirco ab eo orando petuntur; supremus prædicatur rerum arbiter, cui totum mentis obsequium necessario præstandum est fide, et cujus leges necessario sunt servandæ. Cultus igitur Deo dignus plane est.

5. Congruit autem et hominum naturæ, quum veritates proponantur credendæ, quæ cultus sunt fundamentum, in quibus contemplandis altissi-

(1) "When assembled the great work of one and all ought to be to wait upon God; and returning out of their own thoughts and imaginations, to feel the Lord's presence, and know a gathering into his name indeed, where he is in the midst, according to his promise." Barclay's Apology, prop. xi. § vi.

(2) "The light, and truth, and revelation of God increased among them, until, by the special operation of his power, they were moved to go forth and worship God in the dance; which had been expressly signified by the law and the prophets, as the peculiar manner of worship to be established in the latter day." The testimony of Christ's second appearing, p. viii. ch. ix. n. 6.

ma ingenia exerceri possunt: et exterior cultus forma ejusmodi sit quæ Dei majestatem indicat, et hominibus magnum pietatis sensum facile injicit.

6. Præterea cultus catholicus totus innititur mysteriis quæ Christus tradidit, et institutis quorum auctor est: formam autem exteriorem exhibet divinis institutis Mosaicæ legis affinem, splendorem scilicet vestium rituumque quibus Dei majestas hominum sensibus quodammodo commendatur. Habet igitur Dei auctoritatem omni ex parte.

7. Exempla vetustissimorum sæculorum a Christo suffragantur, nam ex omnibus quæ supersunt monumentis constat ipsam cultus substantiam et ritus plerosque, qui nunc vigent, fuisse antiquitus servatos. Liturgiæ præclara sunt documenta, sicut et alia reperiuntur in constitutionibus apostolicis et patrum scriptis. In tractatu de Eucharistia plurima adduximus.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

8. *Obj.* 1. Haud adeo Deus a Catholicis colitur, ac sancti, imagines, reliquiæ, etc.

Resp. Summo cultu honoratur Deus, nec aliquis creatis rebus redditur honor, quod non referatur ad eum, adeo ut singula venerationis indicia sint cultus Dei exercitium. Equidem suprema regum potestas agnoscitur, dum eorum ministri magno cum honore excipiuntur. Cæterum hac ex parte cultum postea vindicabimus: id impræsentiarum demonstrandum suscipientes, Deum ipsum coli ea qua decet ratione.

9. *Obj.* 2. Cultus Catholicorum longissime recedit a spirituali cultu quem Christus testatus est Patrem suum omnino velle;[1] totus enim in cæremoniarum multitudine positus est.

Resp. In spiritu et veritate colimus, nam fide illustrati Deum ens purissimum et perfectissimum agnoscimus, quem vere adoramus, mentem et voluntatem ei subjicientes, et corporis obsequio animi pandentes sensa. Spiritualis igitur et verus est cultus, Judæorum cultui longe præstans: non enim in cæremoniis sistere jubemur, sed ad Deum ritibus illis assurgere, illum mente contemplantes, et affectibus cordis complectentes. Utique "Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare."

10. *Obj.* 3. Mosaica cultus pompa carnali populo accommodata, sub Christi dispensatione non debet exhiberi, Apostolo Paulo cæremonias et instituta illa omnino abolita esse docente.

Resp. Longe distat cultus catholicus a Mosaico, nec enim immolantur animantia, nec lotiones illæ plurimæ fiunt, nec aliæ servantur legis cæremoniæ, quas abolitas esse cum Paulo prædicamus. Cultus noster mysteriis fidei christianæ prorsus nititur, nullamque inanem pompam redolet,

(1) Joan. iv. 24.

sed altum de Deo rebusque divinis sensum prodit. Cæterum Paulus non rationem qua Deus colebatur a Judæis censendus est impugnasse, erat enim divinitus præscripta; sed in eo totus erat ut ostenderet legis illius obligationem desiisse.

11. *Obj.* 4. Cultus catholicus traditionibus humanis nititur, quæ sensim sine sensu creverunt, Augustino jam suo tempore querente de iis qui fideles cæremoniarum multitudine obruunt, et "servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum."[1]

Resp. Cultum servamus ab antiquissimis temporibus traditum, locupletibus enim documentis probamus sæculo quarto saltem rituum splendorem et copiam magnam fuisse, quos ad ipsa primordia Ecclesiæ non temere referunt viri eruditi. Questus est autem Augustinus de specialibus locorum ritibus: "Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint causæ, quas in iis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo."

12. *Obj.* 5. Ritus plerique a Judæis vel Gentilibus sunt mutuati: non autem oportebat simplicitatem cultus christiani his inficere.

Resp. Non ita se res habet, quamvis nonnulli ritus videantur aliquatenus judaicis affines, alioquin longe ab iis discreti. Ex ethnicorum moribus ortam esse occasionem ritum aliquem instituendi non negamus, ut pravæ corrigerentur consuetudines, vitio omni resecato. Profectò laudanda est sapiens illa œconomia, qua veritate in tuto posita mores ad ejus normam emendentur, et finis proponatur quo sancte fiant quæ prius ob pravum finem impia erant et detestanda. "Non similiter," inquit Augustinus, "cum gentibus vivimus, easdem res, non ad eundem finem referendo."[2]

13. *Obj.* 6. Supplicationes, aqua lustrationes, thuris incensio, cereorum copia, donaria, cæteraque plurima ab Ethnicis desumpta sunt, nec suo vitio purgata, inania enim sunt et superstitiosa.

Resp. Falluntur vehementer qui hæc omnia ab ethnicis derivant, pleraque enim in cultu quem Deus ipse Judæis præscripsit verosimilius habent fundamentum, quamvis apud nos diversa sint, et christianis mysteriis accommodata. Profectò Deo jubente circa urbem Hierichuntinam arca septies circumlata est, et sæpius alias solemni pompa lata refertur, Davide, Levitis, et populo universo gaudii indicia sacris canticis, et aliis rationibus dantibus. Aspersiones plures a Moyse præscriptæ sunt, Deo auctore; et in veteri Ecclesia consueverunt christiani Ecclesiam ingressuri toto se mergere corpore, vel manus saltem abluere, ut munditiem animæ

(1) Ep. lv. alias cxix. quæ est II. ad Januarium c. xix.
(2) Contra Faustum l. xx. c. xxiii.

significarent, et pœnitendo impetrarent.[1] Thus in orationis symbolum a Judæis usurpatum est, quod et a Joanne Evangelista factum, dum Angelum e thuribulo aureo incensum fundere coram altari referat: "ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo."[2] Perantiquum esse ejus usum in cultu christiano liquet ex constitutionibus apostolicis et aliis documentis antiquis. Luminum copia tum in sanctuario judaico, tum in veteri Ecclesia adhibita noscitur. Donaria pendent juxta altaria in grati animi testimonium ob beneficia accepta: quod utique nil habet ethnicum, quum Deo vero rependantur grates. Nil vitii est in eo quod beneficia per sanctos concessa aliquando credantur.[3]

14. *Obj.* 7. Catholici plerique ritibus tantum intenti, eorum significationem ignorant, nec ideo sublimes illos pietatis sensus habent. Præterea constat experientia ritus animum potius a Deo distrahere. Equidem in magnis solemnitatibus spectaculum exhibetur theatrale cum musica, potius quam cultus divinus.

Resp. Satis edocentur plerique Catholici ut cum pietatis sensu ritibus sacris adstent, et mentes cordaque ad Deum evehant, nec enim ad id necesse est singulorum rituum habere notitiam. Experientiam ipsi appellamus; qui enim Catholicorum cœtum Missæ adsistentium inspexerit, magnum pietatis sensum plerisque communem vix denegare poterit. Quod si aliqui negligant ad Deum assurgere, ipsis erit imputandum. Quod de solemnitatibus dicitur, locum non habet quotiescumque juxta Ecclesiæ leges res peragitur, splendor enim vestium, et tota pompa cultus altiorem de mysterio notionem, et sacri concentus cælestes cogitationes injiciunt. Si aliquid minus congruum alicubi fiat, culpandi erunt qui Ecclesiæ negligunt sancta mandata.

15. *Obj.* 8. Cultum Catholicorum esse materialem et superstitiosum liquet ex moribus Catholicorum, qui cultus exercitium cum omni vitiorum genere passim conjungunt.

Resp. Sunt præclara exempla virtutum apud Catholicos, qui fidei principia recolunt. Quod si occurrant contraria vitiosorum hominum exempla, qui cultus exercitium non deserunt, quamvis alioquin se totos dent libidini, vel alteri cuicumque vitio, id non contingit cultus causa. Equidem id apud nos certissimum est principium, nullum cultum posse Deo gratum esse, quamdiu peccato anima inquinatur; ideoque peccator optime novit se Deum colendo non salvandum, nisi dereliquerit vitia. Hæc fovens aliquando colere pergit Deum, quia manet sensus quidem officiorum quæ persolvere debet, licet alias cupiditatibus abripiatur; culpandus idcirco non ob cultum quem præstat, sed ob vitia quæ non emendat. "Alia est

(1) S. Chrys. hom. xviii. in 1 Cor.
(2) Apoc. viii. 3.
(3) Vide eruditas litteras Wiseman. "Letters to John Poynder, Esq., &c.

disciplina christianorum, alia luxuria vinolentorum vel errore infirmorum." Ita præclare Augustinus.[1]

ANIMADVERSIO.

16. Divinus et supremus cultus soli Deo præstatur in Ecclesia Catholica, Patri scilicet, Filio, et Spiritui Sancto, qui tres unum sunt. Adoratur etiam humana Christi natura, quia personæ secundæ divinæ conjungitur, eaque subsistit, adeo ut Deus homo factus adoretur. Optime igitur Petavius dixit: "Cultus seu adoratio proprie non convenit nisi uni Deo."[2]

(1) Contra Faustum l. xx. c. xxi.
(2) L. xv. de Incarn. c. ii.

CAPUT II.

DE CULTU SANCTORUM.

17. Constat cultum religiosum, inferioris tamen generis, præstari in Ecclesia Catholica angelis sanctisque gloria cælesti fruentibus. Ut dicenda de eo intelligantur, quæ de cultus gradibus traduntur distinctiones, numquam e memoria elabantur oportet. *Supremus* igitur est cultus qui agnoscit infinitam Entis perfectionem et majestatem. *Inferior* qui nititur supernaturali dote ab Ente Supremo derivata, vel relatione ad Ens ea dote ornatum. Hinc vel *absolutus* est, vel *relativus*. *Absolutus* nititur dote quæ in Ente agnoscitur; *relativus* totus refertur ad aliud. Deus solus absoluto et supremo cultu dignus est: attamen cultus sanctorum dicitur etiam *absolutus*, quum vere possideant dona supernaturalia; sed et *relativus* est nam necessariam habet ad Deum, cujus causa honorantur, relationem.[1] Cultus imaginum est *relativus*.

18. De sanctitate et gloria martyrum primis sæculis constabat ex fama publica, episcoporum accedente auctoritate, scilicet memoria eorum colebatur ubi passi fuerant supplicia, vel ubi reliquiæ eorum conservabantur. Die anniversario conveniebant fideles: acta martyrii legebantur: offerebatur Deo in gratiarum actionem et laudem sacrificium eucharisticum.[2] Quarto sæculo, persecutione sopita, qui vitæ eximia sanctitate fidelium cæterorum in se excitabant admirationem, post mortem simili fere honore celebrabantur. Litteris Encyclicis scriptis, aliquando singulorum cultus ad dissitas transibat Ecclesias, pro sanctitatis fama, et miraculorum frequentia: sed adhuc nullo decreto quod universalem spectaret Ecclesiam consuevit sanctitas defunctorum declarari. Eminuit quidem Romanæ Sedis auctoritas, nam sæculo quarto exeunte acta martyrii S. Vigilii episcopi Tridentini ad Pontificem missa sunt,[3] et ejus facultas sæpe exquirebatur ut corpus alicujus viri sanctitate celebris de tumulo honorifice eleva-

(1) Leibnitzius apposite scribit: "Generaliter tenendum neque cultum sanctorum aut reliquiarum probari, nisi quatenus ad Deum refertur, nullumque religionis actum esse debere, qui in honorem unius omnipotentis Dei non resolvatur ac terminetur. Itaque cum sancti honorantur, hoc ita intelligendum est quemadmodum in Scriptura dicitur, honorificati sunt amici tui Deus, et laudate Dominum in sanctis ejus." Syst. Theol. p. 160.

(2) Vide Euseb. l. iv. hist. Eccl. c. xv. Smyrnensium epistolam de martyrio Polycarpi recitantem. Eam novissime produxerunt Oxonienses vol. i. Records of the Church, No. xii.

(3) Apud Bolland. ad 26 Jun.

cyclopaedia
V, 334 as marked by me

retur, vel ut altare super illud erigere liceret: sed *processus* quem dicunt *canonizationis* non erat adhuc institutus, nec privilegium sanciendi cultum summo Pontifici reservatum. "Primus quem perhibent antiqua documenta," ait Morinus, "solemniter a Pontificibus canonizatum fuisse, est Hugo Carthusianus, et Gratianopolitanus Episcopus." . . . "Ante Innocentium II. et Alexandrum III. simplex admodum erat canonizationis ritus, ut ex Petro Damiano constat in fine vitæ Sancti Romualdi, testaturque Cardinalis Baronius ad annum Christi mxxvii. Obtinebatur ab iis quibus curæ erat illa canonizatio, a Sede Apostolica facultas altare supra corpus defuncti erigendi."[1]

19. Cultus quem Ecclesia tribuit Sanctis in eo præcipue positus est, quod eorum virtutes, et quæ passi sunt Religionis causa recolat, offerendo Deo sacrificium. Preces ad ipsos in Liturgia non consuevit dirigere, quamvis Deum exoret ut eorum precibus et intercessione adjuvetur. In Litaniis quæ Sabbato Sancto recitantur, post Dei imploratam misericordiam, sanctorum expetit preces; sicut et Beatissimæ Virginis Litaniis Lauretanis, quæ tamen ad Liturgiam non pertinent. Cæteræ quæcumque preces ad Sanctos directæ ex devotione et affectu privatorum hominum prodeunt, nulla plerumque publica sancitæ auctoritate. Cultus specimina haberi etiam possunt quæ imaginibus sanctorum tribuuntur venerationis indicia, scilicet quod in Ecclesiis publice exponantur; et pro aliquarum regionum consuetudine deferantur aliquoties per vicos honorifice. Sed qui reliquiis eorum præstatur honor, ad ipsos præsertim dirigitur.

20. Moderate admodum concilium Tridentinum hac in re se gessit, jubens episcopis, "ut juxta Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis christianæ Religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere, illos verò, qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi; vel stultum esse, in cælo regnantibus voce, vel mente supplicare, impie sentire."[2]

(1) Morinus, Comment. de adm. Sacr. Pœn. l. x. c. xx. Vide etiam vol. i. p. 197. hujus operis.

(2) Conc. Trid. Sess. xxv. Decr. de invocatione, &c.

PROPOSITIO.

Licet Angelos, sanctosque cum Christo regnantes, religioso quodam cultu, ut Dei famulos prosequi.

Probatur I. ex Scripturis.

21. " Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans, ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue, ut sibi fuerat imperatum."[1] Liquet Josuen angelum adesse intellexisse, quem non vocat Deum, sed Dominum, אֲדֹנִי eum tamen utpote exercitui Domini præfectum שַׂר־צְבָא יְהוָה veneratum esse, se in terram prosternendo. Civilis non fuit cultus hic, sed religiosus, utpote cælesti dignitate Angeli innixus: quem tamen probavit ipse, jubens ut in majoris reverentiæ testimonium Josue calceos deponeret; sicut alias Mosi e rubo ardente jussum est. Quod autem nonnulli patres Verbum divinum apparuisse censuerint, sicut et Protestantes ad vim probationis declinandam, non obstat: nec enim huic opinationi est robur aliquod. Præterea Josue de Verbo divino nil suspicari poterat, sed angelum principem cælestis exercitus, vel populo Israelitico invigilantem intelligere. Ergo Josue persuasum est oportere insignia honoris erga angelum indicia præbere, quæ et ei probata sunt.

Probatur II. patrum testimoniis.

22. Justinus M. " Eum *(Deum Patrem)* et Filium qui ab eo venit ac nos ista docuit, et cæterorum qui illum assectantur, eique assimilati sunt, bonorum Angelorum exercitum, et Spiritum propheticum colimus et adoramus, ratione et veritate venerantes."—*ἐκεινον τε, και τον παρ' αυτου υιον ελθοντα και διδαξαντα ἡμας ταυτα, και τον των ἀλλων ἑπομενων και ἐξομοιουμενων ἀγαθων ἀγγελων στρατον, πνευμα τε το προφητικον σεβομεθα, και προσκυνουμεν, λογῳ και ἀληθειᾳ τιμωντες.*[2] Licet sanctus martyr non innuat eodem cultus genere angelorum exercitum, quo Filius, affici, eos tamen coli, tamquam Filii asseclas, ei cælestibus donis quodammodo adsimilatos, affirmat. Quod autem discrimen cultus expressius non declaraverit, contigit quod Ethnicos alloquens, qui Atheos Christianos vocabant, impietatis crimen satis refelleret, cultum tribus personis divinis et angelis præstitum allegando: nec enim agebatur de instituendo homine christiano fidei doctrina, sed ut calumnia rejiceretur. Frustra autem se torquet Bullus,[3] hoc testimonium post Scultetum, conviciis potius quam ratione interpretans, contra manifestum verborum nexum et vim, vult enim Christum illa quæ retulerat Justinus docuisse, simul etiam

(1) Josue v. 13.
(2) Apol. i. 6.
(3) Defensio fidei Nicænæ c. iv. § ii. n. 8.

existere angelorum bonorum Christum sequentium exercitum; quum cuique obvium sit juxta Justinum, Patrem, Christum, et angelorum exercitum eum sequentium, et Spiritum propheticum coli et adorari.[1]

23. Ecclesia Smyrnensis in celeberrima epistola de Polycarpi martyrio, refert quo studio Judæi caverint ne Polycarpi corporis reliquiæ in Christianorum manus venirent, prætexentes hos Christo relicto Polycarpum adoraturos. "Ignari quod nec Christum umquam derelinquere poterimus, qui pro salute omnium qui in toto mundo salvi fient, passus est; inculpatus, pro peccatoribus; nec alium quemquam colere. Illum siquidem, utpote Filium Dei adoramus; martyres verò tamquam Domini discipulos et imitatores, merito diligimus, propter illorum erga suum regem ac magistrum benevolentiam eximiam, quorum utinam et nos fiamus consortes ac condiscipuli."[2]—*τοῦτον μὲν γὰρ ὑιὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν· τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς καὶ μιμητὰς τοῦ κυρίου, ἀγαπῶμεν ἀξίως.* Repositis quas exusti corporis colligere poterant reliquiis, die anniversario proponunt martyrium ejus celebrare, ejusque recolere memoriam: "Quo etiam loci nobis ut fieri poterit congregatis, in exultatione ac gaudio, præbebit Dominus natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum qui certamina pertulerunt, tum in venturorum hominum exercitationem et alacritatem."—*ἐνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις, ἐν ἀγαλλιασει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν, τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἰς τε τὴν τῶν ἠθληκότων μνήμην, καὶ τῶν ἀσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν.*[4] Præclarum documentum est honoris quo martyres Dei, et sanctos omnes prosequitur Ecclesia. Non eos adorat, qua ratione Filium Dei, sed dilectione sancta eos amplectitur, utpote discipulos ejus et imitatores. Quæ patrarunt egregia facinora, quæque passi sunt fortiter, recolit anniversariis festivitatibus, gaudens spiritu, tanta prole beata: eorumque exempla posteris exhibet, quibus ad omne virtutis exercitium accendantur.

24. S. Cyprianus eandem Ecclesiæ consuetudinem testatur, jubens, ut vigente persecutione, martyrum nomina ad eum referantur: "Dies eorum quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus." Dicit Tertullum quemdam illi consuevisse significare "dies quibus in carne beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt; et celebrantur hic a nobis oblationes, et sacrificia ob commemorationes eorum: quæ cito vobiscum, Domino protegente, celebrabimus."[4]

(1) Divinitas D. N. J. C. a Marano l. iv. c. iv. n. ii.

(2) § xvii. vol. ii. Pat. Apost. p. 202. ed. Amstelodami.

(3) Adnotant Oxonienses: "The Church always celebrated the day of martyrdom as that on which the Saint was truly born, and not what we call the birth-day." Leibnitzius dicit: "Certum est, secundo christianæ Ecclesiæ sæculo jam natalitia martyrum celebrata, et apud monumenta eorum sacros conventus fuisse institutos." Syst. theol. p. 170.

(4) Ep. 37.

25. S. Basilius, ad Ponticæ diœcesis episcopos scribens, ait: "Martyrum honores cum summo studio procurantur ab iis qui in Domino sperant: tum imprimis a vobis qui virtuti operam datis."[1] "Ecclesia per hoc quod eos honorat qui præcesserunt, præsentes impellit."[2] "Honor quem bonis conservis exhibemus, benevolentiæ erga communem Dominum significationem de se præbet."[3]

26. S. Gregorius Nyssenus de S. Theodoro martyre disserens, dicit: "Cui regum talis honor habetur? Quis ex iis qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis imperatorum qui urbes munitas ceperunt, nationes innumeras subegerunt, adeo decantatus et fama celebratus est, ut hic miles pauper modo conscriptus et tyro, quem Paulus armavit, quem Angeli ad certamen unxerunt, quem victorem Christus coronavit?" Deinceps martyrem ipsum alloquitur: "Ac nos quidem, O Beate! anniversariam circuli vicissitudinem assequuti benignitate Creatoris, tibi publicum conventum coegimus, sacrum, inquam, martyribus addictum, et communem Dominum adorantes, et tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes."[4]

27. S. Gregorius Nazianzenus, in Julianum Apostatam invectus, ait "martyres Juliani munera, et templum quod in eorum honorem volebat erigere, cum christianam adhuc religionem profiteretur, respuisse, et terram excussisse fundamenta ædificii sacri, quod extruere conabatur. O! insignem martyrum inter se charitatem! Honorem illius qui multos martyres ignominia et dedecore affecturus erat, recusarunt."[5]

28. S. Joannes Chrysostomus, ad populum Antiochenum de sanctis martyribus Juventino et Maximino concionans, ait: "Non aliter priscos, aliter recentiores colitis sanctos, sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes et commendatis. Non enim exploratis tempus, sed exquiritis animi fortitudtnem, pietatem, fidem invictam, zelum fervidum, et eas virtutes quas præseferunt sancti, ob quorum honorem hodie convenimus."[6]

29. S. Cyrillus Alexandrinus: "Sanctos porro martyres neque Deos esse dicimus, neque divino cultu illos adorare solemus, sed affectus et honoris. Quin potius summis honoribus illos ornamus, puta quod pro veritate strenue certaverint, sinceritatemque fidei eousque servaverint, ut animam ipsam contempserint, repudiatisque mortis terroribus, periculum

(1) Ep. 291.
(2) Orat. in S. Mamantem M.
(3) Orat. in 40 Martyres. Vide alias plures in martyres orationes.
(4) Orat. de S. Theodoro.
(5) Orat. III., quæ i. in Julian invect.
(6) Hom. in SS. M. M. Juventin. et Maxim. Vide etiam plurimas alias ejusdem in martyres homilias.

omne vicerint. Quare nihil est absurdi: imo verò necesse erat eos qui tam claris facinoribus excelluerunt, ornari perpetuis honoribus."[1]

30. S. Hieronymus: "Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum."[2]

31. S. Augustinus Fausti Manichæi calumniam sic diluit: "Nam quod etiam hinc nobis calumniatur Faustus, quod martyrum memorias honoramus, in hoc dicens, nos idola convertisse; non tam me movet ut huic calumniæ respondeam, quam ut ipsum Faustum ostendam studio calumniandi, etiam ab ipsius Manichæi vanitatibus exorbitare voluisse. . . . . Populus autem christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus eorum adjuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memorias martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane; sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit: ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem, et in illos quos imitari possumus, et in illum quo adjuvante possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei."[3]

32. Accedit ratio quæ suadet honorem quem Deo debemus, exigere ut quælibet persona honoretur pro relatione quam habet ad Deum. Sic sacerdotes et prophetæ semper consueverunt speciali honore affici, etiam a regibus, qui certe civilem cultum non iis tribuebant, sed honorabant in iis divinam potestatem quam exhibebant. Equidem pro ratione dotum quibus quis ornatur, honor varius est: civilis quippe cultus tribuitur iis qui rerum potiuntur: ille igitur qui personis sacris tribuitur, religiosus habendus est. "Videntes autem filii prophetarum qui erant in Jericho e contra, dixerunt: Requievit Spiritus Eliæ super Elisæum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram."[4] Abdias dispensator domus regiæ Eliæ obviam factus: "cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam."[5] Ejusdem speciei censendus est cultus hic, sive tribuatur iis qui in terris versantur, sive iis qui cum Christo regnant, quamvis solemnior hic sit, ob sanctitatis perfectionem quam amittere nequeunt.

(1) L. 6. in Julian.

(2) Ep. ad Riparium.

(3) L. xx. contra Faustum c. xxi. Vide plura testimonia apud Natalem Alexandrum hist. Eccl. Sæc. v. Diss. xxv. Vol. ix.

(4) IV. Reg. ii. 15.

(5) III. Reg. xviii. 7.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

33. *Obj.* 1. "Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput."[1] Cultum igitur angelorum damnat Apostolus.

Resp. Liquet Apostolum de iis agere qui Christum caput non agnoscunt, quod de Catholicis intelligi nequit, quibus "solus noster Redemptor et Salvator est."[2] Qui autem sint quos perstringit, non certo constat; sunt enim qui Judæos intelligunt, quibus lex data est "ordinata per angelos in manu mediatoris;"[3] alii ad Simonianos vel Gnosticos alios verba Apostoli referunt; liquet enim Angelos Æonesve ab his veluti deos minores, qui sua potestate omnia moderabantur, habitos, et superstitioso proinde cultu affectos.[5] Sunt etiam inter recentiores eruditione præstantes, quibus "θρησκεία τῶν ἀγγέλων videtur esse studium singularis sanctitatis; nam et alibi (Act. xxvi. 5) Paulus τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς Ἰουδαϊκῆς θρησκείας non cultum dicit, sed studium singularis sanctitatis Pharisaicæ." Ita Rosenmüller.[6]

34. *Obj.* 2. Joannes Apostolus ab angelo correptus est, quia eum colere volebat: "Cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu: Deum adora."[7]

Resp. Nefas est de tanto Apostolo suspicari eum illicitum aliquem cultum præstare voluisse. Dicendum igitur id prorsus licuisse; angelum tamen modeste recusasse venerationis testimonia, quum veneraretur et ipse Apostoli ,quem diligebat Jesus, excelsam dignitatem. Profectò Joannes iterum eadem cultus præstitit indicia,[8] monitionis veluti nulla ratione habita, angelicum nuntium debito prosequens honore, suæ dignitatis immemor. Igitur Apostolus humilitatis præbuit exemplum; angelus modestiæ, quippe qui et famulum se professus est Dei, omnem honorem ad eum referens. Aliam explicationem tradidit Gregorius Magnus; "Quid est

(1) Col. ii. 18.

(2) Conc. Trid. Sess. xxv. Decr. de invoc. Sanct.

(3) Gal. iii. 19. Vide Hieronym. q. 10 ad Algasiam.

(4) Chrysost. hom. vii. in ep. Col. "Sunt quidam qui dicunt non oportere per Christum adduci, sed per angelos." Paulo aliter Theodoretus in loc.

(5) Aug. l. viii. de civ Dei c. 18.

(6) In loc. Bloomfield: "The persons in question (supposed to be Gnostics) adopting the opinion of the Essenes, Pythagoreans, and Platonists, maintained, from a sentiment of affected humility, that *direct* access of prayer to the Deity was presumptuous and impracticable, and that prayers could only be presented, and accepted through the mediation of the angels." Bloomfield in loc.

(7) Apoc. xix. 10.

(8) Ibid. xxii. 9.

quod ante Redemptoris adventum Angeli ab hominibus adorantur, et tacent; postmodum vero adorari refugiunt? Nisi quod naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt? Nec jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se, videlicet in cœli rege, venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum."[1] Adeo liquet honorem a Joanne præstitum licitum fuisse, eumque ex humilitate recusatum, ut id fateantur Bloomfield,[2] et Rosenmüller, qui frustra contendunt civilem esse honorem quem Apostolus prostratus Angelo exhibebat. Animadvertit Rosenmüller: "Non dicit προσκύνησιν soli Deo licite exhiberi: repugnat enim tota vetus historia, sed benigne agit, ut si quis collega collegæ dicat: serva hunc honorem Regi."[3] Grotius præcesserat: "Nam quod in Apocalypsi angelus eum honorem a se amovet, non inde venit, quod in eo esset quid illiciti, sed Apostolum sibi æquat angelus, quod ambo Christi, jam angelorum capitis, ministri essent, (Vide loc. Col. i. 16. 18.) et apostolica legatio ad hominum salutem comparata, nulla parte angelica esset inferior. Non solent autem collegæ inter se ista submissionis signa usurpare."[4]

35. *Obj.* 3. Cum Bullo. Angeli ratio "innuitur in verbis illis: τῷ θεῷ προσκύνησον, *Deum adora*, quæ ex mandato divino desumi videtur, a Servatore producto Mat. iv. 10. Manifestum verò est, verba exclusivè (ut loquuntur) intelligi debere, quasi ab Angelo dictum esset: *Cultus iste, quo me affecturus es, Deo soli convenit, Vide itaque ne mihi ipsum tribuas.*"[5]

Resp. Mirum est doctissimum virum velle Apostolum arguere consilii adeo nefandi, divinum cultum angelo tribuendi. Cogitur fateri prostrationem fuisse licitam, sed finem et animi intentionem quam habuit Apostolus, audet reprobare: "Nam cadere in terram, atque ad pedes angeli, per se non erat vitiosum; cum certum sit, ejusmodi honorem etiam hominibus, regibus scilicet ac prophetis, sæpius a viris sanctis, idque sine peccato, exhibitum olim fuisse. Sed ob id culpatur Apostolus, quod ad pedes angeli se prostraverat eo fine, ut ipsum adoraret, h. e. cultum divinum . . . exhiberet."[6] Quis hæc de Apostolo Jesu Christi patienter audiet? Adeo homines suæ sectæ student, ut velint Apostolum damnare, potius quam exemplum ejus suæ sententiæ adversum agnoscere, et imitari. Quod ad mandatum divinum a Servatore contra Satanam adductum attinet, *ex-*

(1) S. Greg. M. l. i. hom viii. in Evang. Ipsissima verba veluti Riberæ a Bullo laudantur. Primitiva et Apostolica traditio de Jesu Christi Divinitate c. vi. § 7.

(2) "The Angel declined it with humility." In loc.

(3) In locum.

(4) In explic. Decalogi ad 2 præc.

(5) Bullus in opere, Primitiva et Apostolica traditio de Jesu Christi divinitate c. vi. §. v.

(6) Ibidem.

clusive utique intelligitur, Deus enim adorandus est, eique soli serviendum, summo cultu et obsequio.

36. *Obj.* 4. Prophetica est monitio[1] universos spectans christianos, "cum ex loco huic gemino (Apoc. xxii. 9) manifestum sit, angeli prohibitionem ad omnes universim christianos extendendam esse."[2]

Resp. Monitio Joannem respexit: se autem profitetur angelus conservum eorum qui servant verba illius libri. Nihil inde, quum constet de re licita agi, a qua ex humilitate abstinuit. Cæterum etsi cum omnibus fidelibus, Christo inserviat etiam angelus, ideoque ratio prohibitionis hac ex parte subsit, non tamen adeo valet, potiori enim ratione est conservus Apostolorum et prophetarum. Qui propheticam monitionem et cautelam contra quemcumque angelorum cultum sibi fingunt in loco objecto reperisse, debent certum proferre documentum quo aliis id suadeant.

37. *Obj.* 5. Deus per prophetam dicit: "Gloriam meam alteri non dabo."[3] Apostolus clamat: "Soli Deo honor et gloria."[4]

Resp. Gloria divina, honor scilicet summus, dari nequit alicui præter Deum: sed honor qui propter Deum sanctis tribuitur longe inferior est, et ad Deum redundat. Sicut Deus diligitur, dum fraterna propter ipsum exercetur dilectio, ita et honoratur, dum honorantur ejus famuli. Cæterum vates loquitur de moderatione qua divina justitia in Israelem exercetur, ne gentis excidium det aliis occasionem blasphemandi: "Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer: et gloriam meam alteri non dabo."

38. *Obj.* 6. Augustinus ait: "Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt non sic habentur ut tales quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse consortes."[5]

Resp. Eo loci cultum supremum intelligit, quapropter subjungit: "honorandi igitur sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem." Mentem suam clarius explicat, scribens contra Faustum: "Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos devotius quanto securius post certamina superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At vero illo cultu, qui Græce *Latria* dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii

(1) Bloomfield in loc. post Newcomb.
(2) Bullus loco cit.
(3) Isaiæ xlviii. 11.
(4) 1 Tim. i. 17.
(5) L. de vera Rel. c. 55. alias n. 108. col. 786. t. 1 ed. Ven.

(unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent) nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo; et quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut condemnetur, sive ut caveatur."[1]

39. *Obj.* 7. Theodoretus in epistolam ad Colossenses scribit: "Qui legem defendebant eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam, mansit autem diu hoc vitium in Phrygia et Pisidia. Quocirca synodus quoque quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit ne precarentur angelos, et in hodiernum usque diem videre licet apud istos, et eorum finitimos, oratoria S. Michaelis."

Resp. Pergit Theodoretus: "Illi ergo humilitate nimirum ducti, hoc fieri suadebant, dicentes universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse; et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc est quod dicit: In humilitate et cultu Angelorum." Longe diversa est Catholicorum de angelis sententia et cultus; eos enim veneramur tamquam Dei nuntios, eorumque expetimus preces; nec tamen veremur ad Deum ipsi accedere. Christus est unicus mediator necessarius, cui et supremus cultus debetur: "Quoniam illi jubebant angelos adorare, ipse contrarium præcipit, ut et dicta et facta exornent recordatione Christi Domini. Et Deo, *inquit*, et Patri gratiarum actionem offerte per ipsum, non per angelos. Hanc etiam legem sequens Laodicena synodus, et volens veteri illi morbo mederi, lege sanxit, non orandos esse angelos, nec relinquendum Dominum nostrum Jesum Christum." Ita ipse Theodoretus.[2] Ille meritò rejectus est angelorum cultus, qui iis, veluti necessariis inter Deum et hominem sequestribus, adhibebatur, Christo derelicto. Porro quæ videre erat oratoria S. Michaelis, etiam post legem Laodicenam, vix haberi possunt superstitioni adhuc addicta, quæ diu quidem mansit, sed sublata tandem videtur. Quæ igitur olim superstitionis labe inquinata sunt, ad puriorem cultum Summi Dei, sub invocatione S. Michaelis, translata censenda sunt. Cæterum si quis contenderit omnem cultum angelorum lege illa vetitum, ad loci adjuncta in quibus abusus graviores vigebant, referenda erit prohibitio; potest quippe Ecclesia ea vetare quæ periculum habent.

(1) L. xx. contra Faustum c. 21.
(2) In c. 3. ep. ad Coloss.

CAPUT III.

DE SANCTORUM INVOCATIONE.

40. Quamvis nulla lege divina vel Ecclesiastica sanctorum præcipiatur invocatio, si Litanias, paucis diebus anni, Breviarium recitantibus præscriptas exceperis, docet tamen Ecclesia bonum esse et utile sanctos invocare; qua autem ratione patet ex supra laudato Tridentino decreto. Piam hanc consuetudinem impugnavit sæculo quinto ineunte Vigilantius; vindicavit autem egregius doctor Hieronymus. Henriciani seu Petrobrusiani Sæculo XII., Waldenses deinceps et Taboritæ, et Sæculi XVI. Novatores.

PROPOSITIO.

Bonum est et utile Sanctos cum Christo regnantes suppliciter invocare.

Probatur I. ex Scriptura.

41. Jacob Ephraim et Manasse benedicens, dixit: "Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum: nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac."[1] הַמַּלְאָךְ הַגֹּאֵל אֹתִי מִכָּל־רָע יְבָרֵךְ אֶת־הַנְּעָרִים Recte adnotavit, Rosenmüller: "intelligitur idem ille *Angelus*, qui luctatus cum Israele narratur 32, 24, et quem Jacob tutelarem suum putabat."[2] Ergo persuasum Jacobo erat angelos tutelares rite invocari, ut benedicant et protegant sibi commendatos. Eum autem divino instinctu loquutum fuisse constat.

42. Moses, ut Deum populo ob vitulum conflatilem iratum placaret, dixit: "Recordare, Domine, Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, &c."[3] Fidelitatem quam Deo servarunt hi eximii ejus famuli imprimis allegat, ut Deum flectat, quem etiam promissionis illis juramento firmatæ monet. Haud absimili ratione Ecclesia consuevit Deo Sanctorum virtutes et merita exponere, ad iram suam flectendam. Est *indirecta* quædam invocatio.

43. Salomon in templi dedicatione precibus hunc apposuit terminum: "Domine Deus ne averteris faciem Christi tui: memento misericordiarum

(1) Gen. xlviii. 16.
(2) In locum.
(3) Exod. xxxii. 13.

David servi tui."[1] אַל־תָּשֵׁב פְּנֵי מְשִׁיחֶךָ זָכְרָה לְחַסְדֵי דָוִיד עַבְדֶּךָ Eadem sententia in Psalmo redditur: "Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui."[2] בַּעֲבוּר דָּוִד עַבְדֶּךָ אַל־תָּשֵׁב פְּנֵי מְשִׁיחֶךָ Igitur Davidis studium pro religione, et ærumnæ quas ea de causa passus est, animo humili et mansueto, allegantur, ut Deus, eorum habita ratione, Salomonem orantem benigne excipiat: Psalmus quippe in hoc argumento versatur: זְכוֹר לְדָוִד אֵת כָּל־עֲנוֹתוֹ "Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus." Familiare fuit Davidis merita veluti occasionem divinæ bonitatis impetrandæ allegare. Sennacherib Hierosolymas obsidente incolumem futuram urbem pollicitus est Deus Ezechiæ regi per Isaiam: "Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me et propter David servum meum."[3]

44. Jeremias refert: "Et dixit Dominus ad me: si steterit Moyses et Samuel coram me; non est anima mea ad populum istum: ejice illos a facie mea, et egrediantur."[4] Vati deprecanti divinam misericordiam pro populo dixerat Deus: "Noli orare pro populo isto in bonum."[5] Se igitur haud ullatenus placandum ut significaret, se ne quidem Moysis et Samuelis precibus dixit flectendum. אִם־יַעֲמֹד מֹשֶׁה וּשְׁמוּאֵל לְפָנַי אֵינִי נַפְשִׁי אֶל־הָעָם הַזֶּה Hæc indicant fieri posse ut Moyses et Samuel pro iis deprecarentur: nec enim ulla est causa suspicandi hypothesim esse de re quæ contingere nequit; vel, ut vult Calvinus, homines viventes qui Moysi et Samuel virtute assimilarentur indicari, nam nullum est comparationis indicium, et Jeremias jam supplex intercessit, utique virtute cæteris plerisque viventibus præstantior. Hieronymus,[6] Chrysostomus,[7] Gregorius M.[8] verba prout sonant meritò explicuerunt.

45. Tres pueri in fornace Deum precati sunt: "Neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum."[9] Hæc quidem reperiuntur inter ea quæ Deutero-canonica recensentur: sed consona sunt iis quæ Moses protulit,[10] ut nihil interim dicamus de eorum auctoritate, quam alias statuimus.

46. Judas Machabæus in somno vidit: "Oniam qui fuerat summus sacerdos . . . manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum:

(1) II. Par. vi. 42.
(2) Ps. cxxxi. 10. Heb. cxxxii.
(3) IV. Reg. xix. 34.
(4) Jer. xv. 1.
(5) Ibidem xiv. 11.
(6) In Comm.
(7) Hom. i. in ep. ad Thess.
(8) Lib. 9. Moral. c. 9.
(9) Dan. iii. 35.
(10) Exod. xxxii. 13.

post hoc apparuisse et alium virum, ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum: respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator et populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei."[1]

47. Liquet igitur familiare fuisse Dei populo per omnia sæcula veterum sanctorum *merita* allegare, ut Deus propitius sibi redderetur; Deumque ipsum sæpe sæpius significasse se plura concedere beneficia, eorum intuitu: angelos etiam invocatos esse ut beneficia largirentur, utpote divinorum consiliorum ministros. Hos cum honore nominavit Joannes, veluti gratiæ et pacis quæ a Christo est ministros: "Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus, qui in cŏnspectu throni ejus sunt."[2] Imo persuasum fuit Judæis eos qui e vivis discesserant, pro populo Deum deprecari, eamque persuasionem Deus ipse Jeremiæ testimonio et visione Judæ Machabæi confirmavit.

48. Confirmantur hæc omnia iis testimoniis quæ angelos sanctosque exhibent Deo offerentes preces justorum. "Quando orabas cum lacrymis," dicebat Raphael Tobiæ,—"ego obtuli orationem tuam Domino."[3] "Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum."[4] "Et alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum: et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo."[5] Hæc satis ostendunt angelos sanctosque cum Christo regnantes suas habere partes in orationibus sanctorum qui in terris versantur Deo commendandis.

49. Præterea ex Scriptura certo constat Deum gratas habere orationes quas justi in terris pro aliis effundunt. Amicos Job ad eum remisit, ejus tantum oratione se placandum significans: "Ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia."[6] S. Paulus fidelium pro se expetivit preces: "Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum."[7] "Orate pro invicem ut salvemini."[8] *A fortiori* gratæ sunt Deo orationes sanctorum in cælis, qui

(1) II. Mach. xv. 12.
(2) Apoc. i. 4.
(3) Tobiæ xii. 12.
(4) Apoc. v. 8.
(5) Apoc. viii. 3.
(6) Job xlii. 8.
(7) Rom. xv. 20. vide et Ephes. vi. 19. I. Thess. v. 25. II. Thess. iii. 1. Coloss. iv. 3. Heb. xiii. 18.
(8) Jacob. v. 16.

omni macula immunes sunt. Magna inde Deo exurgit gloria, quod in ipsa sublimi eorum conditione supplices se exhibent.

Probatur II. ex constanti Ecclesiæ consuetudine.

50. S. Cyprianus: "Memores nostri invicem simus, concordes atque unanimes pro nobis semper oremus, pressuras et angustias mutua charitate relevemus. Et qui istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio."[1] Virgines alloquens ait: "Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter: tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari."[2]

51. Origenes: "Cum aliquis Deum habet propitium, sequitur ut amicos habeat omnes ejus Angelos, animas et Spiritus. Sentiunt enim qui sint digni favore cælestis Numinis; quibus non solum ipsi bene volunt; verum etiam dant operam, ut Deum ei servire volentibus concilient; et una nobiscum precantur: ut quotquot eum colimus, audeamus dicere, hominibus bonæ voluntatis precantibus ultro se adjungere innumera sanctorum angelorum millia, et intercedere pro mortali nostro genere."[3] "Omnia angelis plena sunt. Veni, Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino."[4]

52. Adeo persuasum erat fidelibus, sæculo tertio ineunte, valere apud Deum sanctorum pro viventibus preces, ut Potamiæna militi Ethnico Basilidi, qui eam ab injuria protexerat, promiserit "se post obitum ipsius salutem a Domino illi impetraturam." Promissis stetit, et Basilides martyrium subiturus, Christianis suam conversionem mirantibus, rem retulit, seque Potamiænam, tertio post martyrium die, noctu sibi assistentem vidisse, quæ se ipsius causa Dominum orasse testata est. Ita refert Eusebius.[5]

53. S. Basilius, in oratione in quadraginta martyres: "Sæpe operam distis ut unum pro vobis orantem inveniretis: quadraginta sunt hi, unam orationis emittentes vocem . . . Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugit: qui rursus lætatur, ad hos recurrit: hic ut a malis liberetur; ille ut duret in rebus lætis. Hic mulier orans pro filiis auditur: peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti verò salutem implorat. . . . O Sanctum chorum! Sacrum ordinem! O cuneum inexpugnabilem! O communes generis humani custodes! Optimi curarum socii, precum adjutores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum! Vos non terra contexit, sed cælum excepit."

(1) Ep. 57.

(2) L. de disciplina et habitu virginum.

(3) L. viii. contra Celsum.

(4) Hom. i. in Ezechielem.

(5) L. vi. hist. Eccl. c. 5. Priestley rem conatur absque miraculo explicare ex superstitione illius sæculi, adeo ut ipso fatente res foret consueta hujusmodi promissiones facere.

54. S. Hilarius in verba Christi apud Matth. c. xviii. 10. "Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus.' Præesse Angelos absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum et invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.

55. S. Gregorius Nazianzenus *in Oratione de laudibus S. Basilii:* "Tu verò, sacrum et divinum caput, e cœlo nos, quæso, inspice, carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum aut precibus tuis siste, aut certe ut forti animo perferamus, persuade; atque omnem nostram vitam ad id quod maxime conducibile est, dirige. Postquam autem ex hac vita migraverimus, illinc etiam nos in tabernacula tua suscipe, ut simul viventes, et Sanctam Trinitatem plenius puriusque cernentes, desideriis nostris finem statuamus."[1]

56. S. Gregorius Nyssenus, *Oratione de S. Theodoro M.* "Intercede ac deprecare pro patria apud communem regem ac Dominum. Nam patria martyris est etiam locus passionis. . . . Etiamsi superasti sæculum, at nosti affectus et usus, necessitatesque humanæ conditionis. Pete pacem, ut hi publici conventus non desinant. . . . . Nos enim etiam quod incolumes servati sumus, tibi acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis præsidium atque securitatem. Quod si majori etiam opus fuerit advocatione ac intercessione, fratrum tuorum martyrum coge chorum, et cum omnibus una deprecare. Multorum justorum preces populorum peccata dissolvant. Admone Petrum, excita Paulum, necnon Joannem Theologum, ac dilectum discipulum, ut pro Ecclesiis quas constituerunt soliciti sint."

57. S. Joannes Chrysostomus in homilia de SS. Bernice, Prosdoce, et Domnina: "Neque die tantum hujus festivitatis, sed aliis etiam diebus, iis assideamus, eas obsecremus, obtestemur, ut patronæ sint nostræ. Multam enim fiduciam obtinent non viventes modo, sed et mortuæ, multoque magis cum sint mortuæ. Jam enim stigmata ferunt Christi. Cum autem stigmata hæc ostenderint, omnia Regi possunt persuadere."[2]

58. S. Asterius, Amasenus Episcopus, in Encomio martyrum, matrem pro filii valetudine deprecantem inducit: "Ad unum martyrum accedens, per illum postulationem suam offert Domino, hujusmodi mediatorem vocibus interpellans: Tu qui propter Christum passus es, intercede pro passione ac morbo. . . . Tu ipse quoque martyres aliquando rogasti, antequam fieres martyr." . . . Infra dicit: "Nam quia minime idonea est oratio nostra ad flectendum Dominum in tempore necessitatis, et calamita-

(1) Vide etiam Orat. xiv. de Patre suo, et Orat. in Athanas. et Orat. xviii. in Cyprian.

(2) Vide etiam Orat. de SS. Inventio et Maximo, et hom. 45 de S. Meletio.

tis: siquidem oratio nostra non tam deprecatio est, quam peccatorum in memoriam revocatio, idcirco nos ad conservos Domino dilectos confugimus."

59. S. Ambrosius, "Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi qua habuerunt peccata, laverunt: isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere: quia ipsi infirmitatem corporis etiam cum vincerent cognoverunt."[1]

60. S. Hieronymus Vigilantium refellens, respondet: "Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint. Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quanto magis post coronas, victorias et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam; et Stephanus imitator Domini sui, et primus martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur: et postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? . . . Denique Sancti non appellantur mortui, sed viventes."[2]

61. S. Augustinus de Cypriano ait: "Adjuvet itaque nos in orationibus suis in istius carnis mortalitate, tamquam caliginosa nube, laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur."[3]

62. Concilium Chalcedonense: "Flavianus post mortem vivit: Martyr pro nobis oret."[4]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

63. *Obj.* 1. Invocatio est fidei quædam professio, ideoque ad solum Deum dirigenda est, juxta illud Apostoli: "Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?"[5]

Resp. Invocatio de qua loquitur Apostolus est ea qua quis Dominum agnoscens, salutem ab eo petit: "Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit."[6] Longe diversa est ratio invocationis Sanctorum, quos Dei

(1) L. de viduis c. 9. Vide etiam ep. 22 ad Marcellinam sororem de inventione corporum SS. Gervasii et Protasii.

(2) L. contra Vigilantium.

(3) L. viii. de baptismo, contra Donatistas c. i. t. ix. op. Aug. ed. Ven.

(4) Conc. Chalc. Act. ii. Alia plura vide apud Natalem Alexandrum hist. Eccl. Sæc. v. diss. xx. qu. ii. art ii. prop. ii.

(5) Rom. x. 14.

(6) Ibidem 12.

famulos, non Deos, salutis subsidia per Christum nobis impetraturos, non eam suis meritis vel potentia daturos agnoscimus. Profectò Apostolus fidelium preces expetiit verbis eisdem quibus Sanctos invocare consuevimus: "fratres, orate pro nobis."[1] Igitur Deus solus invocandus est tamquam Dominus, et salutis auctor: sed invocatio, qualis ad Sanctos dirigitur, Deo non convenit.

64. *Obj.* 2. Paulus dicit unicum esse mediatorem: "Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus."[2]

Resp. Loquitur Apostolus de mediatore, "qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus."[3] Utique unicus ille est. Longe alio sensu Sancti dicuntur mediatores, qui scilicet preces apud Deum per Christum pro nobis fundunt: qua ratione piis homines pro peccatoribus deprecantes mediatoris funguntur officio, absque ullo Christi mediationis dispendio.

65. *Obj.* 3. Christus non eam docuit orandi rationem, sed Patrem invocandum dixit: "Sic ergo vos orabitis: Pater noster, etc."

Resp. Christus eo loci emendavit errorem eorum, qui ethnicorum instar putabant se vota consecuturos, si ea verborum ambitui intexerent: "putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur."[4] Opus non erat ut ea occasione aliquid traderet de pia consuetudine preces sanctorum expetendi, quæ satis commendatur exemplis in scripturis relatis, sanctorum in terris versantium qui suis precibus beneficia aliis impetrarunt, et qui ipsi aliorum preces expetierunt. "Orate pro invicem," inquit Jacobus, "ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua."[5] Profectò quæ afferuntur argumenta ad impugnandam sanctorum invocationem, si quid valeant, probant justorum nobiscum in terris versantium preces non esse expetendas.

66. *Obj.* 4. Immane est discrimen inter piam consuetudinem pro se invicem orandi, qualem commendat Jacobus, et Sanctorum invocationem: nam in terris versantes omnes supplices nos sistimus coram Deo, orationis et communionis sancto consortio conjuncti; nec quis alium invocare dici potest: e contra accedunt Catholici supplices ad Sanctos in soliis cælestibus considentes, eosque venerabundi implorant, ut qua valent gratia apud Deum, imo qua præstant potentia, pro famulis sibi obsequentibus utantur.

Resp. Est quidem discrimen, ex conditionis diversitate desumptum, sed quod rei substantiam non attingat: si enim Deus solus invocandus sit, adeo ut apud eum nullus quærendus sit intercessor, nec debemus quærere alicujus in terris positi preces. Sancti gloria fruentes non desinunt esse Dei humillimi famuli, qui proinde nonnisi supplices ad eum accedunt, quamvis jam non indigeant venia aliqua, vel beneficio. Quod nos cum

(1) I. Thess. v. 25.
(2) I. Tim. ii. 5.
(3) Ibidem 6.
(4) Matt. vi. 7.
(5) Jac. v. 16.

magno reverentiæ sensu eos invocemus, ex eorum feliciori conditione provenit, jam enim regnant cum Christo, gloriæ illius facti participes. Utique nobis persuasum est eos plurimum posse apud Deum, quum sint illi acceptissimi, qui non consuevit preces servorum suorum rejicere: "Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum."[1] Si quis se alicujus Sancti devotum profiteatur famulum, intelligitur significare altam virtutum æstimationem, et venerationem quam animo fovet; non tamen obsequio quo Deum colit aliquid detrahere.

67. *Obj.* 5. Sancti frustra invocantur, nam preces non norunt: juxta illud Ecclesiastis: "Viventes sciunt se morituros, mortui vero nihil noverunt amplius."[2]

Resp. Non omnem prorsus cognitionem mortuis denegat Ecclesiastes, sed eam rerum humanarum notitiam, quæ versantibus in corpore convenit. Cæterum Sanctos in Deo plurima nosse de hominibus in terra versantibus, ex eo colligitur quod et angeli peccatoris pœnitentia gaudeant, Christo testante.

68. *Obj.* 6. Vel Sancti censentur nosse preces *in se*, et infinita quadam scientia Dei instar, præditi videbuntur, nam preces ubique terrarum ab hominibus innumeris funduntur; vel Deo revelante, quod superfluum et inane est, quippe revelat Sanctis preces ad eos fusas, ut ipsi deinceps orent eum.

Resp. Scientiam qua pollent Sancti magnam esse non dubitamus, quum divino lumine perfundantur: limitibus tamen eam circumscribi fatemur, nam creatura infinitæ perfectionis capax non est. Quum corpore adhuc inclusa anima tanta polleat cognitione, temere certi ponuntur limites scientiæ quam habet corpore soluta, et Dei gloria illustrata. Necesse non est ut definiamus rationem qua singula noscant; sed non repugnat ut revelatione contingat quæ tamen simplicissima sit, et nulla actuum serie, qualem describunt adversarii, implicata. Spirituum cœlestium dotes et cognitionem nequaquam mente assequi valemus, ideoque præstat sequi veterum fidem, qui Sanctis precum notitiam non denegant, quin explicare aggrediantur quomodo comparetur.[1] Id profectò constat de infinita scien-

(1) Ps. xxxiii. 16.

(2) Eccl. ix. 5.

(2) "When it is said that the saints cannot hear our prayers, unless God reveal them to them; so that Almighty God, upon the Roman theory, conveys from us to them those requests which they are to ask back again of Him for us, we are certainly using an unreal, because an unscriptural argument, Moses on the Mount having the sin of his people first revealed to him by God, that he in turn might intercede with God for them. Indeed, it is through Him 'in whom we live, and move, and have our being,' that we are able in *this* life to hear the requests of each other and to present them to Him in prayer. Such an argument then, while shocking and profane to the feelings of a Romanist, is shallow even in the judgment of a philosopher." Tract No. 71.

tia non agi, quum derivetur a Deo, et ad preces, numero utique finito, referatur.

69. *Obj.* 7. Nullo certo documento probatur Sanctis hanc competere notitiam, quæ meris nititur conjecturis.

Resp. Certum est Christi documentum de notitia pœnitentis animi quam habent angeli, et par est ratio precum, nam pœnitentia inter cordis arcana recte reponitur, quum externa indicia sint ambigua. Præterea usus veteris Ecclesiæ certos nos facit preces illas haud inutiliter fundi ; ideoque non conjiciendo, sed traditionem divinam sequendo eas audiendas judicamus. Modum quo audiantur, nostrum non est explicare, quum cælestium Spirituum conditionem et dotes vix ullatenus concipere valeamus ; sed de sublimiori qua præstant notitia dubitandi nulla est ratio. Optime in rem nostram Leibnitzius : " Cum igitur beatæ mentes multo magis nunc rebus nostris intersint, quam quando in terris vivebant, multoque omnia præsentius intueantur, (nam homines pauca tantum quæ in conspectu geruntur aut ab aliis nuntiantur cognoscunt,) cum caritas earum aut voluntas juvandi longe sit ardentior, denique cum preces earum longe sint efficaciores, quam quas olim fundebant in hac vita, constet autem quantum Deus etiam viventium intercessionibus tribuerit, et utiliter nos fratrum preces nostris conjungi expectamus : non video quomodo crimini dari possit compellare felicem animam vel sanctum angelum, ejusque intercessionem vel auxilium postulare . . . . præsertim si cultus ille consideretur tantum ut exigua accessio summi illius qui in unum Deum recta dirigitur."[1]

70. *Obj.* 8. S. Augustinus mediatoris nomen nec Joanni nec Paulo tribuendum contendit : " Si esset mediator Paulus, essent utique et cæteri co-apostoli ejus, ac si multi mediatores essent, nec ipsius Pauli constaret ratio qua dixerat : Unus Deus, unus mediator Dei et hominum."[2]

Resp. Mediatoris nomen merito denegat Augustinus alicui præter Christum competere sensu Donatistarum, quod scilicet sacramentorum vis ex ejus meritis penderet. Cæterum preces sanctorum utiliter expeti testatur : " Habet," inquit, " ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitant ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari."[3]

(1) Syst. theol. p. 194.
(2) L. II. contra Parmen. c. viii.
(3) Serm. xvii. de verbis Apostoli.

CAPUT IV.

DE VIRGINIS CULTU.

§. I. De Matris Dei titulo.

71. Eximia prorsus Virginis Mariæ dignitas postulat ut de ea speciatim agamus. Ex Nestoriana hæresi qua Christi persona a Verbo distinguebatur, sequebatur Mariam Christi matrem Χριςοτοκον, non verò matrem Dei θεοτοκον dicendam : quapropter et Mariæ dignitatem impugnavit illius hæreseos artifex ; eamque vindicarunt egregie præsules Christiani qui ipsi obstiterunt. Probavit concilium Ephesinum hunc anathematismum a Cyrillo conscriptum : " Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuelem, et propterea Dei genitricem Sanctam Virginem : peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est, Verbum caro factum est ; anathema sit."[1] Sic et concilium Constantinopolitanum II. : " Si quis abusive, et non vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato, et nato ex ipsa, talis anathema sit."[2] Plerique sectarii hodierni de Mariæ titulo litem non movent. Cæterum Unitarii Christum Deum denegantes, Mariam Deiparam necessaria consequentia denegant ; et Protestantes universi, ne quidem exceptis Episcopalianis, ejus honori detrahunt.

PROPOSITIO.

Virgo Maria vere et proprie dicenda est Dei mater.

Probatur I. ex Scripturis.

72. Elizabeth, Spiritu Sancto inspirante, Mariam matrem Domini sui appellavit : " Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei—ἡ μήτηρ τοῦ κυριου μου—ad me ?"[3] Angelus eum designavit Filium Dei : " Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei."[4] το γεννώμενον ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ

(1) Anath. i.
(2) Can. vi.
(3) Luc. i. 42.
(4) Luc. i. 35.

Filium suum Deum misisse dicit Apostolus : " misit Deus filium suum factum ex muliere."[1] ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικός. Emmanuel, Deus nobiscum, vocatur quem Virgo concepit et peperit : μεθ' ἡμῶν ὁ θεός.[2] Ergo Maria virgo mater est Dei et Domini nostri, qui filius est Dei Patris.

Probatur II. ex Patribus.

73. S. Ignatius M. " Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria."[3] S. Justinus dicit : " eum qui secundum voluntatem Patris, ex virgine generis Abrahæ, tribus Juda et stirpis David, genitus est, Filium Dei Christum."[4] δια της . . . παρθενε γεννηθεντα υιον του θεε Χριςον· S. Irenæus : " Verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis."[5] Dionysius Alexandrinus de Isaia loquens dicit : " ostendit Dei genitricem Virginem quendam concepisse."[6] S. Athanasius docet ex Scriptura : " tum Filium fuisse semper, et esse Deum ; qui sit Verbum, et splendor, ac sapientia Patris : tum postea propter nos eundem illum assumpta carne de Virgine Dei genitrice Maria hominem esse factum."[7] S. Basilius de humana Christi generatione disserens, Virginem θεοτοκον vocat.[8] S. Gregorius Nazianzenus : "Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est."[9] S. Hieronymus : " Natum Deum esse de virgine credimus, quia legimus."[10]

74. Rationem cur Virgo Deipara dicenda sit, præclare explicat S. Cyrillus Alexandrinus : " Quia vero sacra Virgo Deum carni secundum hypostasim unitum corporaliter genuit, ob id illam quoque Deiparam esse dicimus ; non quod Dei Verbi natura existendi initium ex carne traxerit, sed quia humana natura secundum hypostasim sibi unita, corpoream ex utero nativitatem expertum est."[11] " Si Deus et Dominus noster Jesus Christus, quomodo Dei genitrix non est, quæ illum genuit sancta virgo ?"[12]

(1) Gal. iv. 4.
(2) Mat. i. 23.
(3) Ep. ad Eph.
(4) Dial. cum Tryphone Judæo. n. 43.
(5) L. iii. adv hær. c. xxxi. ἀνακεφαλαιούμενον apud Irenæum significat qui instaurare voluit hominem, eumque e lapsu erigere.
(6) In resp. ad quæs. 5. Samosateni.
(7) Orat. iv. contra Arianos.
(8) Hom. xxv. de humana Christi gener.
(9) Ep. i. ad Cleodoniam, seu Orat. 51.
(10) L. contra Helvidium.
(11) Ep. 3 ad Nestor. c. 2.
(12) Ep. ad Monachos.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

75. *Obj.* 1. Christus Mariam numquam matrem vocasse noscitur: imo eam objurgavit, eo quod de vino deficiente in nuptiis Canæ quereretur: "Quid mihi et tibi est, mulier?"[1] Joannem in filium ei dans, mulierem eam iterum appellat: "Mulier, ecce filius tuus."[2] Eam adesse annuntianti respondit: "Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei: quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est."[3] Ideo censendus est ab hac appellatione abstinuisse, ne Dei mater haberetur.

Resp. Sæpe Maria mater Jesu in Scripturis dicitur; mater Domini semel vocata est; ejusque Filius Dei Filius, Deus nobiscum, appellatur. Quum igitur hæc, Spiritu Sancto afflante, dicta et scripta sint, nil obstat quod non retulerit sacer aliquis scriptor eam matrem a Christo appellatam; nec enim qua ratione eam compellare consueverit refertur. Quum peteret ipsa divinæ qua pollebat potestatis exercitium, ut pudori nubentium de vini defectu consuleretur, tempus palam faciendi prodigiis patratis divinam suam originem, nondum advenisse significavit. Verba autem objecta non reprehensionis vim necessariò obtinent, sed ex vocis sono sensum acriorem vel mitiorem habent. Nonnumquam ita proferuntur ab Orientalibus, ut simplex sint interrogatio, ac si diceretur: Quid a me vis?[4] Nonnumquam significant: Quid contra me habes? nonnumquam: Quo jure me appellas? Mitissimam autem explicationem hocce in loco exigunt;[5] nec enim cogitare fas est Christum, qui parentes honorandos præcipit, matrem minus honorifice tractasse: et rei eventus demonstrat eum eo morem gessisse, licet sic videretur divina consilia de manifestationis suæ tempore prævertere. "Quæstio illa Hebraica," ait Rosenmüller, מה־לי ולך . . . non est indignantis et molestius ferentis. . . . Nec vox γύναι iram et indignationem indicat, nam apud Græcos hæc fuit compellatio et allocutio honestissimarum feminarum." Nihil igitur ex hac appellatione contra dignitatem Mariæ, matris Christi Dei, concludi potest. Quod autem noluerit ab edocenda turba distrahi, etiam ut matri obsequeretur, ostendit eum in iis quæ Patris sui sunt præsertim occupari, et affectu amplecti tenero omnes qui Patris sui faciunt voluntatem.

(1) Joan. ii. 4.
(2) Joan. xix. 26.
(3) Matt. xii. 48.
(4) II. Reg. xvi. 10. II. Par. xxxv. 21.
(5) In Joan. c. ii. 4. "These words cannot import . . . strong reprehension. . . . As far as the opinion rests on the γύναι, it is utterly unfounded; since this was a form of address used even to the most dignified persons; and employed by Jesus to his mother on the most affecting of all occasions." Bloomfield in loc.

76. *Obj.* 2. Rectius Christi mater Maria dicitur, quam Deipara, quæ vox ambigua est, et videtur Deo a se existenti injuriosa.

Resp. Sensu obvio Maria mater Dei dicitur, eo quod Christum conceperit et pepererit, Filium Dei, Deumque ipsum. Omnes norunt divinam naturam omni carere initio, Deumque proinde esse a se, adeo ut quisque statim intelligat Mariam matrem Dei dici, secundum humanam quam assumpsit naturam, " divinitas illam etiam fœminam fecerat, non in illa facta ferecat," uti recte monet Augustinus.[1]

77. *Obj.* 3. Impietatem et blasphemiam redolet appellatio illa: ' Mater Dei.

Resp. Nititur mysterio Dei facti hominis, quod hominibus suum sensum sequentibus stultum habetur, sed fidelibus divinam erga homines misericordiam et dilectionem prodit. Hoc fundamento totius fidei christianæ posito, dubitari nequit Mariam Dei matrem esse, et proinde ita appellandam.

---

§. II. De perpetua Mariæ virginitate.

78. Mariam Christum concepisse et peperisse, illæso virgineo decore probavimus in tractatu de Redemptore. Eam mansisse deinceps virginem negavit quinto sæculo Jovinianus; sed hominis impietatem tota exhorruit Ecclesia. Inter recentiores sectarios Episcopaliani consueverunt perpetuam ejus virginitatem vindicare, quamvis non omnes eodem erroris contrarii odio. Cæteri plerique Protestantes eam familiari sermone impugnare non dubitant, eo magis se in Christi cultu proficere existimantes quo longius a matris ejus honore recedunt.

PROPOSITIO.

B. Maria, Christi Domini Mater, virgo permansit perpetua.

Probatur I. ex Scripturis.

79. Angelo eam de filio pariendo edocente, quæsivit: " Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?"[2] Ista interrogatio, fatente Grotio, certum animi propositum prodit virginitatem semper servandi; si enim conjugio licuisset uti, nulla foret ratio cur quæreret quomodo paritura foret filium. In sancto proposito firmata sit necesse est, ex quo Mater Christi facta, sanctior et perfectior evaserit.

(1) L. iv. de consensu Evang.
(2) Luc. i. 34.

Probatur II. ex traditione quam Patres testantur.

80. S. Gregorius Nyssenus: "Illa post partum virgo incorrupta mater fovet filium."[1] S. Ambrosius: "Egregia igitur Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, et intemeratæ integritatis pium Christo vexillum levavit. Et tamen cum omnes ad cultum virginitatis Sanctæ Mariæ provocentur exemplo, fuerunt qui eam negarent virginem perseverasse. *Hoc tantum sacrilegium* silere jamdudum maluimus, sed quia causa vocavit in medium, ita ut ejus prolapsionis etiam Episcopus argueretur, indemnatum non putavimus relinquendum."[2] "An vero Dominus Jesus eam sibi matrem eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare cælestem?"[3] S. Hieronymus: "Natum Deum esse de virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus."[4] S. Epiphanius: "Sic Sancta Maria virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Hæc enim perpetuò incorrupta permansit."[5] Gennadius: "Integra fide credendum Beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse."[6] S. Augustinus de Pelagio dicit: "Manichæos appellat catholicos, more illius Joviniani, qui ante paucos annos hæreticus novus, virginitatem Sanctæ Mariæ destruebat, et virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat."[7] Hæc aliaque manifesto probant traditionem de perpetua virginitate Mariæ, quam idcirco plurimi agnoscunt Anglicani.[8]

Probatur III. ex conciliis.

81. Patres Chalcedonenses, in Sermone prosphonetico, Marcianum Imperatorem alloquentes, Virginem Dei Genitricem prædicant "propter eum qui virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut Deo dignum erat, uterum obsignavit ut nullius injuriæ deinde pateret." Constantinopolitanum III. hæc habet: "Mariæ virginitas ante partum, in partu, et post partum intemerabilis."

Accedunt rationes theologicæ. Quum uterus Virginis sanctuarium factum sit Dei, non decuit illud altera prole impleri. Mater Filii præsentia sancta omnino facta est, et Deo plena, quam carnis commercio quodammodo profanam fieri Christi honor non sinit.

(1) In Orat. de Nat. Christi.
(2) Institut. Virg. c. v.
(3) Ibidem c. vi.
(4) L. de perp. Virg. B. M.
(5) Hær. lxxviii.
(6) L. de Eccl. dogm. c. lxix.
(7) Contra 2 ep. Pelag. l. i. c. ii.
(8) "The perpetual virginity of the Mother of God our Saviour is so likely a thing and so universally received, that I do not see why we should not look upon it as a genuine Apostolical Tradition." Bishop Patrick on Tradition, No. 78. p. 81. Oxford Tracts, vol. 4.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

82. *Obj.* 1. Satis innuit Evangelista Matthæus Mariam post partum virginem non mansisse: "antequam convenirent."[1] "Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum."[2]

Resp. In eo totus est, locis objectis, Matthæus, ut ostendat Isaiæ vaticinium in Mariæ partu impletum: affirmat idcirco commercium nullum eam inter et Joseph ante partum intercessisse. "Qui incarnationis incorruptum susceperat probare mysterium, non putavit uberius prosequendum virginitatis Mariæ testimonium, ne defensor magis Virginis, quam assertor mysterii crederetur."[3] Nihil profecto ea ratione loquendi insinuatur de iis quæ deinceps evenerunt, quæ proinde usurpatur passim in omnibus linguis, quin aliquid iis quæ prius dicta sunt contrarium secutum esse intelligatur. Non desunt in Scripturis similia loca: "Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, *donec* ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.[4] "Michol filiæ Saul non est natus filius *usque in* diem mortis suæ."[5] Qui primus editus est primo-genitus consuevit vocari, etiamsi alius non sequeretur, nam "post unum mensem" offerendus erat.[6]

83. *Obj.* 2. Fratrum Jesu sæpius fit mentio in Scripturis, et quidem una cum matre, quod ostendit de fratribus uterinis esse sermonem: "Descendit Capharnaum ipse et mater ejus, et fratres ejus."[7]

Resp. Notum est fratrum nomine propinquos passim in Scripturis designari, nam Abraham et Lot fratres dicuntur, patruus licet et nepos.[8] Quod nominentur una cum matre, non eos uterinos fratres probat, receptus enim loquendi mos sinebat ut qui vere sanguine conjuncti erant sic passim vocarentur.

84. *Obj.* 3. Saltem otiosi est hominis de virginitate post partum inquirere, judice Basilio.

Resp. Perperam affirmat Bloomfield[9] post Taylor, otiosi hominis esse, Basilio judice, investigare quid fuerit Maria post partum, utpote nullius momenti ad mysterium: non enim ea fuit sanctissimo doctori mens, quum ipse virginitatem ejus perpetuam tradat ac tueatur: sed incarnationis mysterium sartum tectum manere, quidquid de ea sit, meritò dicit: "Nos autem, etiamsi hoc nihil pietatis rationem vitiet; nam usque ad dispensa-

(1) Mat. i. 18.
(2) Ib. v, 25.
(3) S. Ambros. Com. in Ev. Luc. c. i. l. 2.
(4) Ps. cix.
(5) II. Reg. vi. 23.
(6) Num. xviii. 16.
(7) Joan. ii. 12.
(8) Gen. xiii. 8.
(9) In c. i. 25. Mat.

tionis ministerium necessaria erat virginitas; quod verò deinceps consequutum est, nullam curiositatem rationi mysterii exhibet: tamen ut ne eorum qui Christum amant aures suscipiant, quod Deipara aliquando virgo esse desiit, illa testimonia sufficientia esse putamus."[1]

85. *Obj.* 4. Quum fides ea respiciat quæ Deus revelavit, Mariæ perpetua virginitas ad eam referri nequit, deest enim revelatio: nec decuit Deum eam revelare, quum solam Mariam spectet.

Resp. Revelatio colligitur ex Mariæ verbis quæ retulimus, et ex titulo virginis ei simpliciter in Scripturis tributo; et plane innotescit ex perpetua traditione. Porro non Mariam tantum spectat, sed cum mysterio incarnationis intimo nexu conjungitur.

---

§. III. De speciali Mariæ cultu.

86. Fides docet, uti demonstravimus, Mariam esse Dei Matrem, et perpetuam Virginem. Ob celsissimam dignitatem et intimam ad Christum relationem, eam speciali prosequitur cultu Ecclesia. Honorificis idcirco appellatur titulis, plures per annum celebrantur in ejus honorem festivitates, frequentissime invocatur ejus apud Deum intercessio, præsertim angelica salutatione; et plurima fiunt exercitia quibus magna in eam excitatur fiducia. Hunc cultum specialem omni nisu impugnant sectarii harum regionem, Orientalibus omnibus sectis eum magno studio foventibus.

PROPOSITIO.

Maria virgo, utpote Dei Mater, speciali prorsus et insigni cultu honoranda est.

Probatur I. ex Scripturis.

87. Magno honore prosecutus est Mariam Angelus, ei ad dignitatem tantam electæ gratulans: Ave, gratia plena—χαιρε κεχαριτωμένη,—[2] Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus[3] εὐλογημένη ἐν γυναιξίν. Præ mulieribus cæteris benedicta prædicatur,[4] summo favore divino dignata, ut Mater Filii Dei eligeretur.

(1) S. Basil. hom. xxiv. in S. Christi Nativitatem, p. 248. ed. Basileæ an. MDXL.

(2) Animadvertit Bloomfield: "This is not well rendered 'beloved' or 'favourite of heaven,' as in Campbell's version. Better (as in the vulgate) 'gratia plena.' . . For (as Valckn. observes) all verbs of this form, as αἱματόω, θαυματόω, &c., have a sense of *heaping up, or rendering full.*" Minus feliciter igitur, imo temere, auctor anonymus in tentamine novæ versionis Anglicæ reddidit: "favoured of God." A new version of the four Gospels with Notes Critical and Explanatory by a Catholic, London 1836.

(3) Luc. i. 28.

(4) "This is said to be a Hebrew form of expressing the superlative, but it is found also in both the Greek and Latin classical writers." Bloomfield.

88. Elizabeth, Spiritu Sancto inspirante, reverenter excepit Mariam, licet alias conditione par, et genere propinqua esset; et vehementem animi admirationem significavit se tanto honore dignatam, ut a Matre Domini sui inviseretur, qua loquente infantem in utero lætabundum se movisse testata est: "Factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth: et exclamavit vox magna et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad mei[1] Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.[1] Beata dicitur Maria ob fidem, et ob rem in ea implendam, Filium pariendo. Benedicta specialiter dicitur præ mulieribus cæteris, ob benedictum uteri sui fructum. Magno se honore affectam agnoscit Elizabeth, tantam hospitem Domini sui Matrem excipiendo,[2] quam sensit in utero latens infans.[3] Hæc confirmavit Maria, Spiritu Sancto auctore, quæ etiam prædixit per omnia sæcula beatam ejus conditionem prædicandam esse: "Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes."—Ἰδοὺ γὰρ, ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί.[4]

(1) "This manner of speaking is a form expressive of admiration at any unexpected honour done." Bloomfield.

(2) Luc. 1. 48.

(3) Pulchre Jeremias Taylor, Anglicanus licet: "It is not easy to imagine what a collision of joys was at this blessed meeting: two mothers of two great princes, the one the greatest that was born of woman, and the other was his Lord; and these made mothers by two miracles, met together with joy and mysteriousness; where the mother of our Lord went to visit the mother of his servant, and the Holy Ghost made the meeting festival, and descended upon Elizabeth, and she prophesied. Never, but in heaven, was there more joy and ecstacy." *Life of Christ, Section II. n.* 4.

"Elizabeth who received testimony from God, that she 'walked in all the commandments of the Lord blameless,' was carried into ecstacy, wondering at the honour and favour done to her by the mother of her Lord." *Ib. Reflections, n.* 5.

(4) "The necessity of believing our Saviour thus to be *born of the Virgin Mary*, will appear both in respect of her who was the mother, and of Him who was the Son. In respect of her it was therefore necessary, that we might perpetually preserve an esteem of her person proportionable to so high a dignity. It was her own prediction:" 'From henceforth all generations shall call me blessed:' but the obligation is our's to call her, to esteem her so. If Elizabeth cried out with so loud a voice: 'Blessed art thou among women;' when Christ was but newly conceived in her womb, what expressions of honour and admiration can we think sufficient now that Christ is in heaven and that Mother with Him? Far be it from any Christian to derogate from that special, privilege granted her, which is incommunicable to any other. We cannot bear too reverent a regard unto the Mother of our Lord, so long as we give her not that worship which is due unto God Himself. Let us keep the language of the primitive church: Let her be honoured and esteemed; let him be worshipped and adored." Bishop Pearson on the Creed, Art. iii.

Probatur II. ex Patribus.

89. Origenes de angelica salutatione dicit: "Soli enim Mariæ hæc salutatio servabatur. Si enim scisset Maria et ad alium quempiam similem factum esse sermonem, (habebat quippe legis scientiam, et erat sancta, et prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat,) numquam quasi peregrina eam salutatio terruisset."[1]

90. Auctor antiquissimus cujus extant tres homiliæ de Annuntiatione B. Virginis, olim S. Gregorio Neocæsariensi adscriptæ, ait: "Ave gratia plena, Dominus tecum. Tuum enim vere est ut aveas, gaudeasque; quod tecum divina gratia, uti novit, habitaculum elegit; cum ancilla, Rex gloriæ; cum speciosa, speciosus forma præ filiis hominum: cum impolluta, qui sanctificat universa. Tecum ac ex te Deus homoque perfectus: Ave gratia plena, fons lucis, quæ illuminat omnes in ipsam credentes. Ave gratia plena, spiritalis Solis Oriens, et flos vitæ immaculatus."[2] Et alias: "Tua sane laus, O Sanctissima Virgo! omnem prorsus laudem excedit, ob eum scilicet qui ex te Deus carnem induit ac homo natus est. Tibi omnis cælestium, terrestrium, ac infernorum natura, convenientem cultum ac venerationem adhibet. Tu enim vere thronus cherubicus facta es. Tu in summis spiritalis regiæ axibus, lucis splendore coruscas, ubi æternus clarificatur Pater, cujus nacta es obumbrantem virtutem, adoratur Filius quem carne peperisti, laudum canticis celebratur Spiritus Sanctus, qui Magni Regis ortum tuo in utero operatus est. Tua opera, O gratia plena! Trinitas Sancta ac consubstantialis in mundo cognoscitur."[3]

91. S. Epiphanius vocat Mariam "selectum quoddam vas atque eximium," et commemoratis Elia, Joanne, Thecla, addit: "cui tamen longe est anteponenda Maria, ob cæleste illud mysterium, quod in ejus utero perfectum est."[4] Collyridianos qui eam collyridis oblatione colebant, reprehendens, adorationem Deo, honorem tamen Mariæ vindicat: "Honoretur sane Maria, Pater verò, Filius, et Spiritus Sanctus adorentur: Mariam adorare nemo velit."—"Maria in honore sit; Dominus adoretur."[5] Et alias: "Sancta enim Virgo Maria est sponsa Trinitatis, ac plane arcanus dispensationis thesaurus, cui Gabriel ait: Ave gratia plena. Dominus tecum." "Quo pacto beatam illam prædicabo, quæ tota ac radicitus fundata gloria est? Solo enim Deo excepto, cunctis superior est."[6]

92. S. Ambrosius: "Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit?"[7]

93. S. Cyrillus Alexandrinus coram concilio Ephesino de Virginis

(1) Hom. vi. in Luc.
(2) Hom. i. de Annuntiatione B. Virg.
(3) Hom. iii. de eadem.
(4) Hær. lxxix.
(5) Ibidem.
(6) Orat. de laudibus Maria.
(7) L. II. de Virginibus.

Deiparæ laudibus disseruit, in Ecclesia sub ejus nomine dicata, eamque vocavit: "pretiosissimum totius orbis monile, columbam incorruptam, lampadem inextinguibilem, ex qua natus est sol justitiæ, locum ejus qui loco non capitur, per quam salvatur omnis spiritus fidelis."[1]

94. S. Proclus, episcopus Cyzicenus, Constantinopoli concionans, dixit: "Sacra Deipara Maria in unum nos cogit. Hæc illibatæ virginis purus ille thesaurus decusque." Et alias: "Quapropter dicamus ei: *Benedicta tu in mulieribus* quæ sola Evæ errori medelam attulisti; sola ingemescentis absterseris lacrymas."[2]

95. Basilius Seleuciensis episcopus, medio quinto sæculo, sic Mariam alloquitur: "Ave gratia plena, castitatis florentissime paradise, in quo lignum vitæ plantatum, fructus salutis universis producet: ex quo Evangeliorum quaterno initio fons, miserationum flumina credentibus deducet. Ave gratia plena, Dei ac hominum mediatrix, quo medio pariete inimicitiarum sublato, cælestibus terrena coeant, ac uniantur. Quis ergo ingentem Dei genitricis potentiam non miretur? Quamque illa universis sanctis, si quibus honorem habemus, emineat? Siquidem enim Deus tantam servis impertitus est gratiam, ut non solum tactu ægros sanarent, sed et umbræ ipsius projectu idem præstarent: quantam putandus Matri concessisse virtutem? An non multo præ subditis majorem? Plane liquet."[3]

96. S. Anastasius, archiepiscopus Antiochenus, ait: "Dei nostri Matrem in hæc verba cum Gabriele salutemus: Ave gratiosa, Dominus tecum: quod facta sis nobis salutis via, ascensusque ad superos, ac locus requietionis, refrigeriique tabernaculum, in quo Dominus habitavit."[4] Hæc ex plurimis quæ recitat Natalis Alexander[5] damus specimina eximii honoris et cultus, quem Virgini Deiparæ præstiterunt veteres, Græci pariter et Latini.

Probatur III. conciliorum auctoritate.

97. In Concilio Nicæno II recitatum est et probatum synodicum Theodori patriarchæ Hierosolymitani in quo profitetur se suscipere sex universales synodos, et Ephesini decreta contra Nestorii hæresim deinceps recenset, de Virgine Maria ea occasione dicens: "quæ vere Dei mater est, et ante partum et post partum virgo, atque omnis intelligibilis ac sensibilis naturæ gloria et claritate sublimior"—*τὴν ὄντως θεομήτορα, καὶ πρὸ τοῦ τόκου, καὶ μετὰ τόκον παρθένον, καὶ πάσης νοητῆς τε καὶ αἰσθητῆς ὑπερτέραν δόξῃ τε καὶ λαμπρότητι δεδημιουργημένην φύσεως.*[6] Lecta quoque est in eodem concilio epistola Germani

(1) Orat. Ephesi habita.
(2) Orat. Const. hab.
(3) Orat. in Annuntiationem.
(4) Serm. i. in Annuntiat.
(5) Hist. Eccl. vol. ix.
(6) Conc. Nic. II. Act. iii. col. 145. t. iv. coll. Hard.

patriarchæ Constantinopolitani, ad Joannem Synadensem in qua dictum est: "Eam, ut vere et proprie veri Dei matrem veneramur, et magni facimus, et quavis visibili et invisibili creatura superiorem reputamus." καὶ γὰρ ὡς κυρίως καὶ ἀληθῶς μητέρα θεοῦ τοῦ ἀληθινοῦ σέβομεν αὐτὴν καὶ μεγαλύνομεν, καὶ πάσης ὁρατῆς καὶ ἀοράτης κτίσεως ὑπερτέραν λογιζόμεθα.[1]

Probatur IV. ex Liturgiis.

98. Honorificam virginis Deiparæ commemorationem faciunt omnes Liturgiæ. In liturgia Basilii usuali dicitur: "præcipue cum sanctissima, illibata, super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra Deipara, et semper Virgine Maria."

99. Accedit ratio theologica ex ipsa dignitatis Matris Dei celsitudine, quæ major est quam quæ verbis possit explicari, est enim intima quædam relatio ad Deum, quæ nulli alii creaturæ conceditur. Sicut igitur prophetæ, sacerdotes, et famuli et ministri Dei universi propter relationem ad eum honorantur, eximius quidam cultus ei debetur quæ ad Deum tam proxime accedit.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

100. *Obj.* 1. Hyperduliæ, seu cultus eximii Virginis nullam in prioribus sæculis indicium reperitur; nec enim Celsus cæterique nominis christiani hostes eum christianis objecerunt, quamvis probra plurima Virgini intulerint.

Resp. Quum cultus Virginis non esset christianæ religionis finis, sed ex præcipuis fidei mysteriis consequentia veluti deductus, mirum non est Celsum cæterosve de eo litem non movisse, impugnabant enim ipsam fidem, et cultum totum christianum. Quod si Christum Deum agnovissent, et ex Maria virgine Spiritus Sancti opera natum, verosimile non est eos damnaturos venerationem qua eum prosequebatur Ecclesia. Protestantes quidem in eo parum sibi constare convincuntur, quod mysterium incarnationis agnoscant, et tamen eam quæ præcipuum ejus instrumentum facta est, non honorent. Cæterum id non est prætermittendum mores christianorum et dogmata non fuisse ethnicis penitus explorata, ideoque mirum non est, si qua animi veneratione coleretur Virgo, ignorassent. Præclarum quidem veteris cultus documentum habetur in Liturgiis antiquissimis in quibus commemoratur Maria, et domina nostra prædicatur, magnificis adjectis titulis.

101. *Obj.* 2. Quæ ex veteribus afferuntur testimonia, oratorum more dicta sunt, quin cultum probent, quem Epiphanius aliique cum tota Ecclesia, quæ Collyridianos damnavit, omnia rejiciunt.

Resp. Præter egregias laudes cultum quoque deberi Sanctissimæ Deiparæ patres tribuendum docent. Equidem auctor qui aliquando censebatur

(1) Conc. Nic. II. Act. iv. col. 241.

S. Gregorius Neocæsariensis "convenientem cultum ac venerationem" adhiberi Mariæ docet. S. Proclus dicit: "Adoratur et Maria . . . tamquam quæ Mater, ancillaque, et nubes, thalamusque ac arca Domini effecta sit. Mater; eum namque peperit qui voluit nasci. Ancilla; quippe naturam confiteor, et prædico gratiam. Nubes; concepit enim de Spiritu Sancto, quem illæsa integritate peperit. Thalamus; in ea enim ut nuptiali thalamo Deus Verbum habitavit. Arca; non quæ legem portaverit, sed quæ Legislatorem pepererit."[1] Leontius, episcopus Neapoleos Cypri, in sermone laudato in VII. concilio Œcumenico, dicit: "Qui honorat martyrem, Deum honorat: et qui Matrem ejus adorat, ipse honorificentiam exhibet."[2] Quod autem neget Epiphanius Mariam adorandam, intelligendum est de supremo cultu, qualem collyride in sacrificium oblata præstabant Collyridiani. Optime S. Joannes Damascenus docet: "Solum rerum omnium Procreatorem et Opificem adoremus, et latriæ cultu veneremur, ut Deum natura adorandum. Adoremus et Sanctam Dei Genitricem, non tamquam Deum, sed ut Dei Matrem quantum pertinet ad humanitatem."[3]

102. *Obj.* 3. Ex honoris significationibus ad cultum sensim sine sensu perventum est, donec jam præcipuum sit Catholicorum studium colere Mariam, et quidem summo obsequio, nam longe plura ei dicantur templa, quam Deo, vel Christo, nuncupantur vota, offeruntur donaria, sacrificia etiam, festivitatibus magno numero celebratis.

Resp. Constat cultum Mariæ vetustissimis obtinuisse temporibus, nam concilium Ephesinum in templo ejus nomine dicato habitum est, uti Acta testantur, et festi dies in ejus honorem agi consueverunt, ex veteri usu toti per orbem terrarum Ecclesiæ communi: "Virginea panegyris, frequens ac celebris hic conventus, festa hac luce linguam ad laudem provocat;" inquiebat S. Proclus, paulo ante concilium Constantinopoli concionem habens, . . . "Ecce enim et terra et mare Virginem honorant. . . . Sacra Deipara Maria in unum nos cogit." Liquet igitur substantiam cultus qui nunc viget a remotissima antiquitate derivatam. Non ideo autem Virgo præ Christo colitur, quod plurima templa ab ea nuncupentur, nam Deo omnia dicantur, ipsa nonnisi patrona invocata. Deo etiam vota fiunt, Virgine veluti teste adscita: Deo offeruntur sacrificia, quamvis ea occasione honoretur Mariæ dignitas, et celebrentur virtutes. Omnia demum cultus indicia ad Deum ultimo referuntur. Quod autem plurima sint in quibus Maria nominatur, contingit ex relatione quam habet ad mysterium incarnationis, quod hac ratione perpetuò obversatur fidelium mentibus.

(1) Orat. v. Tom. i. Auctarii Bibliothecæ Patrum Græco-Lat.

(2) Serm. v. pro Christ. Apologia contra Judæos, in Act. iv. Conc. Œcum. viii.

(3) Orat. iii. de S. imaginibus.

§. IV. De invocatione Deiparæ.

103. Illud inter cultus indicia meritò recensetur quod preces sanctorum expetantur. Hac in parte præsertim claret Ecclesiæ erga Beatissimam Virginem devotio, semper enim consueverunt preces ad eam fundi, ut ipsa pro nobis apud Deum intercedat. Piam hanc consuetudinem probare et tueri juvat.

PROPOSITIO.

Ea semper viguit consuetudo in Ecclesia Catholica ut Sanctissimæ Matris Dei preces apud Deum expeterentur.

Probatur I. Patrum testimoniis.

104. S. Irenæus comparat Mariam cum Eva : " Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus ; ita et hæc per angelicum sermonem evangelizata est ut portaret Deum ; obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est ut effugeret Deum ; sic hæc suasa est obedire Deo, uti virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, solvatur per Virginem : æqua lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam."[1] Maria igitur sua obedientia ita placuit Deo, ut fieret advocata Evæ, apud Deum pro culpæ quam Eva admisit venia agens. Ejus apud Deum gratia pro toto humano genere morti adstricto inde liquet.

105. S. Ephrem, Syrus, Mariam sic alloquitur : " Sub tuum præsidium confugimus, O Sancta Dei Genitrix : sub alis pietatis atque misericordiæ tuæ protege et custodi nos. Miserere nostri, qui sordibus peccatorum conspurcati sumus, qui sceleribus atque delictis quamplurimis Creatorem Deum nostrum et judicem universorum offendimus : ne adversus nos insolescat ac glorietur Satanas. . . . Non nobis est alia quam in te fiducia. Ex ulnis siquidem maternis tibi dediti sumus, Domina nostra, tuique clientes appellati."[2] Plurima alia passim in ejus scriptis continentur, quæ ostendunt preces ad eam fundi consuevisse a fidelibus universis quarto quo floruit sæculo, ex priorum sæculorum fide et traditione.

106. Basilius, Seleuciensis, eam sic compellat : " O Virgo sanctissima, ut quis honesta quæque ac gloriosa de te loquatur, haud quidem ille aberrabit a veritate, sed pro merito haud fecerit satis, nos de supernis intuens, esto propitia, ut modo quidem regas in pace ; in judicio autem, ac pro

(1) L. v. c. xix.
(2) Serm. de SS. Dei Genitricis laudibus.

tribunali illo, sine pudore ac fiducia plenos adducens, ejus nos stationis quæ a dextris est, participes facias."[1]

107. S. Germanus, patriarcha Constantinopolitanus, dicit Virginem Deiparam a Christo constitutam "peccatorum advocatam;" quam etiam his verbis invocat: "Memento servorum tuorum Christianorum. Cunctorum commenda preces, universorum statue spes, fidem confirma, Ecclesias ad unitatem coge. Imperium trophæis auge, exercitui auxiliare, mundum pace compone, cunctosque a periculis et tentationibus liberans, unicuique a damnationis reatu solutam præstari exora retributionis diem. Ad quem enim alium ibimus? Verba vitæ æternæ habes, tua nimirum ad Deum pro nobis commendationis vota. Tu enim es quæ feceris semper, nec umquam cesses facere nobiscum magnalia. Et sanctum est nomen tuum, quod ab angelis et hominibus, in omnes generationes generationum beatum prædicatur."[2]

108. His præclaris veterum testimoniis liceat melliflui doctoris Bernardi verba adjungere. Hortatur peccatorem ad Mariam confugere tamquam advocatam apud Jesum: "Advocatum habere vis, et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ."[3]

Probatur II. ex Liturgiis.

109. In omnibus liturgiis vetustissimis continetur Virginis Deiparæ specialis commemoratio, et ejus apud Deum gratia imploratur ut nobis prosit. In liturgia S. Basilii Coptica ipsa cum sanctis aliis commemorata, pergit sacerdos: "quorum precibus et supplicationibus miserere omnium nostrum."

Probatur III. conciliorum auctoritate.

110. Concilium Nicænum II. plurima habet de Mariæ Virginis et Sanctorum intercessione. Inter cætera legimus in Actione septima: "Cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratæ dominæ nostræ, et natura Dei Genitricis semper virginis Mariæ, atque sanctorum angelorum, et simul omnium sanctorum."[4]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

111. *Obj.* 1. In veteri Ecclesia Rosarium, Antiphonæ B. Mariæ Virginis,[5] et ipsa angelica salutatio, ea saltem parte qua Mariæ preces pro nobis

(1) Orat. in Annuntiat.
(2) Orat de dormit. Deiparæ Virginis.
(3) Serm. in Nativ. B. Virginis Mariæ.
(4) Act. vii. sub finem, apud Harduin. col. 444.
(5) Adnotant Oxonienses Antiphonas et preces ad Virginem decimo tertio sæculo

expetuntur, ignota erant. Nulla ad eam fundebatur oratio, nisi concionando, oratorum more apostrophe facta.

Resp. Varia devotionis exercitia ab ipsa substantia distinguenda sunt. Constat ex iis quæ laudavimus testimoniis insignes quosque patres non tantum compellasse Mariam concionando, sed et agnovisse ejus ope et precibus plurima conferri beneficia eam invocantibus. Ex liturgiis, quæ antiquitatis monumenta præclara sunt, liquet ejus intercessionem apud Deum a sacerdote ubique terrarum quæri consuevisse in ipsa mysteriorum celebratione, quæ profecto solemnior est invocatio alia quacumque, amplissimis licet verbis facta, extra sacrificium. Jam verba liturgiæ S. Gregorii Alexandrinæ recitavimus, quibus commemoratione facta "præcipue sanctissimæ gloriosissimæ, immaculatæ et benedictionibus cumulatæ, dominæ nostræ Deiparæ, et semper virginis Mariæ" cum aliis sanctis, adjicitur: "quorum precibus et intercessionibus miserere nostri et salva nos."[1]

112. *Obj.* 2. Quæ a veteribus indicata est intercessio Mariæ longe distat ab ea quæ apud Catholicos obtinet ejus invocatione: nam obiter tantum fiebat olim ejus mentio, ex persuasione eam apud Filium pro humano genere orare, quin tamen ad eam speciales porrigerentur preces, quas eam audire posse nemo suspicabatur. Jam vero ipsa invocatur, veluti largitura beneficia, vel Filio jussura matris auctoritate: "Jure matris impera Redemptori." Ita habet Prosa in Missali Parisiis anno 1634 edito.

Resp. Profectò consueverunt veteres ad Mariam preces speciales dirigere, ex certa persuasione eam benigne eas excepturam. "Adesto mihi nunc et semper, O Virgo Dei Genitrix, mater misericordiæ, benigna et clemens, in præsenti quidem vitæ cursu fervens protectrix atque auxiliatrix, hostiles quoscumque impetus a me avertens, et in via salutis me constituens; ac in extremo vitæ articulo miseram meam animam conservans." Ita precabatur Ephrem, qua invocatione nihil magnificentius apud recentiores facile invenias. Quod ex Prosa objicitur facilem et obvium fert sensum, quod materna apud Filium gratia utatur, juxta illud:

"Monstra te esse Matrem
Sumat per Te preces:
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus."

Cæterum Prosa illa in quodam Missali locum habuit, sed Ecclesiæ auctoritate sancita non est.

in Breviarium inductas, quibus tamen non valde repugnant, nam Anglice eas reddiderunt, veluti recitandas suis temporibus. Gavanto etiam assentiri videntur de antiquitate invocationis: "Sancta Maria, et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum. Vol. iii. No. 75.

(1) Vol. iii. Tract. de Eucharistia P. ii. c. ii. n. 70.

113. *Obj.* 3. S. Petrus Damiani Virginem alloquens ait: "Accedens enim ante illud aureum reconciliationis humanæ altare, non solum rogans, sed imperans; Domina, non ancilla."[1]

Resp. Iis verbis exaggerat sanctus doctor Virginis apud filium gratiam, præcedunt scilicet hæc verba: "Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim etc." Sensus obvius est, nec cavillationibus locus.

114. *Obj.* 4. Catholici jam omnia a Virgine petunt, vix aliquid a Deo, nisi ea deprecante: quo pacto fiducia longe major in ea reponitur, et cultus frequentior: quod a veterum consuetudine, et a sanæ rationis principiis longe abhorret.

Resp. In solemni sacrificii celebratione Deo porriguntur preces, Mariæ facta mentione simplici illa ratione quæ in Ecclesia a vetustissimis temporibus obtinuit. Quod sæpius vel rarius in privatis vel minus solemnibus pietatis exercitiis invocetur Maria, ex privata quorumdam devotione provenit. Cæterum quoties invocatur, Deus agnoscitur omnium bonorum largitor, nec enim ipsa donat, sed orando impetrat: quod si donare dicatur, vel verbis amplissimis efferatur ejus potestas, omnes norunt ejus privilegia a Deo derivari. Nihil rationi adversum in eo reperitur quod quis frequentissime eam precando adeat, ut ipsa qua pollet gratia apud Deum in rem nostram utatur: sic enim fit ut celsissima et sanctissima virgo supplex Deo exhibeatur. Quod si major fiducia vel tenerior affectus foveri erga Virginem videatur, ad relationem quæ inter eam nosque intercedit, utpote ex genere humano ortam, et ad officium patronæ quo fungitur, Mater pro filiis quos in Christo adoptavit deprecans, referendus est. Pulchre Bernardus: "Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus et votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam."[2]

ANIMADVERSIO.

115. Hæc de cultu Virginis fusius aliquanto, sed strictim si copia testimoniorum, et rei præstantia consideretur. Id quidem exploratum est, quo altior est de mysterio incarnationis sensus, eo teneriorem plerumque et ardentiorem erga Deiparam esse devotionem. Quo hæc fovetur diligentius, eo etiam felicius coluntur virtutes, humilis præsertim sui sensus, modestia, castitas, et inter ærumnas patientia. Qui juventutem, præsertim puellas,

(1) Serm. xliv. Mirum Oxonienses hæc aliaque adducere ut insinuent potentiæ Mariæ notionem apud scriptores plerosque obtinuisse diversam ab ea quæ hodiernis Catholicis Anglis arridet: sed concordiæ studiosos a cavillationibus abstinere decet, ubi scriptorum mens patet. Vol. iii. Tract No. 71.

(2) Serm. in Nat. B. Virg. Mariæ.

ovluerit a labe sæculi servare immunem, et omni informare genere virtutum, oportet ut Mariam proponat exemplar, et patronam, quam a tenerioribus annis venerari et invocare discant, eam pari studio imitari haud prætermittentes. Peccatoribus etiam in vitiorum barathrum demersis magno cum emendationis fructu Maria exhibetur advocata, quæ Filii deprecetur iram, eaque obtineat gratiæ subsidia, quibus infirmæ voluntati subveniatur. Quantæ proveniant ex cultu Virginis utilitates tum sibi tum aliis probavit suo exemplo et scriptis S. Alphonsus de Ligorio, quem novissime in album retulit Summus Pontifex feliciter regnans.

CAPUT V.

DE CULTU RELIQUIARUM.

116. Ex magna qua sanctos prosecuti sunt fideles veneratione, factum est, ut corporum reliquias, et alia qnæ aliquando sanctorum fuerant, speciali honore et cultu quodam afficerent. Piam hanc consuetudinem impugnavit quinto sæculo Vigilantius, vindicavit verò Hieronymus, tota plaudente Ecclesia, quæ hæreticum dogma damnavit. Novatores decimi sexti sæculi Vigilantii impietatem longe prætergressi sunt, magnis injuriis sancta corpora pluribus in locis afficientes. Tridentini patres ut majorum suorum fidem moresque tuerentur, præceperunt episcopis, ut fideles diligenter edocerent " sanctorum quoque martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur : ita ut affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi : vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandi sint, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia."[1]

PROPOSITIO.

Sanctorum reliquiis veneratio atque honor debetur.

Probatur I. ex Scripturis.

117. " Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulchro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, et stetit super pedes suos."[2] Ossium prophetæ contactu cadaveri restituta est vita, Deo ita testante famuli sui virtutem, eumque coram hominibus honorante. Licet igitur honorare corpora sanctorum.

118. " Ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus et

(1) Sess. xxv. Decr. de invoc. Ven. et Rel.
(2) IV. Reg. xiii. 21.

videns eam, dixit: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora."[1] Mulieri illi persuasum est tactum vestimenti Jesu illi fore occasionem sanitatis recuperandæ: quod et eventu comprobatum est:[2] vestimentum autem nihil habere poterat virtutis, nisi ob relationem ad Jesum: rebus igitur virtus quædam aliquando communicatur, ob hujusmodi relationem.[3]

119. "Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes."[4] Umbra Petri occasio erat illis liberationis a spiritibus immundis et a quibuslibet infirmitatibus: umbra autem nihil est, nulliusque virtutis, sed lucis est defectus ex corpore soli objecto. Tota illa virtus orta est ex umbræ ad Petrum relatione; unde patet Deum patrasse insignia prodigia vi illius relationis.

120. De Paulo refertur: "virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur."[5] Hæc linteola ob corporis Pauli contactum virtutem

(1) Matt. ix. 20.

(2) In rem hanc gestam adnotant Oxonienses: "If a poor woman, ignorant and superstitious, as might be supposed, was received by our LORD by so instant a blessing for touching the border of his clothes, may it not have been the case that in times, which are now considered dark and lost to Gospel truth, there might have been many such? That there might have been many a helpless person, who knelt to a crucifix in a village church-yard, who might have done so under a more true sense of that faith which is unto life, than those who are able to express the most enlightened knowledge. And therefore, though such as would be now considered in a state of darkness, had more fully arrived at those treasures of wisdom which are in CHRIST." Vol. iv. Tract. 80. p. 18. London edition.

(3) Furnesius, dum profitetur Evangelistarum sinceritatem et bonam fidem se vindicare, non veretur Marcum et Lucam arguere erroris, ne dicam mendacii aperti: "But, and here is the point to which I wish to direct the attention of the reader, he does not appear to have been understood by at least two of the narrators. For Mark says that Jesus discovered that some one had touched him, by the departure of a healing virtue from his person. And Luke represents Jesus as declaring in so many words that he had felt a miraculous virtue go out of him. That he really made any such declaration, his assurance to the woman that her faith made her whole, forbids me to believe." En præclarum Evangeliorum vindicem! *Jesus and his Biographers*, ch. iii. Cuique patet fidem mulieris fuisse dispositionem ad curationem impetrandam, vestimenti contactum esse occasionem seu instrumentum, Jesum ipsum fuisse causam, seu largitorem beneficii.

(4) Act. v. 14.

(5) Act. xix. 11.

miram habebant, Deo per ea magna tribuente beneficia. Liquet igitur corpora sanctorum, et quæ ea contingunt, Deo donante magnam aliquando habuisse virtutem.

Probatur II. ex Traditione.

121. De lignea sede S. Jacobi Apostoli refertur ab Eusebio : " Servatur cum ingenti studio, velut a majoribus tradita memoria sanctitatis, et cum magna veneratione habetur."[1]

122. Ecclesia Smyrnensis, in epistola jam laudata, de Polycarpi reliquiis dicit: "Nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis chariora, et quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco, nobis, si fieri poterit, convenientibus[2] concedet Deus natalem illius martyrii diem cum gaudio celebrare."

123. Acta S. Ignatii genuina post relatam corporis ejus a feris absumptionem, hæc habent: " Solæ duriores sanctarum ejus reliquiarum partes relictæ sunt, quæ Antiochiam delatæ sunt, thesaurus sane inæstimabilis ob martyris gratiam Ecclesiæ relictus."

124. S. Hieronymus ait : " Martyrum ubique sepulchra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat etiam ore contingimus."[2] Sic autem pungit Vigilantium : " Dolet martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel panno, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur. Sacrilegus fuit Constantinus imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, et Timothei transtulit Constantinopolim : apud quas dæmones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur ? Sacrilegus dicendus est nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam ? Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam, et cineres dissolutos in serico et vase aureo deportaverunt ? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta lætitia, quasi præsentem, viventemque prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, et in Christi laudes una voce resonarent ?"[3]

125. S. Ambrosius : " Quod si dicas mihi : Quid honoras in carne jam resoluta atque consumpta ? Honoro in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices : honoro viventis memoriam perennitate virtutis : honoro per confessionem Domini sacratos cineres : honoro in cineribus semina æternitatis : honoro corpus quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles quod reverentur et dæmones ? quod et afflix-

(1) Euseb. l. vii, hist. Eccl. c. xiv.
(2) Ep. xvii. ad Marcellam.
(3) Lib. contra Vigilantium.

erunt in supplicio, sed glorificant in sepulcho? Honoro itaque corpus quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo."[1]

126. S. Augustinus, de reliquiis S. Stephani protomartyris suo tempore repertis et in Africam deportatis, ait: "Exiguus pulvis tantum populum congregavit. Cinis latet, beneficia patent. Cogitate, charissimi, quæ nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta præstat de pulvere mortuorum."[2] Et alias: "Portant sane reliquias beatissimi et gloriosissimi martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas Vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis."[3]

Probatur III. ex miraculis.

127. Plurima et insignia miracula per reliquias sanctorum patrata referunt probatissimi scriptores Augustinus, Orosius, et publicam plerumque appellant fidem. Equidem toto Oriente et in Africa palam patrata miracula per Stephani reliquias hi testantur. Insuper conservantur adhuc corpora integra plurium inter quæ illud B. Claræ de Monte Falcone sat est adnotasse, quod scilicet a sexcentis annis incorruptum hodie conspicitur. Neapoli servatur sanguis S. Januarii M. qui coram capite positus in festis, precibus simul a populo fusis, solet liquescere ac fervere. Accuratissimi rerum judices rem penitius inspicientes sæpissime fassi sunt nonnisi prodigio id contingere.

128. Accedunt rationes theologicæ, quæ et in natura humana fundamentum habent. Ita sumus natura comparati, ut magni faciamus quæ eorum erant qui nobis erant sanguine vel amicitia juncti. Ideo æstimantur minimæ quæque res a majoribus transmissæ. Æquum igitur est et rationi consonum ut sanctorum corpora veneremur, quum hi, utpote Dei famuli, sint nobis carissimi. Corpora illa erant etiam Spiritus Sancti templa, et organa, virtutum instrumenta, gloriosis persæpe pro Christo facinoribus vel ærumnis illustria; et in resurrectione futura sunt gloriæ cælestis consortia. Sunt igitur honore digna.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

129. *Obj.* 1. Christus exprobravit Judæis studium quod ponebant in prophetarum monumentis extruendis, et ornandis: "Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra."[4]

Resp. Non id Judæis exprobravit Christus, quod monumenta prophe-

(1) Serm. xciii. de SS. Nazar. et Celso in fine.
(2) Serm. cccxvii. alias xcii. de diversis.
(3) Ep. ccxii. alias ciii. ad Quintilian.
(4) Luc. xi. 47.

tarum ædificarent, sed quod majorum suorum, qui eos occiderunt, insisterent vestigiis, dum viderentur eorum deflere et expiare scelera. Optime Ambrosius: "Propheticorum ædificatione tumulorum sceleris eos qui occiderunt arguebant, et similium æmulatione factorum, se quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes: non igitur ædificatio sed æmulatio loco criminis æstimatur."[1]

130. *Obj.* 2. Deus ipse abscondit Moysis corpus, ne superstitioni daretur locus: "sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor: et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem."[2]

Resp. Iis in rerum adjunctis periculum erat ne Moysis corpus divino cultu afficeretur, quum miraculorum quæ patraverat memoria adeo foret celebris, et gentes vicinæ idola passim colerent. Cæterum quo consilio Deus illud abscondendum curaverit, Scriptura non dicit.

131. *Obj.* 3. Apostolus damnat omnem cultum suo ingenio excogitatum: "quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione—ἐθελοθρησκία—et humilitate."[3]

Resp. Judæos, vel Simonianos, vel alios proprii ingenii figmentis inhærentes, sapientiæ et humilitatis prætextu, Christo capite et doctore rejecto, arguit Apostolus, uti supra ostendimus. Reliquiarum autem cultus non est humani ingenii figmentum, sed divinitus commendatur miraculis quæ in Scripturis referuntur patrata, tum ossium Elisæi contactu, tum linteolis quæ Pauli contigerant corpus.

132. *Obj.* 4. Concilium Eliberitanum decrevit: "Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi: inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione."[4]

Resp. Ex canonibus illius concilii, qui plerique respiciunt idololatriam, vel mores ea labe non immunes, satis patet consuetudinem illam ideo reprobari quia ex superstitione ethnicæ affini prodibat. Quæ fuerit mens eorum qui cereos incendebant non adeo certò dici potest. Cæterum meritò vetant Ecclesiæ præsules quidquid fit ex superstitione, vel secum affert superstitionis discrimen. Hieronymi ætate, qui sæculo integro posterior est concilio illo, consuetudo cereos accendendi juxta martyrum sepulchra non obtinuerat, quamvis a quibusdam cœperit induci, de quibus dicit: "quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem."[5] De peculiari illo more jam non agitur, sed de honore et cultu quocumque, cujus documenta plurima omni sæculo reperiuntur. Quod autem comparatio a quibusdam instituta sit inter hunc ritum, et ethnico-

(1) In c. xi. Luc.
(2) Deut. xxxiv. 6.
(3) Col. ii. 23.
(4) Can. xxxiv.
(5) L. contra Vigilantium.

rum quendam morem, nihil refert, quum et ritus et finis diversi sint. Dicere licet cum Hieronymo: "Illud fiebat idolis et idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est."[1]

133. *Obj.* 5. Optatus Milevitanus refert Lucillam matronam Carthaginensem a Cæciliano archidiacono objurgatam eo quod martyris ossa oscularetur.

Resp. Eam reprehendit Optatus, quod ita ageret, antequam publica Ecclesiæ auctoritate constaret de martyrio. Originem schismatis Donatistarum eo loci enarrat: "Hoc apud Carthaginem post ordinationem Cæciliani factum esse, nemo est qui nesciat: per Lucillam scilicet, nescio quam fæminam factiosam, quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correptionem archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritalem cibum et potum, os nescio cujus martyris, *si tamen martyris*, libare dicebatur, et cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, et si martyris, *sed necdum vindicati*, correpta, cum confusione, irata discessit."[2] Vindicari martyr censebatur, quando præsulis auctoritate, prævio examine, agnoscebatur.

134. *Obj.* 6. Incertæ sunt reliquiæ, imo plurimæ plane supposititicæ, nam adeo multiplicatæ sunt particulæ crucis, ut molis immensæ fuerit necesse sit, et caput alicujus sancti et corpus pluribus in locis exhibeatur. Innumeris fraudibus, mendaciis, et superstitionibus locus fit reliquiarum colendarum prætextu.

Resp. Non id nobis probandum suscepimus, reliquias omnes quæ exhibentur esse genuinas, et idcirco colendas, sed eas quæ genuinæ sunt cultu quodam esse dignas. Cæterum non temere pronuntiandum omnes esse supposititicias quæ prima fronte difficultatem faciunt, nam ex magna qua prosecuti sunt veteres veneratione quæcumque fuerant Christi Domini vel sanctorum, est gravis ratio existimandi pleraque magno studio servata, et a cæteris non adeo sacris discreta. Minutissimæ quæ distribuuntur crucis particulæ non tantam molem collectæ constituerent. Pars quædam capitis vel corporis fuit nonnullis occasio dicendi se caput vel corpus habere, quo pacto contigit ut pluribus in locis haberi dicerentur. Cæterum quidquid sit de erroribus vel abusibus qui irrepere possent, quibus omni studio est obviam eundum, non ideo ipsa reliquiarum veneratio rejicienda est.[3]

(1) L. contra Vigilantium.

(2) De Schismate Donatistarum l. i. n. 16.

(3) Oxonienses in rem nostram dicunt: "The Romanists complain of their opponents, that instead of referring to the authoritative documents of their Church, Protestants avail themselves of any errors or excesses of individuals in it, as if the Church were responsible for acts and opinions which it does not enjoin. Thus the legends of relics, superstitions about images, the cruelty of particular prelates or kings, or the accidental fury of a populace, are unfairly imputed to the Church itself." Tract 71, vol. iii.

CAPUT VI.

DE CULTU IMAGINUM.

135. Sæculo octavo vehemens exarsit disputatio de imaginum sacrarum usu et cultu, imperatore Leone Isaurico bellum iis inferente. Eas S. Germanus, Constantinopolitanus patriarcha, et S. Joannes Damascenus egregie vindicarunt: sed et concilium Nicænum II. anno 781 solemni decreto probavit. Galli ea ætate sacras habebant imagines in Ecclesiis, easque reverentia quadam prosequebantur, quamvis non iisdem cultus indiciis, quæ apud Orientales moribus recepta erant, hi scilicet thus iis adolebant, et coram prosternebantur. Petrobrusiani, Henriciani, Waldenses, Albigenses, Wickleffitæ, Hussitæ imaginum hostes habentur, quos secuti sunt sæculi decimi sexti novatores, *Iconomachorum* et *Iconoclastarum* facinora prætergressi, bello imaginibus, quas impio furore frangebant, indicto.

136. Concilium Tridentinum docet "imagines . . . Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. . . . . Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit."[1] Ab hac veneratione iis terminis concepta non admodum adhorrent Oxonienses;[2] qui simul mores regionum Catholicarum ultra progredi queruntur, quos tamen intra eos limites sisti norunt æqui judices.

137. Nicænorum patrum hac de re decretum recitare etiam juvat: "Sequentes divinitus inspiratum sanctorum patrum nostrorum magisterium,

(1) Sess. xxv. decr. de invoc. ven. et. reliq. Sanctorum.

(2) "The Tridentine Decree declares that it is good and useful suppliantly to invoke the Saints, and that the Images of Christ, and the Blessed Virgin, and the other Saints should 'receive due honor and veneration;' words, which themselves go to the very verge of what could be received by the cautious Christian, though possibly admitting of an honest interpretation." Tract No. 71.

et Catholicæ traditionem Ecclesiæ, (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat,) definimus in omni certitudine et diligentia, sicuti figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles et sanctas imagines proponendas, tam quæ ex coloribus et tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis, tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque angelorum, et omnium sanctorum simul et almorum vivorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui eas contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam divinam decet, impertiendam."[1]

138. Adnotandum duximus cum Petavio imaginum sacrum usum ad disciplinam pertinere, totumque ex Ecclesiæ auctoritate pendere,[2] sunt enim supellex templorum et ornatui simul et instructioni inserviunt. Dogma autem fidei est Ecclesiam labem idololatriæ non admittere iis utentem, vel eis debitum dantem honorem, quem cultum appellamus, latiori, quem fert vocabulum hoc, sensu.

PROPOSITIO.

Imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum retinendæ sunt in templis præsertim, eisque honor et veneratio impertienda.

Probatur I. ex consuetudine antiquissima Ecclesiæ.

139. Quo tempore Leo Isauricus imagines sacras tollendas jussit, earum usus et veneratio ubique obtinuerant ex antiquissima traditione, tota probante Ecclesia. Illius usus origo haud innotuit, sed ad primordia religionis christianæ referebatur, insignibus præsulibus veterem morem contra imperatoris impetus vindicantibus. De Orientalium moribus et fide dubitari nequit, quum ea occasione claruerint. Jam ætate Basilii, sæculo scilicet quarto, idem imaginum sacrarum viguit cultus: "Characteres imaginum illorum (sanctorum) honoro et palam adoro. Hoc enim nobis traditum a sanctis Apostolis non est prohibendum: sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum historias erigimus." *Ὅθεν καὶ τοὺς χαρακτῆρας τῶν εἰκόνων αὐτῶν τιμῶ καὶ προσκυνέω κατ' ἐξαίρετον τούτων παραδεδομένων ἐκ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ οὐκ ἀπηγορευμένων, ἀλλ' ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις ἡμῶν τούτων ἀνιστορουμένων.*[3]

140. Occidentalium disciplina et fides sæculo sexto exeunte ex S. Gregorii M. epistolis colligitur. Ad Secundinum scripsit: "Scio quod imaginem Servatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob

(1) Act. vii. col. 455. t. iv. coll. Hard.
(2) De Incarn. l. xv. c. xiii. §. 1.
(3) Ep. cccix. de imagin. ad Julian. apost.

recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur."[1] Indicia hæc sunt cultus relativi qualem præstat adhuc Ecclesia sacris imaginibus.

141. De more pingendi sanctorum imagines in basilicarum parietibus habemus plurima testimonia. S. Gregorius Nyssenus, de S. Theodoro martyre disserens, refert ejus certamina in parietibus depicta; S. Paulinus Nolanus de S. Felici martyre concionans dicit sacras imagines in basilicis extare. In fornice cubiculi, in quo sacra mysteria Romæ celebrabantur in cœmeterio Prætextati, imaginem Salvatoris adhuc videre est; sicut et in cœmeteriis Callixti, S. Agnetis, Priscillæ, ac SS. Petri et Marcelli in via Lavicana, referente Boldetti apud Perrone. De iis etiam loquuntur Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus et alii plures: Eusebius testatur se vidisse Apostolorum Petri et Pauli, Christique ipsius pictas imagines servatas in tabulis,[2] et statuam Cæsareæ Philippi, in Christi honorem erectam a muliere quam sanavit. Huc refertur mos cælaturis et sculpturis plurimis res gestas Christi Domini vel documenta evangelica exprimendi. Claret pastoris exemplum ovem deferentis, qui in calice consuevit Tertulliani tempore exhiberi: "Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis."[3] Ex his omnibus liquet perpetuum fuisse morem ab Apostolica ætate derivatum picturis symbolisque res sacras exhibendi, et imagines fuisse in sacris ædibus depictas ætate vald eremota, easque honorifice habitas, adeo ut iis tribuerentur cultus indicia, qui tamen ad prototypa referretur.

142. Equidem ratio ipsa dictat licere oculis exhibere res vel personas sacras pingendi arte, ut alios edoceamus,[4] vel sanctas injiciamus cogitationes, et excitemus affectus. Suadet etiam honore quodam et cultu imagines illas afficiendas pro relatione quam habent ad Christum vel sanctos: ita enim sumus natura comparati ut affectum quo prosequimur alios, honorantes eorum imagines ostendamus. Sic imago Washingtoni loco conspicuo et honorifico exhibetur; cui injuria illata in ipsius patris patriæ contemptum cedere censetur; adeo ut pœna lege statuta sit in Septentrionalis Carolinæ Statu, anno 1821, in eos qui eam inferrent.[5]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

143. *Obj.* 1. Cultus quicumque imaginum adversatur divino præcepto: "Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo

(1) Ep. ad Secundinum. L. ix. ep. lii.
(2) Hist. Eccl. l. vii. c. xviii.
(3) L. de pudicitia c. x.
(4) S. Gregor. M. ep. cix.
(5) Taylor's Revisal p. 18.

desuper, et quæ in terra deorsum : Non adorabis ea, neque coles."[1] Hinc Pontificii secundum hoc decalogi præceptum consueverunt omittere, et ultimum in duo scindere, ut numero impleto fraudem celent.

Resp. Adoratio eo præcepto vetita ea est quæ Deo dari solet, quam nefas est ad imagines seu sculptilia transferre : " Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis."[2] " Recte de illis observat Joannes Clericus," inquit Walchius, " heic Deum damnare mores et idololatriam Ægyptiorum inter quos vixerant Israelitæ. Apud Ægyptios enim sidera et aves, *quæ sunt supra in cœlis ;* simulacra hominum et brutorum *quæ infra in terris ;* pisces denique, *qui sunt in aqua terris subjecta*, colebantur."[3] Quod in brevioribus quibusdam catechismis verba objecta omittantur, nullo fraudis consilio contingit, sed ut pueris consulatur, præceptorum substantia tantum memoriæ commendanda. Quum igitur priora verba : " Non habebis deos alienos coram me ;" totam præcepti vim contineant, quæ adjiciuntur veluti, explicandi causa, absque ullo sensus detrimento possunt omitti. Placuit Protestantibus plerisque novum inde cudere præceptum ; sed Lutherani nobis assentiuntur distinctionem apud veteres magis receptam sequentibus, quæ aptior est : " Quum reformati," animadvertit iterum Walchius, " pro sua divisione acriter pugnent, et quam nos sequimur, ut falsam atque erroneam rejiciunt, merito illis contradicimus, et gravissimis argumentis, nostram dividendi rationem præferendam esse, monstramus. Primum id patet ex indole ipsius rei, quæ in præceptis controversis præscribitur. In primo et quod reformati constituunt, secundo occurrit res eadem. Quod enim in primo prohibetur quoad genus ; illud quoque in secundo prohibetur et determinatur quoad speciem. At vero in præceptis nono et decimo, quæ reformati veluti unum conjungunt, objectum est diversum ac spectat ad diversitatem pravæ cupiditatis. Id quod argumentum eo nomine firmum est et grave, quoniam ex objectorum diversitate dependet diversitas præceptorum. Ad hæc nostra divisio præsidium suum habet in accentuatione, quod pluribus theologi nostri docuerunt."[4] Hæc Lutheranus theologus. Id liceat adjicere verba decalogi non eadem serie in Deuteronomio,[5] et Exodo referri, unde patet sensum præcipue respici, qui accurate et sincere in brevissima quaque Catholicorum formula habetur. Cæterum ipsissima verba eo quo referuntur utroque loco ordine in Bibliis Catholicis reperiuntur ; et in catechismo Romano, prout in Exodo sunt, recitantur, sicut et in plerisque catechismis prolixioribus, præsertim qui adultorum usui destinantur, adeo ut putida sit calumnia præceptum secundum omitti.

(1) Exod. xx. 4.
(2) Ibidem 23.
(3) Introd. ad lib. symbol. l. i. c. vi. §. xl. p. 656.
(4) Ibidem.
(5) Deut. v.

143. *Obj.* 2. In Deo colendo imagines adhibere vetitum est, uti patet ex constanti usu Judæorum, qui optimus est legis interpres.

Resp. Deo ipso jubente Cherubim facta sunt, quæ arcam suis alis obtegebant;[1] et serpens æneus in deserto erectus est, ut quos serpens momorderat in eum aspicientes, fiducia utique in Deum ea occasione concepta, sanarentur.[2] Salomon quoque "omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, et torno: et fecit in eis Cherubim, et palmas, et picturas varias."[3] Fatemur cultum nullum imaginibus eo tempore præstitum, sed earum usum in Deo colendo vetitum non esse liquet. Præterea arca quodammodo colebatur, nam prosternebant se homines coram ea, Deum utique, cujus sedes veluti habebatur, adorantes, eamque "in jubilo et in clamore buccinæ"[4] deferebant, quæ lætitiæ et venerationis indicia dabantur ob relationem ejus ad Deum. Pari ratione licet venerari imagines quæ Deum et salutis mysteria nobis in memoriam revocant.

144. *Obj.* 3. Concilium Eliberitanum decrevit: "Placuit picturas esse in Ecclesia non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur."[5]

Resp. Ex canonum illius concilii serie liquet idololatriæ periculum adfuisse, quod in numine depingendo recens conversis ab idolorum cultu facile contingere poterat. Jam adnotavimus picturarum usum ad disciplinam spectare, qui proinde posset ab Ecclesia prohiberi, si periculum inde immineret.

145. *Obj.* 4. S. Irenæus Carpocratis hæreses recensens eum de imaginis Christi cultu damnat.

Resp. De eo queritur cultu quo Christi imago cum philosophorum ethnicorum imaginibus pariter afficiebatur. "Etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato illo in tempore quo fuit Jesus cum hominibus, et has coronant et proponunt eas cum imaginibus mundi philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, et Platonis, et Aristotelis, et reliquorum, et reliquam observationem circa eas similiter ut gentes faciunt."[6]

146. *Obj.* 5. Tertullianus statuarum et imaginum artifices a diabolo sæculos illatos dicit, addens: "idolum tam fieri quam coli prohibet Deus."[7] Dei venia et auctoritate opus esse docet, ut quis simulacra faciat: "Bene quod idem Deus qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordinario præcep-

(1) Exod. xxv. 18.
(2) Num. xxi. 8.
(3) III. Reg. vi. 29.
(4) II. Reg. vi. 15.
(5) Can. xxxvi.
(6) L. i. adv. hær. c. xxiv.
(7) L. de Idol. c. iv.

to serpentis similitudinem indixit. Si eundem Deum observas, habes legem ejus, Ne feceris similitudinem. Si et præceptum factæ postea similitudinis respicis, et tu imitare Moysen, ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi et Deus jusserit."[1] Si viguisset mos sacras imagines colendi, non ita scripsisset.

Resp. Eos arguit Tertullianus, qui falso sibi persuadebant licere idola sculpere, quæ ethnici colerent, quibus meritò dicit Deum prohibere ea fieri, præcepto enim quo alieni dii vetantur colendi, vetatur quidquid eorum cultui inservit et destinatur. Nil eis prodesse dicit Moysis exemplum, qui, Deo jubente, serpentem æneum fecit, nam hujusmodi jussionem ut idola facerent allegare non poterant. Hæc dicere licuit, licet quidam imaginum honor apud christianos vigeret, quia ex mysterio salutis auctoritas illud oculis exhibendi pictura inferri poterat. Cæterum libenter damus simulacra seu statuas Christi vel sanctorum non fuisse in primordiis rei christianæ usurpata, quum oporteret fidelium recens ab idolorum cultu conversorum saluti consulere, omni lapsus occasione procul habita. Fiebant tamen cælaturæ in calicibus, et symbola quædam et imagines. Progrediente verò tempore, sublato idololatriæ periculo, et aucto splendore cultus, tabulæ majores depictæ in Ecclesiis suspensæ sunt, et statuæ etiam erectæ.

147. *Obj.* 6. S. Epiphanius narrat se dilacerasse velum in quo imago depicta erat: "Cum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra authoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud."[2]

Resp. De integritate epistolæ in qua id narratur movetur lis, et de re ipsa gesta. Cæterum ne in incertis moremur, testes appellamus Basilium, et Gregorium Nyssenum de tabulis sacris in Ecclesiis quarto sæculo jam appensis. Hominis imago quam dilaceravit Epiphanius "quasi Christi, vel sancti cujusdam," videtur fuisse profani alicujus, quem utique non decebat ad valvas Ecclesiæ exhiberi. Æquum non est singularem illam rem gestam, cujus adjuncta ignorantur, contra consuetudinem publicam et probatam totius Ecclesiæ urgere.

148. *Obj.* 7. Hieronymus ait: "Sive statuam, sive imaginem auream voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo judices et principes sæculi, qui imperatorum statuas adorant et imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo."[3]

Resp. De statua Nabuchodonosoris eo loci agit Hieronymus, monetque judices et principes sæculi ne imperatoribus ut gratificentur nimio honore eorum statuas et imagines prosequantur. Adeo moribus receptus erat honor ille, ut Theodosius lege vetuerit ne suæ statuæ indebiti honores red-

(1) L. de Idol. c. iv.
(2) Ep. ad Joan. Hierosolymit.
(3) Comm. in c. iii. Danielis.

derentur. De sanctorum imaginibus Hieronymus nil hic dicit; aliàs autem testatur in vasculis Apostolorum imagines adumbrari solere, quod licet ad ornatum potius quam ad cultum factum videatur, gravem præbet rationem conjiciendi eorum imagines Christianis fuisse familiares, et magno in pretio habitas: "Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo Saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrare."[1]

149. *Obj.* 8. Augustinus cavendum jubet a picturarum cultu: "Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulchrorum vel picturarum adoratores."[2]

Resp. De his queritur Augustinus, quod "luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni."[3] Usum legitimum picturarum certe non damnavit, nam de Stephani martyrio concionans dixit: "Dulcissima pictura est hæc, ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem.[4]" Liquet igitur in Ecclesia picturam illam fuisse appensam.

150. *Obj.* 9. Quum Massilienses colentes imagines Serenus episcopus detexisset, has fregit indignabundus: quapropter a Gregorio M. reprehensus est, quod eas frangens spernere videretur, sed laudatus quod cultum abstulisset: "Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus, fregisse verò reprehendimus. . . . Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum."[5]

Resp. S. Gregorius mansuete reprehendit episcopum illum, cujus studium in imaginum adoratione tollenda nimis exarsit. Utilitatem ex earum usu derivandam præ oculis ponit, de reverentia iis propterea exhibenda silens: quam tamen ipsi probari ex epistola ejus ad Secundinum, quam jam laudavimus, liquet. Equidem non omnis honor cultusve denegatus censendus est, quod adoratio rejecta sit.

151. *Obj.* 10. Concilium Constantinopolitanum, Leonis Isaurici temporibus, et alterum sub Copronymo anno 754 imaginum cultum damnarunt. Concilium Francofordiense rejecit reprobavitque concilii Nicæni decreta, quibus cultus ille sanciebatur. Constat Gallos et plerosque Occidentales imaginum cultum respuisse, iis tantum instructionis causa retentis.

(1) Comm. in c. iv. Jonæ.
(2) L. i. de moribus Eccl. Cath. c. xxxiv.
(3) Ibidem.
(4) Serm. cccxvi. alias xciv. de diversis.
(5) L. ix. ep. ix. ad Serenum Massil.

Resp. Imperatorum imagines impugnantium potentia duo illa concilia Constantinopolitana coacta sunt, fidei athletis ex adverso invicte pro earum cultu pugnantibus. Iis favit Pontifex Romanus, avitam fidem moresque contra novitias omnes opiniones semper vindicans; tandemque accesserunt Theodora imperatrix et filius ejus Michael Augustus, quorum opera extinctum est incendium, anno 842. Antea et deinceps claruit apud Græcos aliosque Orientales imaginum cultus, qui et solemnioribus honoris indiciis exhiberi consuevit. Ab his moribus alieni erant Galli, qui imagines reverenter habebant, nec tamen adeo solemniter colebant: quapropter minus æque de decretis Nicænis censuerunt, interpretatione infelici in eam sententiam adducti, patres Græcos latriæ cultum imaginibus detulisse. Cæterum errore hoc sublato, totius Orientis et Occidentis in rarum veneratione concordia claruit.

152. *Obj.* 11. Ipse a vulgo Catholicorum præstatur imaginibus cultus qui ab ethnicis olim idolis, doctis ingeniose magis quam vere discrimen statuentibus; nam plerique prosternunt se coram, iis thus adolent, easque venerabundi osculantur, fiduciam in iis, quas aliquando collo appensas deferunt, ponunt: aliam præ alia colunt, eas alloquuntur, easque sæpe locutas esse referunt; et beneficia ab iis petunt. Majora utique cultus indicia apud ethnicos reperire non est, quorum plerosque saltem ad eos quorum imagines erant mentem elevasse indubium est; nec enim adeo hebetes fuerunt, ut lignum vel lapidem videre et audire censerent.

Resp. Optime norunt quotquot sunt catholici nominis professores imagines nihil habere virtutis, nisi Deo donante, et sanctorum precibus. Qui coram cruce procumbunt, crucifixum adorant: qui coram Virginis Deiparæ imagine precantur, ipsam alloquuntur Virginem. Quod imagini osculum figatur, vel alia dentur amoris vel honoris indicia, contingit ex intima quam habet ad exemplar relatione. Sic fit ut eas alloquamur, Christum, Deiparam vel sanctos vere alloquentes, quos præsentes nobis exhibent. Quod aliquando voces ex imaginibus emissæ referantur, factum censetur miraculo, quod tamen pendet ex scriptorum fide. Fiducia quæ imagines deferendo fovetur, ex studio quo memoriam colimus sanctorum, et invocamus preces, oritur, nam imaginis delatio excitat memoriam, et sanctas sæpe injicit cogitationes. Quod alia præ alia colatur imago, contingit plerumque pluribus ejus occasione impetratis beneficiis, cujus discriminis ratio nulla dari potest, præter Dei voluntatem, qui dona sua summo distribuit arbitrio, et nonnullis in locis majori largitate. Omnia cultus indicia pendent ex animi proposito, et solemni Ecclesiæ doctrina, ideoque ex externa quadam similitudine non posset jure inferri, cultum eundem a nobis præstari, ac quem olim idolis suis præstiterunt ethnici. Equidem hic vitiosus erat, tum quia fictos falsosque deos imagines exhibebant, tum quia ipsis imaginibus dii insidere credebantur; vel saltem divina quædam virtus inesse, ob quam fiducia in iis poneretur. De Judæis in idololatriam lapsis

questus est Deus per Jeremiam : " Dicentes ligno : Pater meus es tu : et lapidi : Tu me genuisti. . . . Ubi sunt dii tui quos fecisti tibi ? surgant et liberent te in tempore afflictionis tuæ."[1] Arnobius, sub finem tertii sæculi ad fidem conversus priorem plorat cæcitatem : " Venerabar, O cæcitas ! nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos, et ex malleis fabricatos . . . . tamquam inesset vis præsens, adulabar, et beneficia poscebam, nihil sentiente trunco ; et eos ipsos divos quos esse mihi persuaseram afficiebam contumeliis gravibus cum eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in ejusmodi rerum habitare materia."[2]

153. *Obj.* 12. Quæ afferuntur documenta non probant picturarum sacrarum cultum per priora Ecclesiæ sæcula ullatenus viguisse, imo nec usum, saltem frequentem. Ad rerum memoriam depictæ videntur nonnumquam quarto tandem sæculo, deinceps in Ecclesiis appendi cœperunt, nec nisi sexto sæculo exeunte ex vulgi superstitione, quam reprobarunt episcopi, honorari.

Resp. In Romanis catacumbis plurimæ repertæ sunt imagines minores quas ad sæculum secundum æræ christianæ periti antiquitatum referunt. " Imago Christi sub figura boni pastoris, vel pascentis vel succollantis ovem in vitris, in lucernis, in sarcophagis, in parietibus, in gemmis, in calicibus passim reperitur."[3] Habentur etiam vetustissima symbola B. Virginis, angelorum, et sanctorum : adeo ut pro re explorata habendum sit, christianos ab ipsis rei christianæ exordiis consuevisse symbolis et sacris imaginibus uti : nec enim refert utrum minoris vel majoris molis fuerint. A sæculo III. superest " vitrum repertum in cœmeterio Callixti sanguine adhuc adspersum, in quo exhibetur B. Virgo in throno sedens elevato, ac super genibus tenens infantulum Jesum. Infantulo Jesu adstat diaconus cum flabello. Porro tum infantis Jesu, tum B. Virginis caput nimbo, seu aureola circumdatum est."[4] Erectis Ecclesiis, quum jam liceret cultum solemniter peragere, tabulæ sacræ parietibus appendebantur, et debita veneratione affectæ. Porro honorem iis ab initio datum esse ex aureolis quibus ornantur licet inferre. Basilius, quem laudavimus, se honorare et venerari imagines sacras testatus est, et morem ab Apostolis derivatum esse docuit. Toto Oriente viguit, donec sæculo octavo imperator eum evellere conatus sit. Viguit etiam per Occidentem, quamvis haud adeo solemni ritu. Testem jam appellavimus ipsum Gregorium Magnum.

154. *Obj* 13. Quod retineantur sacræ imagines et reverenter habeantur, nemo forsan repugnaret, nisi occasio inde orta fuisset eas colendi ritibus qui ethnicam sapiunt superstitionem, deferuntur quippe per vicos in regionibus Catholicis, turba in genua se prosternente, ornantur floribus vel indumentis pretiosis, adoletur iis thus, et alii plurimi deferuntur honores.

(1) Jer. II. 27.
(2) L. i. contra Gentes.
(3) Perrone Tract. de cultu Sanctorum c. v. n. 119.
(4) Perrone Ibidem n. 123. not. c.

Resp. Ecclesia satis habet ut agnoscamus sacras imagines honorandas esse propter prototypa, quin cogat probare mores diversarum regionum, quibus honor ille præstatur. Cæterum omnia illa honoris indicia per se innocua sunt, et eo animo dantur ut sanctorum veneratio significetur, et eorum imploretur opes. Viatores plerumque fallumtur, dum populorum mores suis præjudiciis æstimant. Nihil ethnicum in illis honoris significationibus reperitur, quum prodeant ex altiori sensu relationis quam habent sancti ad Deum.

CAPUT VII.

DE VENERATIONE CRUCIS.

155. Quum sacras reliquias venerandas esse probaverimus, liquet crucem, in qua passus est Christus, esse veneratione maxime dignam, habet enim specialem ad eum relationem. Crux autem quælibet in Christi crucifixi memoriam facta, imaginis habet rationem, ideoque est honore digna. Adeo insederat christianæ fidei cultoribus reverentiæ erga crucem sensus, ut Iconomachi ei reluctari haud auderent. Sæculo tandem nono Claudius Hispanus, Felicis Urgellitani discipulus, Taurinensis episcopus, in crucis cultum insurrexit. Eodem sæculo Pauliciani in Oriente eadem impietate laborarunt. Sæculo duodecimo Bogomili, Basilii cujusdem discipuli, eam renovarunt; quam et in Galliis propugnavit Petrus de Bruis. Wickleffitæ, et deinceps sexto-decimi sæculi novatores illorum presserunt vestigia. Cæterum plurimi inter Anglicanos, et qui hos sequuntur apud nos Episcopaliani, crucem jam veluti vexillum christianum erigendum probant, quin ei cultum aliquem deferant.

156. Quo cultus genere honoranda sit crux a theologis inquiritur. Censuit S. Thomas Aquinas latriæ cultum ei deberi, ob relationem ejus ad Christum, quia "creaturæ insensibili non debetur honor vel reverentia, nisi ratione rationalis naturæ;"[1] ideoque ejusdem esse generis ac illum qui rationali naturæ debetur. Bellarminus tamen censuit honorem esse inferioris generis, quia nullum putat esse latriæ cultum qui absolutus non sit. In die Parasceves, dum crux detegitur, dicitur: "Ecce lignum crucis; venite adoremus:" et statim genua flectuntur. Ter etiam genibus flexis sacerdos, et post ipsum reliquus clerus populusque fidelis, pro animi devotione, ad crucem accedunt venerabundi, quam et osculantur. Ritus hic, qui *adoratio* appellatur, S. Thomæ sententiæ favere prima fronte videtur; sed quum vox sit ambigua, ad cultum inferiorem designandum referri potest. Otho a Tacito dicitur *vulgus adorasse*,[2] quia militum gratiam inibat amicitiæ indiciis. Citat in suæ sententiæ subsidium S. Thomas cantici sacri verba: "O crux, ave spes unica, hoc passionis tempore, auge piis justitiam, reisque dona veniam;"[3] sed crux pro Christo

(1) Sum. iii. p. qu. xxv. art. iv. Resp.
(2) Hist. l. 1.
(3) Sum. iii. p. qu. xxv. art. iv. *Sed contra.*

crucifixo illic plane sumitur. Ipse angelicus doctor animadvertit: "Crucem alloquimur et deprecamur quasi ipsum crucifixum."[1] Pro more nostro de disceptatione scholastica circa cultus genus haud sumus soliciti; id tamen animadvertimus, nullam idololatriæ labem ex crucis *latria*, quam propugnat S. Thomas, derivari, quum referatur ultimò ad Christum; ipso docente creaturæ insensibili nullum deberi honorem, nisi propter relationem ad rationalem naturam.

PROPOSITIO.

Vera crux in qua Christus passus est speciali honore est digna, cujus etiam participes sunt cruces quælibet ad eam repræsentandam factæ.

Probatur I. ex Scripturis.

157. "Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam."[2] "Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum."[3] Christi in crucem sublatio causa salutis fuit generi humano, gloriæ autem Christo, qui domuit orbem non ferro, sed ligno. Ergo crux illa pretiosa est et gloriosa, et magno honore dignata, cujus particeps esse debet quælibet ejus imago.

158. Paulus dicit: "Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi."[4] Dum alii in carne gloriarentur, circumcisionem fidelibus ab ethnicismo conversis suadentes, Paulus in cruce Christi gloriabatur, fidem in eum prædicans, et salutem inde sperans. Crux igitur tum qua instrumentum facta est salutis, tum qua symbolum est fidei speique christianæ, gloriandi est justa causa; et honore proinde digna.

Probatur II. Patrum unanimi consensu.

159. S. Cyrillus Hierosolymitanus ait: "Crux omnes congregavit, Persas servire fecit, Scythas cicuravit, Ægyptios a cattis et canibus ad Dei cognitionem adduxit. Curat morbos, dæmones fugat, veneficiorum et incantationum evertit imposturas: cum Jesu apparebit in cœlo."[5] S. Ambrosius: "Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite levavit et locavit, ut crux Christi in regibus adoretur."[6] S. Joannes Chrysostomus: "Reges deposito diademate crucem suscipiunt, mortis illius signum. In purpureis vestibus crux inest: in diadematibus crux: in orationibus crux: in armis crux: in sacra mensa crux; et ubique terrarum crux sole ipso clarius refulget."[7] S. Hieronymus ad Marcellam scribens animi gaudium

(1) Sum. iii. p. qu. xxv. art. iv. *Si ergo.*
(2) Joan. iii. 14.
(3) Ib. xii. 32.
(4) Gal. vi. 14.
(5) Catech. xiii.
(6) In Orat. fun. Theodosii.
(7) Hom. lxi. *quod Christus sit Deus.*

sic prodit: "Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare, crucis deinde lambere lignum."[1] S. AUGUSTINUS ait: "Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine sæculi, prius honoravit crucem in hoc sæculi; ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi: et quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus etiam reges in fronte nunc portant."[2] S. LEO M. "Pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, et invictissimæ patientiæ humeris signum salutis adorandum populis omnibus inferebat."[3]

Probatur III. ex miraculis.

160. De Constantino narrat Eusebius quæ ab ejus ore exceperat: "Cum jam sol ad medium cœlum ascendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit se crucis signum ex lucis splendore figuratum, in ipso cœlo, soli imminens, manifestò oculis aspexisse, inque eo inscriptionem consignatam: IN HOC VINCES:"[4] Divino monito obtemperans crucem in vexillum adoptavit, et de hostibus suis, Maxentio, Maximino, et Licinio reportavit triumphum.

161. Helenam, Constantini matrem, magna diligentia et successu felici exquisiisse ipsam in qua Christus passus est crucem, testantur gravissimi scriptores, Cyrillus Hierosolymitanus,[5] Ambrosius,[6] Paulinus Nolanus,[7] Severus Sulpitius,[8] Rufinus,[9] Sozomenus,[10] Theodoretus.[11] Matronam in exitu vitæ fere positam sanitatem statim recuperasse, crucis Dominicæ contactu, duabus aliis, latronum scilicet, crucibus frustra adhibitis, testantur Rufinus, Socrates, Sozomenus et Theodoretus. Mortuum resuscitatum, cruce cadaveri admota, referunt Paulinus Nolanus, Sulpitius, Sozomenus. Hæ res gestæ a scriptoribus coævis relatæ, et quæ publico cultu ab ipso tempore celebratæ sunt, ostendunt Deum crucem miraculis honorandam exhibuisse.

Probatur IV. ex publico cultu.

162. Ex quo Helena crucem Domini invenit, "digno mox ambitu crucem consecravit, condita in passionis loco Basilica, quæ auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus, arcano positam sacrario crucem servat; quam episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur,

(1) Ep. xviii.
(2) Serm. lxxxviii., alias xviii. de verbis Domini.
(3) Serm. viii. de passione Domini.
(4) De vita Constantini l. i. c. xxii. et l. ii.
(5) Epist. ad Constantium.
(6) Orat. fun. Theodosii.
(7) Epist. xi. ad Severum.
(8) L. ii. hist. sac.
(9) L. i. hist. c. viii.
(10) Hist. Eccl. l. ii. c. 1.
(11) Hist. Eccl. l. i. c. xviii.

adorandam populo, princeps ipse venerantium promit."[1] Ita refert Paulinus Nolanus. S. Chrysostomus dicit: "Ipsum lignum in quo positum sanctum corpus Domini et crucifixum, quanto omnium studio expetitur? Itaque multi exiguum ex eo frustum adepti, auro includentes, viri pariter ac fœminæ, de collo suo suspendunt."[2] S. Leo ad Juvenalem Hierosolymitanum scripsit: "Particulam Dominicæ crucis cum eulogiis dilectionis vestræ veneranter accepi."[3] Hæc de vera cruce. De qualibet ejus imagine sat erit Theodoreti recitare verba: "Græci, Romani, ac barbari crucifixum profitentes Deum, crucisque signum venerantes."[4]

ORJECTIONES SOLVUNTUR.

163. *Obj.* 1. Fabellam sapit illa de cruce in cœlo visa narratio.

Resp. Gravissimus profecto testis Constantinus habendus est, præsertim quum christianæ religionis patrocinium susceperit, majorum suorum exemplis posthabitis. Tanta rerum conversio cum visione illa conjungitur, ut hæc maxime suadeatur credenda.

164. *Obj.* 2. Eusebius de cruce inventa silet, diligens alioquin rerum suo tempore gestarum relator.

Resp. Silentium unius Eusebii non potest prævalere testimoniis scriptorum plurimorum coævorum vel supparium, et notissimo cultui qui Hierosolymis cruci deinceps præstabatur. Cyrillus Hierosolymitanus, anno 350 ad Constantium scribens, optimus est testis rei Hierosolymis anno 326 gestæ, et publico cultu celebratæ: "Tempore quidem Deo dilectissimi, beatæque memoriæ patris tui Constantini, salutare crucis lignum inventum est: divina gratia ei qui pietatem recte quærebat etiam occultorum sanctorum locorum inventionem annuente."[5] Præterea in epistola Constantini ad Macarium Hierosolymitanum, quam refert Eusebius, indicatur res illa gesta.[6]

165. *Obj.* 3. Minucius Felix tamquam calumniam refellit crimen christianis objectum quod crucem colerent: "Cruces etiam nec colimus, nec optamus."[7]

Resp. Objiciebant ethnici christianis, quod "hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia colerent." Optime respondit ille christianos nec colere nec optare cruces illas in quibus scelesti homines luebant pœnas; nec ideo censendus est negasse cruci in qua Christus passus est deferri honorem.

(1) Ep. xi. ad Severum.
(2) Hom. Quod Christus sit Deus.
(3) Ep. lxxii.
(4) Serm. vi. Contra Græcos.
(5) Ep. ad Constantium.
(6) In vita Constantini l. iii. c. xxix.
(7) In Octavio.

166. *Obj.* 4. Ambrosius de Helena dicit: "Regem adoravit, non lignum: quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum: sed adoravit illum qui pependit in ligno."[1]

Resp. Optime, nec enim cultus aliquis ligno datur, nisi ob relationem ad Christum, uti supra ex S. Thoma didicimus. Cæterum adoratur et crux, docente ibidem Ambrosio, cultu tamen *relativo*.

167. *Obj.* 5. Crux maledicta in lege habebatur, et execranda habenda est, quum Christo fuerit supplicii extremi instrumentum.

Resp. Christus salutem nobis, et gloriam sibi moriens in cruce comparavit: "humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen."[2] Convertit igitur Christus instrumentum supplicii in currum triumphi, ideoque nobis eo gloriandi dedit occasionem.

168. *Obj.* 6. Labia Judæ et tortorum manus adorandæ erunt pari ratione ae crux.

Resp. Minime gentium, quum iniqua voluntas illos omni execratione dignos reddat. Sed res per se innocuæ in instrumenta suppliciorum adhibitæ sanctæ effectæ sunt ex Christi contactu.

169. *Obj.* 7. Lanceæ, spongiæ, sepulchra omnia adoranda erunt, quia lancea confossum est Christi latus, spongia aceto intincta ei in cruce porrecta est, et corpus ejus sepulchro est demandatum.

Resp. Lancea ipsa, spongia, et sepulchrum Christi Domini honore digna sunt, ob rationes haud absimiles, quamvis crux præcipuum fuerit redemptionis instrumentum. Cæterum non omnes lanceæ, spongiæ, et sepulchra erunt pariter honoranda, quum non habeant ad Christum relationem: nec enim fiunt ad repræsentanda illa quæ eam habuerunt.

170. *Obj.* 8. Serpentis ænei cultus a Deo improbatus est, nam laudatur Ezechias ob eum confractum, "siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum."[3] Solent autem Catholici thus cruci adolere.

Resp. Ex sacri scriptoris relatione satis colligitur Israelitas, gentium more, thus adolevisse serpenti, ideoque optime egisse Ezechiam, occasionem superstitionis auferentem. Equidem ea ætate thus erat sacrificii appendix, et ad Numinis cultum pertinebat. Quod autem cruci adoleamus thus, honoris causa fit, et ultimo ad Christum crucifixum refertur, quem summo afficere cultu tenemur.

ANIMADVERSIO.

171. Pia consuetudo crucis signum manu faciendi est ritus ab ultima antiquitate christiana derivatus. Tertullianus dicit: "Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad

(1) In Orat. funeb. Theodosii.
(2) Phil. ii. 8.
(3) IV. Reg. xviii. 4.

calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia: quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus."[1] S. Cyrillus Hierosolymitanus scribit: "Non erubescamus crucem Christi. Sed licet aliûs hanc celet, tu palam in fronte signare: ut dæmones signo illo regio conspecto, procul trepidantes fugiant. Hoc verò signum facito, manducans et bibens, sedens, cubans, de lecto surgens loquens, ambulans; et ut uno verbo dicam, in omni re."[2] S. Hieronymus in illa verba scribens: "signa thau super frontes virorum gementium;" animadvertit: "Antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau littera crucis habet similitudinem, quæ in christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur."[3]

(1) L. de corona militis c. iii. Hæc probant dum recitant Oxonienses. Tract No. 34
(2) Catech. iv.
(3) In c. ix. 4 Ezech.

TRACTATUS XIX.

DE VITA FUTURA.

CAPUT I.

DE BEATITUDINE ÆTERNA.

1. Hominem ex suæ naturæ conditione necessariò in beatitudinem ferri liquet; eumque in hac vita sæpius miserum, postquam corporis animæque nexus morte fuerit solutus, beatum tandem fore, si Deo fideliter fuerit famulatus, fides docet. Hæc verò justorum felicitas in nulla sensuum voluptate, quali hic fruimur, sita est, sed "gaudium Domini" est, quod scilicet Deus illis largitur, torrente voluptatis suæ potans eos. In ipsius notitia, et manifesta contemplatione seu visione, tota reponitur; mens, scilicet, divino illustrata lumine, claram Numinis cognitionem adipiscitur, qua fit summe beata, ejus purissimo amore flagrans, et in eum quodammodo rapta, adeo ut ei similis sit. "Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum."[1] "Nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est."[2] "Quanta erit illa felicitas," merito exclamat Augustinus, "ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus! . . . Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur." . . . "Ibi vacabimus et videbimus: videbimus et amabimus: amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine."[3]

(1) 1. Cor. xiii. 12.
(2) 1 Joan. iii. 2.
(3) Aug. l. xxii. de civ. Dei. c. 30.

2. Beguardi et Beguinæ sæculo xiv. docuerunt Deum ab intellectu creato videri posse, et "animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum:" qui error fuerat iv. sæculo Anomæorum, et a concilio Viennensi iterum damnatus est. Equidem Scripturæ gloriam cœlestem magnum Dei donum esse prædicant: "Oculus non vidit Deus absque te quæ præparasti expectantibus te."[1] "Gratiam et gloriam dabit Dominus."[2] "Gratia Dei, vita æterna."[3] S. Irenæus ait: "Quemadmodum videntes lumen intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt. Sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem: Vivificat autem eos claritas; percipiunt ergo vitam, qui vident Deum."[4]

3. Infinita Dei natura a creatura nulla, etiam superne illustrata et adjuta, comprehendi potest, Deus enim prædicatur "magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu."[5] "Immensurabilis" dicitur ab Irenæo "in corde Deus, et incomprehensibilis in animo."[6] Augustinus autem ait: "Adtingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile."[7] Quod igitur dicitur ab Apostolo. "Tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum"[8] claram Dei visionem, non perfectam comprehensionem indicat.

---

§. I. De gloriæ gradibus.

4. Gradus esse diversos gloriæ et beatitudinis, quamvis una omnibus sit gloria essentialis, Deus nempe visus, fides docet: concilium enim Florentinum definivit sanctos post mortem Deum intueri, "pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius." Meritorum et præmiorum diversitatem negavit quinto sæculo Jovinianus, quem refellit Hieronymus. Lutherus etiam ex principio de fide justificante in eundem incidit errorem.

PROPOSITIO.

Sancti Deum vident, pro meritorum tamen diversitate alius alio perfectius.

Probatur I. ex Scripturis.

5. Christus dicit Apostolis: "In domo Patris mei mansiones multæ

(1) Isaiæ lxiv. 4.
(2) Ps. lxxxiii. 12.
(3) Rom. vi. 23.
(4) L. iv. adv. hær. c. xxxvii.
(5) Jer. xxxii. 19.
(6) L. iv. adv. hær. c. xix. n. 2.
(7) Serm. cxvii. de verbis Evang. Joan. c. v.
(8) 1 Cor. xiii. 12.

sunt."[1] Verba hæc loca plurima ostendunt, et graduum diversitatem indicant. Paulus dicit: "Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem."[2] Et de resurrectione disserens ait: "Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum."[3] Ad eleemosynorum largitionem hortatur, amplioris mercedis spe: "Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet."[4] Hæc ostendunt præmia diversa fore pro operum et laborum, seu meritorum, diversitate.

Probatur II. ex Patribus.

6. S. Irenæus ait: "Quanto autem plus eum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus, cum simus semper in conspectu Patris."[5] Tertullianus: "Quomodo mansiones multæ apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?"[6] S. Chrysostomus: "Tametsi in regno cœlesti sint omnes, non omnes tamen iisdem potiri præmiis illa similitudine stellarum ostenditur."[7] S. Hieronymus: "Non est filii dare, et quomodo est Patris præparare? Paratæ, inquit, sunt in cœlo diversæ et plurimæ mansiones plurimis diversisque virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera. Frustra ergo a me petitis quod in vobis situm est, quod pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem."[8] S. Augustinus dicit: "Multæ mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates . . . tamquam stellæ sancti, diversas mansiones diversas claritates, tamquam in cœlo, sortiuntur in regno."[9] S. Fulgentius: "Tantum amplius alio in illa vita Deum videbit, quantum amplius alio in hac vita eum dilexit."[10] S. Gregorius M. "Apud Patrem mansiones multæ sunt, quia in illa beatitudinis vita sunt dispares: unusquisque juxta dispar meritum locum disparem percipit."[11]

7. Accedunt rationes theologicæ quas verbis Hieronymi, dogmatis hujus præclari vindicis, juvat exponere. De Paulo se minimum Apostolorum profitente dicit: "Veruntamen in eo quod se humiliat, ostendit posse Apostolos alios minores, alios esse majores, et qui utique vas electionis dicitur, et cunctis amplius laboravit: non est injustus Deus, ut oblivisca-

(1) Joan. xiv. 2.
(2) 1 Cor. xiii. 8.
(3) Ibidem xv. 41.
(4) II. Cor. ix. 6.
(5) L. iv. adv. hær. c. xiii. alias xxvii.
(6) In Scorpiaco.
(7) Hom. xli. in 1 ad Cor.
(8) L. ii. adv. Jovinian.
(9) Tract. lxvii. in Joan.
(10) L. de Trinit.
(11) L. xxxv. Mor. c. iv.

tur operis ejus, et dispar meritum æquali mercede compenset." . . . Certe inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Ubi autem major dicitur, necesse est ut cæteros habuerit minores. Et qui minimus est in regno cœlorum major est illo. Vides ergo quod in cœlis sit maximus et minimus, et inter angelos quoque et invisibiles creaturas sit multiplex et infinita diversitas." . . . "Qua consequentia ibi erit minimus et maximus, si omnes æquales futuri sunt?" . . . "Jam nostri laboris est, pro diversitate laborum diversa nobis præparare præmia." . . . Joviniani sectatores arguit: "Nequicquam episcopi, frustra episcopi, sine causa diaconi sunt. Quid perseverant virgines? Quid laborant viduæ? Cur maritatæ se continent? Peccemus omnes, et post pœnitentiam idem erimus quod Apostoli sunt."[1]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

8. *Obj.* 1. Jovinianus apud Hieronymum objiciebat: "Operariis primæ horæ et tertiæ et sextæ et nonæ et undecimæ unus denarius æqualiter redditur: et quo magis admireris, ab his incipit præmium, qui minus in vinea laborarunt."[2]

Resp. Verbis Hieronymi: "Hic non unius temporis, et unius ætatis homines describuntur, sed ab exordio mundi usque ad finem vocationum sacramenta sunt diversarum. Prima hora vocatus est Abel et Seth: tertia Enoch et Noe: sexta Abraham, Isaac et Jacob: nona Moyses et prophetæ: undecima gentium populus: cui primo redditur merces, quia in crucifixum credens Dominum, difficultate fidei magnitudinem meruit præmiorum. Multique reges et prophetæ quæsierunt videre quæ videmus, et non viderunt. Unus autem denarius, non unum est præmium, sed una vita, et una de gehenna liberatio."[3] S. Augustinus aliam præbet responsionem: "Ille denarius vita æterna est, et in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus: quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus: non enim alii brevius, alteri longius, quod pariter æternum est."[4]

9. *Obj.* 2. Liquet "duos esse ordines ovium et hircorum: alterum justorum, alterum peccatorum: alios stare a dextris, alios a sinistris: et audire justos: Venite, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi."[5] Ita Jovinianus.

Resp. Hieronymus iterum audiatur: "Parabola ista non ovium inter se merita, et e contrario describit hircorum, sed inter oves et hircos tantum distantiam facit. Neque enim in omnibus locis docentur omnia, sed unaquæque similitudo ad id refertur, cujus similitudo est." . . . "Stant

(1) L. ii. adv. Jovinian.
(2) Ibidem.
(3) Ibidem.
(4) Serm. lvi. de verbis Domini c, iv.
(5) L. ii. adv. Jovin.

quidem omnes ad dexteram: sed alius stat ut sponsus, alius ut frater, alius ut filius. . . . Inter David virum sanctum, et Saul regem pessimum, medius Jonathas fuit. Quem nec inter hœdos possumus ponere, quia prophetæ amore dignus est; nec inter arietes, ne parem eum faciamus David, maxime cum et ipse interfectus sit. Erit igitur inter oves, sed in inferiori ordine. Et quomodo inter David et Jonathan, ita inter ovem et ovem cogeris suscipere differentias."[1] Meritò idcirco Hieronymus addit: "Hæc vera est Antichristi prædicatio, quæ inter Joannem et ultimum pœnitentem nullam facit distantiam."

10. *Obj.* 3. Qui diversa præmia pro virtutum meritorumque varietate statuit, gloriam ex hominum meritis, magis quam ex Dei munificentia, et Christi meritis pendere facit.

Resp. Vita æterna gratis donatur a Deo propter Christi merita: attamen sapientissimo consilio Deus majora gaudia tribuit ardentius diligentibus, et fidelibus laborantibus, qua ratione homines ad bonorum operum exercitium provocantur. Divina munificentia in eo elucet, quod præmia longe excedant laborem, et propter Christum tribuantur, quum homo nullis suis viribus ea promereri posset.

11. *Obj.* 4. Dei visio, quum ipse sit simplicissimum et purissimum Ens, graduum varietatem non admittit.

Resp. Licet Deus sit ens omni partium compositione immune, se suasque perfectiones magnis minusve pro sua voluntate pandit. Ipsa angelorum distinctio dotium varietatem, et gradus gloriæ diversos indicat: "Quare in regno cœlorum," clamat Hieronymus "archangeli sunt, angeli, throni, dominationes, potestates, cherubim, et seraphim, et omne nomen quod nominatur non solum in præsenti sæculo, sed etiam in futuro?"[2] Nil igitur obstat quin et sancti, pro meritorum diversitate, clarius vel minus clare Deum intueantur, majori vel minori gloria proinde effulgentes. "Cæterum qui futuri sunt," bene animadvertit Augustinus, "pro meritis præmiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint, non est ambigendum."[3]

12. *Obj.* 5. Ipsa beatitudo graduum diversitate tolleretur, nec enim quis omnino beatus foret, aliis præ illo majori gloria donatis.

Resp. Voluntas sanctorum nihil habebit vitii in illa conditione; sed amplectetur quod æquum est, et divinis consiliis congruum, ideoque omnes in Deo conquiescent: "Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri: tamquam nolit esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei qui accepit ob-

(1) L. ii. adv. Jovinian.
(2) Ibidem.
(3) L. xxii. de civ. Dei c. xxx.

strictus, quam nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago."[1]

---

§. II. De gloria statim post mortem..

13. Statim post mortem animas illas quæ omni labe carent, ex Christi gratia emundatæ, hanc ingredi requiem, hoc frui gaudio, in ipso cælorum regno sedes sortiri, Dei factas veluti consortes, fides docet: quod beneficium infantibus post baptismum decedentibus; martyribus suo sanguine dilectionem, qua nemo habet majorem, exhibentibus; aliisque perfectis contingere credimus: sed plerosque justos ob labem aliquam leviorem detineri, ne summa illa beatitudine statim post exitum e corpore fruantur, haud ægre fatemur. Illum animarum statum, quæ ad tempus a cælestis regni aditu prohibentur, *Purgatorium* solemus vocare, ad purgandam scilicet animam destinatur. Illud post ultimum judicium non futurum in confesso est. Utrum autem supplicio aliquo torqueantur, fides non determinat.

14. Vigilantius, quinto sæculo, docuit neminem ante diem judicii ad Deum intuendum admitti: quod et Luthero, et Calvino, et Socinianis visum est. De eo dicit Calvinus: "Porro de intermedio earum statu curiosius inquirere neque fas est, neque expedit. Valde se torquent multi disputando quem locum occupent, et an cælesti gloria fruantur, necne Atqui stultum et temerarium est de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis scire permittat. Scriptura, ubi dixit, Christum illis præsentem esse, et eas recipere in paradisum (Jo. 12. 32) ut consolationem percipiant, reproborum verò animas cruciatus quales meritæ sunt, perpeti, non ultra progreditur . . . Quod *sinus Abrahæ* dicitur beata sanctorum spirituum collectio, nobis abunde est, ex hac peregrinatione excipi a communi fidelium Patre, ut nobiscum fidei suæ fructum communicet. Interea quum Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, et gloriæ coronam eousque differat, contenti simus his finibus divinitus nobis præscriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectent: atque ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat redemptor."[2] A magistri sui sententia discesserunt Presbyteriani Westmonasterienses, qui justorum animas in cælos altissimos statim post

(1) Aug. lxxii. de civ. Dei. c. xxx.

(2) Inst. l. iii. c. xxv. 6. Vide etiam Burneti analysim Art. xxii. p. 340: "Some thought that the souls of the good were happy, but that they did not see God till the resurrection."

mortem recipi dicunt, et Dei faciem in lumine gloriæ intueri.[1] Ita etiam Baptistæ, qui tamen dicunt in Paradisum animas recipi, et cum Christo esse.[2] Calvini sententia inter Anglicanos plures habuit patronos.[3]

15. Concilium Lugdunense II. an. 1247 docuit animas omni labe immunes mox in cælum recipi, quod et definivit Concilium Florentinum, addens: "et intueri clare Deum unum et trinum sicuti est."[4] Hæserat hac in re Joannes XXII., in sententiam de differenda Dei visione proclivior; sed "recitando et conferendo, et non determinando, nec etiam tenendo," uti ipse sub mortem Diplomate edito, an. 1334, declaravit, quæcumque dixisset revocando. Cæterum animas beatas jam esse cum Christo, in confesso apud omnes erat.

PROPOSITIO.

Animæ sanctorum nulla macula inquinatæ statim post obitum ad Deum intuendum admittuntur.

Probatur I. ex Scripturis.

16. Apostolus ait: "Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes. . . Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, (per fidem enim ambulamus, et non per speciem). Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum."[5] Liquet cælestem habitationem, nullo interposito intervallo, sequi terrestris domus eversionem; spiritumque hinc evadere, illuc sine mora ingressurum. Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino; sed soluti a corpore præsentes sumus ad Dominum; non jam fide eum contemplantes, sed speciem ejus intuentes—διὰ εἴδους. Illa animarum conditio æterna erit, haud post tempus alteri cessura. De sinu Abrahæ hic nullus est sermo; sed de Domini præsentia, et de felicitate a Deo proveniente. Quod si quis contenderit Christum hominem Dominum designari, non ipsam Dei naturam, meminisse oportet eum a dextris Dei sedere; adeo ut qui cum ipso sunt, divinam essentiam intueri censendi sint.

(1) "Their souls (which neither die nor sleep) having an immortal subsistence, immediately return to God who gave them. The souls of the righteous, being then made perfect in holiness, are received into the highest heavens, where they behold the face of God in light and glory." Confession of faith, ch. xxxii. Ita etiam Confessio Presbyteriana Americana.

(2) Ch. xxxiii.

(3) Vide J. Burnetum de statu mortuorum, cit. in Analysi, p. 340. Vide etiam Usherum: *Of the place and condition of souls departed*, apud Oxonienses Tract 72. Vol. iii. Hi ea utuntur sententia ut consuetudinem orandi pro mortuis, quam tuentur, explicent.

(4) Sess. xv.

(5) II. Cor. v. i.

Probatur II. ex Patribus.

17. S. Ignatius M. Romanos obsecrat, ne suis precibus a martyrio eum retineant: "Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipsci."[1] Ergo ea fuit pristina fides, martyrio ad Deum statim iri. Pulcherrime Cyprianus: "clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cælum: minatur Antichristus, sed Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur. Quanta est dignitas et quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus! Tam feliciter migrandi quanta velocitas! Terris repente subtraheris, ut in regnis cælestibus reponaris!"[2] S. Ambrosius de lapsu Petri agens, exclamat: "Unde te evocem, Petre, ut doceas me quid flens cogitaveris? unde, inquam, te evocem? de cælo, ubi jam choro insertus es Angelorum, an etiam de tumulo?"[3] S. Hieronymus, Vigilantium ex professo refellit: "Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo; de quibus scriptum est: sequuntur agnum quocumque vadit."[4]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

18. *Obj.* 1. Joannes refert: "Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei. . . . et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec complerentur servi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi:"[5] Igitur ante completum martyrum numerum, qui prius passi sunt propter Christum Deum non videbunt.

Resp. Ipsi Joanni sancti visi sunt "stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum."[6] Gaudent igitur beata visione; subtus altare tamen dicuntur, quia corpora eorum terræ demandata ante resurrectionem gloria non coronabuntur. "Jam acceperunt," inquit Bernardus, "singulas stolas; sed non vestiuntur duplicibus, donec vestiamur et nos. Stola enim prima ipsa est quam diximus felicitas et requies animarum: secunda verò immortalitas et gloria corporum."[7] Cæterum id præcipue eo loci edocetur, Dei consilio vindictam de martyrum interfectoribus non statim sumi, sed expectari tempus quando plurimorum sanguis effusus eam provocabit: "Usquequo Domine (sanctus et verus) non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in

(1) Ep. ad. Rom.
(2) De exhort. martyr. ad Fortunat. c. xii.
(3) L. x. in Lucam. c. xxii.
(4) L. adv. Vigil.
(5) Apoc. vi. 9.
(6) Ibidem vii. 9.
(7) Serm. iii. in festo omnium sanctorum.

terra?"[1] Iis responsum est expectandum donec numerus martyrum impleatur.

19. *Obj.* 2. Apostolus de sanctis veteribus loquens, dicit: "Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem: Deo pro nobis melius aliquid providente ut non sine nobis consummarentur."[2]

Resp. Veteres illi sancti non acceperunt promissa, nisi adveniente Christo, qui ea implevit, et cœli aditum patefecit. Sine nobis consummati non sunt, ætas silicet nostra habetur totum illud tempus a Christi adventu. Mens Apostoli patet ex tota epistola: "Hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum."[3] "Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam."[4]

20. *Obj.* 3. Nonnisi in die judicii invitandi sunt sancti in regnum: "Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi."[5] Consonat parabola, merces enim soluta dicitur omnibus simul sub vesperam.[6]

Resp. Invitatio illa omnibus electis simul fit, judicio peracto, quorum tamen quotquot ante finem mundi justitia perfecti obierant jam cœli gaudia possederant; nam domo terrena morte diruta, induuntur cœlesti gloria. Profecto et peccatores tunc in ignem æternum amandandi sunt, quem tamen eos post mortem statim experiri, Christo docente, novimus, dives quippe in locum tormentorum mox decessit, in flamma cruciandus. Dicendum igitur Christum voluisse supremi judicii et æternæ hominum conditionis exponere æquitatem, quin de priori animarum statu tunc loqueretur.

21. *Obj.* 3. S. Ambrosius dicit: "Scriptura habitacula illa animarum promptuaria nuncupavit: quæ occurrens querelæ humanæ, eo quod justi qui præcesserunt videantur usque ad judicii diem, per plurimum scilicet temporis, debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait coronæ esse similem illum judicii diem, in quo sicut non novissimorum tarditas, sic nec priorum velocitas. Coronæ enim dies expectatur ab omnibus, ut intra eum diem et victi erubescant, et victores palmam adipiscantur victoriæ."[7] Lætitiam animarum sanctarum ex spe conceptam describens dicit: "incipiunt intelligere requiem suam, et futuram sui gloriam prævidere, eaque se consolatione mulcentes, in habitaculis suis, cum magna tranquillitate requiescent, stipatæ præsidiis angelorum."[8]

Resp. Apocryphi quarti libri Esdræ eo loci Ambrosius secutus est auc-

(1) Apoc. vi. 10.
(2) Heb. xi. 39.
(3) Ibidem ix. 8.
(4) Ibidem x. 19.
(5) Matt. xxv. 34.
(6) Ibidem xx. 8.
(7) L. de bono mortis. c. x.
(8) Ibidem c. xi.

toritatem, ideoque minus accurate locutus dicendus est; nisi placeat verba ejus referre ad beatitudinem perfectam animæ simul et corporis.[1] Certe post verba ultimò objecta statim ait: "Quintus autem ordo, exultationis uberrimæ habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, et repromissam sibi possideant hæreditatem." Et in Oratione de obitu Theodosii: "Regio illa vivorum est, ubi anima est, quæ ad imaginem et similitudinem Dei facta est, non caro figurata de limo. Ideo in terram revertitur, anima ad requiem festinat supernam, cui dicitur: 'Convertere anima mea in requiem tuam.' In quam festinavit intrare Theodosius, atque ingredi civitatem Hierusalem, de qua dictum est: 'Et reges terræ ferent gloriam suam in illam.' Illa est vera gloria quæ ibi sumitur; illud regnum beatissimum quod ibi possidetur, ad quod festinabat Apostolus, dicens: 'Audemus ergo et consentimus magis peregrinari de corpore, et adesse ad Dominum: et ideo connitimur sive absentes sive præsentes placere illi.' Absolutus igitur dubio certamine, fruitur nunc augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, et pro iis quæ in hoc gessit corpore, munerationis divinæ fructibus gratulatur." Hæc quidem conveniunt homini, cui persuasum sit Sanctos post mortem statim Domino adesse, eoque frui. Quæ autem obscurius dicta sunt ab hoc, vel alio Ecclesiæ patre, juxta ea quæ alias clarius protulerunt sunt explicanda: et paucorum sententia, Tertulliani, scilicet, Lactantii, aliorumque, cæterorum patrum et Ecclesiæ totius fide et judicio corrigenda.

(1) Vide Tournely Tract. de Deo. qu. 12.

CAPUT II.

DE PURGATORIO.

22. Concilium Tridentinum docet "purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio juvari."[1] De pœnarum genere, duratione, vel loco speciali nihil definitum vel a Tridentino, vel alio quopiam concilio reperitur: quapropter communione Ecclesiæ frui quis poterit, qui ex animo credat purgatorium esse, quin de pœnarum natura aliquid certo sibi statuat. Immerito igitur Oxonienses simplicitatem definitionis, cui vix se aliquid objicere posse fatentur,[2] opinionibus inter catholicos vigentibus, et consuetudinibus cum his conjunctis onerare quærunt. Equidem ipsam in purgatorio detentionem pœnæ habere rationem liquet, quapropter merito definierunt patres Tridentini: "Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit; ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit."[3] Calvinus asseruit "purgatorium exitiale esse Satanæ commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit ac evertit."[4] Sectarii omnes hodierni his subscribunt, si exceperis Oxonienses, qui purgatorium dum impugnant, ei se haud admodum reluctari satis produnt. Græci in doctrinæ substantia nobiscum concordant, uti ex concilio Florentino patet.[5]

(1) Sess. xxv. Decr. de Purg.

(2) "Such is the Roman doctrine, and taken in the *mere letter*, there is little in it against which we shall be able to sustain formal objections. Purgatory is not spoken of at all as a place of pain; it need only mean, what its name implies, a place of purification. . . . The word 'detentas' indeed expresses a somewhat stronger idea; yet after all, hardly more than that the souls in purgatory would be happier out of it than in it, and that they cannot, of their own will, leave it: which is not much to grant. Further, that the prayers of the living benefit the dead in Christ, is, to say the least, not inconsistent, as Usher shews us, with the primitive belief. Tract 79. § i. p. 5. vol. iv.

(3) Sess. vi. can. xxx.

(4) Inst. l. iii. c. v. § 3.

(5) "They agreed together, as the council shews, or at least with the slightest difference, on the question in which we are concerned, while the subsequent resentment of the Greeks at home had little or no reference to it; and their agreement under such circumstances was only the more remarkable." Oxford Tracts, No. 79. p. 60.

PROPOSITIO.

Purgatorium datur, in quo quæ detinentur animæ fidelium suffragiis, potissimum vero altaris sacrificio, juvantur.

Probatur I. ex Scripturis.

23. Judas Machabæus refertur post prælium invenisse sub cadaveribus mortuorum donaria idolorum quæ lex vetuit ne sibi sumerent Judæi. "Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse; . . . Atque ita ad preces conversi rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur." Judas deinde "facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis. Et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur."[1]

24. Liquet eam fuisse certam persuasionem fidemque tum Judæ Machabæi, tum omnium conferentium æs in sacrificiorum impensas, tum sacerdotum qui offerebant victimas, esse quendam animarum statum labe aliqua inquinatarum, quæ sacrificiis oblatis expiarentur. Hanc probatam esse constat sacro scriptori, qui sanctam vocat et salutarem consuetudinem pro defunctis exorandi ut a peccatis solvantur. Equidem constat ex Judæorum libris Ritualibus consuetudinem orandi pro mortuis semper ab eis servatam et adhuc vigere; quæ quum a Christo Domino numquam improbata sit, licet publicus esset Judæorum mos ea ætate, nihil habeat censura dignum necesse est, uti bene animadvertit episcopus Anglicanus Jeremias Taylor.

25. Christus dixit: "Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro."[2] Id veluti speciale de peccato contra Spiritum Sanctum traditur, quod non sit remittendum in alterutro sæculo, quod indicat quædam esse peccata quæ in altera vita remittuntur.

26. Augustinum et Gregorium damus interpretes: "Pro defunctis quibusdam," inquit Augustinus, "vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio: sed pro his quorum in Christo regeneratorum, nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse; nec usque adeo bene ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. . . . . Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen, remittetur in futuro."[2]

(1) L. ii. Mach. xii. 40.
(2) L. xxi. de civ. Dei c. xxiv.

S. Gregorius M. dicit: "De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est; pro eo quod Veritas dicit: Si quis in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam in futuro posse laxari: quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: aut in non gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac via positis minime fuerint relaxata."[2]

27. Christus præcepta explicans dicit: "Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis."[3] De culpa et pœna coram Deo loquitur, nam divinum explicat præceptum, et gehennæ ignem graviori legis violationi servatum esse docet. Ergo levioribus quas recenset culpis pœnas in altera vita servatas indicat, a Judæorum tribunalibus, judicio scilicet, et concilio, mutuatis imaginibus. Præter æternas pœnas aliæ etiam in altera vita sunt ideo admittendæ.

28. Apostolus Paulus de Evangelii præconibus disserens, se adsimilat sapienti architecto, alios iis qui extruunt ædes super fundamentum jam positum, eosque monet quam caute laborandum sit: "Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem."[4] Dei judicium igni quo ædificii vis probatur adsimilat: perfectam prædicationem ex purissimo fidei studio, ædificio auro argento et lapidibus pretiosis constanti; cui etiam similia sunt opera perfecta. Lignum, fœnum, stipula imagines sunt prædicationis humanis quibusdam studiis vitiatæ, sicut et operum minus perfectorum. Præclari ædificii fabricator mercedem accipit, magna enim manet merces Evangelii fidelem præconem, et famulum Christi perfectum. Orto incendio domus male constructæ artifex sibi ægre consulit, satisque habet si plurimis deperditis vitam servet, ex igne evadens sospes. Pari ratione contingit homini qui Evangel-

(2) L. iv. Dialog. c. xxxix.
(3) Mat. v. 22.
(4) 1 Cor. iii. 11.

ico fungitur ministerio, et humanis se rationibus abduci aliquatenus sinit, vel alteri cuicumque in leviores culpas incidenti, servata enim fidei integritate, et virtutum substantia, salvus erit, sed cum plurimo sui damno, quasi per ignem. Nil dicitur quod detrimentum hoc ad hujus vitæ ærumnas referat, quum tota orationis series alteram vitam potius respiciat.

29. Augustinum præstat audire, qui visionem Abrahæ de igne transeunte inter divisiones animantium cum Apostoli verbis de igne probante ædificia exponendo conjungit. "Veniet et caminus: nam consedit ibi Abraham usque ad vesperam, et venit magnus terror diei judicii. Vespera enim illa finis est sæculi, et caminus ille veniens dies judicii. Divisit inter media illa quæ divisa erant, etiam caminus. Si inter media transiit caminus, alia in dexteram, alia in sinistram separavit. Sunt ergo quidam carnales, et tamen Ecclesiæ gremio continentur, viventes secundum quendam modum suum, quibus timemus ne seducantur ab hæreticis. Quamdiu enim carnales sunt, divisibiles sunt. Aves quippe non divisit: carnales dividunur. Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Et quomodo probatur, quia carnales dividuntur? Adjungit, 'Cum enim dicit unusquisque vestrum, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?' Rogo vos, fratres, audite et proficite; excutite vos de loco carnali, pergite in turturem et columbam: aves enim non divisit. Sed quicumque talis permanserit, et secundum quemdam modum vitæ aptum carnalibus, et de gremio Ecclesiæ non recesserit, et non fuerit seductus ab hæreticis, ut ex contraria parte dividatur; veniet caminus, et ad dextram poni sine camino non poterit. Sed si caminum pati non vult, pergat in turturem et columbam. Qui potest capere, capiat. Si autem non sic erit, et ædificaverit super fundamentum ligna, fœnum, stipulam, id est, amores sæculares fundamento fidei suæ superædificaverit; tamen si in fundamento sit Christus, ut primum locum ipse habeat in corde, et ei nihil omnino anteponatur; portantur et tales, tolerantur et tales: veniet caminus, incendet ligna, fœnum, stipulam: ipse autem, inquit, salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Hoc aget caminus: alios in sinistram separabit: alios in dextram quodam modo eliquabit."[1] Augustinus igitur quosdam censuit levioribus suis maculis igne purgandos, et sic salutem assecuturos. Quod autem ad diem judicii purgationem eam referat, non sic accipiendum est, quasi nemo antea purgandus sit, sed quod purgatio tandem omnium tunc perficienda sit.[2]

Plurima alia quæ solent adduci scripturæ testimonia prætermittimus, non

(1) In Ps. ciii. Enarratio Serm. iii. n. 5.

(2) Oxonienses admittunt varia Augustini loca sic componi posse, recitato enim hoc testimonio, animadvertunt: "This is one notion St. Austin had of Purgatory; another was that it would be of a certain duration in proportion to the sins of each individual. Without asserting that this view is plainly inconsistent with the former, it fairly may be called a distinct one." Tract 79. p. 40.

quod omni carere vi videantur, sed quod hæc sufficiant, accedente traditione, cujus lumine omnia mire illustrantur.[1]

Probatur II. ex Patribus.

30. TERTULLIANUS: "Oblationes pro defunctis pro natalitiis annua die facimus."[2] Et de viduæ fidelis erga defunctum maritum officio scribit: "Enimvero et pro anima ejus orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus."[3]

31. S. CYPRIANUS: "Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, et salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur."[4] Et: "Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem: aliud statim virtutis et fidei ardore mercedem accipere: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum, emundari et purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse."[5] Sic martyrum præ aliis effert felicitatem, ipsis quippe statim gloria tribuitur; cæteris plerisque maculas leviores luentibus.[6]

32. S. CYRILLUS JEROSOLYMITANUS: "Deinde pro defunctis sanctis Patribus et Episcopis: Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita

(1) Oxonienses de testimoniis quæ recenset Bellarminus, dicunt: "Could indeed competent evidence be brought from other quarters, that the doctrine really was true and Apostolical, we should not unreasonably have believed that some of them did allude to it; especially if writers of name, who might speak from tradition, so considered. We could not have taken upon ourselves to say at first sight that it certainly was not contained in them, only we should have waited for evidence that it was. Some of the texts in question are obscure, and seem to desiderate a meaning; and so far it is a sort of gain when they have any meaning assigned them, as though they were unappropriated territory which the first comer might seize. Again the coincidence of several of them in one and the same mode of expression, implies that they have a common drift." Tract 79. p. 18. vol. iv.

(2) L. de Corona mil. c. iii.

(3) L. de Monogam. c. x.

(4) Ep. lxvi. ad cler. et plebem Furnitan.

(5) Ep. lii. ad Anton.

(6) Fatentur Oxonienses in Ecclesia Africana obtinuisse remota valde ætate doctrinam nostræ admodum similem; apud Græcos verò putant purgationem in diem judicii dilatam: "While the Greek Churches, and thence the Italian held the doctrine of a judgment Purgatory, a doctrine far more like the Roman is found from an early age in the African Church." Recitatis Tertulliani et Cypriani verbis, explicationem Rigaltii et Fabri, qui de disciplina pœnitentiali ea interpretantur, rejiciunt: "The words in themselves seem to go beyond any mere ecclesiastical, though virtually divine censure, especially 'missum in carcerem,' and 'purgari diu igne. Further. . . . Tertullian explains Cyprian, Cyprian sanctions Tertullian.' It should be recollected moreover that Cyprian used to call Tertullian his Master; and the inference deducible from all this is greatly strengthened, when we come to consider the views of St. Austin, another African." Tract 79. p. 39.

functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius et tremendi quod in altari positum est sacrificii."[1]

33. S. Gregorius Nyssenus ait eos "vel in præsenti vita sapientiæ studio et precibus purgatos, vel post obitum, per expurgantis ignis fornacem expiatos, ad sempiternam felicitatem pervenire."[2]

34. Eusebius de Constantini funere ait: "ac beatus quidem princeps alto in suggestu jacens, laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus una cum sacerdotibus Dei, non sine gemitu ac lachrymis, pro imperatoris anima preces offerebant Deo, gratissimum pio principi officium exhibentes."[3]

35. Epiphanius: "Cæterum quæ pro mortius concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant."[4] Et: "Jam verò quoad mortuos spectat, nominatim de illis mentio fit, et preces ac sacrificia, Mysteriaque frequentantur."[5]

36. S. Chrysostomus: "Si peccator excessit, propterea etiam lætari oportet quod interscissa sunt peccata, et vitio non adjecit, et quoad fieri potest, succurrere, non lachrymis, sed precibus, et supplicationibus, et eleemosynis, et oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra, eorum qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, et pro ipsis accedimus, rogantes Agnum propositum, qui mundi peccatum tulit, sed ut eis inde aliqua sit consolatio. Neque absque re is qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat; Pro omnibus qui in Christo dormierunt, et iis qui pro ipsis celebrant memorias."[6]

37. S. Ambrosius docet omnes transituros per ignem, quo judicium post mortem statim subeundum indicat. "Omnes oportet transire per flammas, sive ille Joannes evangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum: 'Sic eum volo manere: quid ad te: tu me sequere.' De morte ejus aliqui dubitaverunt; de transitu per ignem dubitare non possumus, quia in paradiso est, nec separatur a Christo. Sive ille sit Petrus, qui claves accepit regni cœlorum, qui supra mare ambulavit, oportet dicat: Transivimus per ignem et aquam, induxisti nos in refrigerium. Sed Joanni cito versabitur igneus gladius, quia non invenitur in eo iniquitas quem dilexit æquitas. Si quid in eo vitii humani fuit, charitas divina decoxit. Alæ enim ejus sicut alæ ignis. Qui habuerit hic charitatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit. Ipsi Petro, qui toties mortem suam pro Christo obtulit, dicet: Transi, recumbe. Sed ille dicet: Igne nos examinavit, sicut examinatur argentum. Etenim in quo aqua

(1) Cat. Myst. v.
(2) Orat. de mortuis.
(3) L. iv. de vita Const. c. lxxi.
(4) Hær. lxxv. quæ est Aerian.
(5) Epos. fidei cath. N. 23.
(6) Hom. xli. in ep. i. ad. Cor.

multa excludere non poterit charitatem, quomodo eam ignis excludet? Sed ille examinabitur ut argentum; ego examinabor ut plumbum; donec plumbum tabescat, ardebo. Si nihil argenti in me inventum fuerit: Heu me, in ultima inferni detrudar, aut ut stipula totus exurar. Si quid inventum in me fuerit auri vel argenti, non per meos actus, sed per misericordiam et gratiam Christi, per ministerium sacerdotii, dicam fortasse ego: Etenim qui sperant in te non confundentur. Illo igitur igneo gladio iniquitas exuretur quæ sedet super talentum plumbeum."[1] Liquet juxta Ambrosium perfectos, instar Joannis et Petri statim evadere; peccatores graviores in inferna detrudi; levioribus culpis maculatos exuri donec evanescant maculæ. Igitur datur purgatorium, quod subeunt animæ statim post mortem, nam judicium jam peractum dicit Ambrosius, affirmans Joannem jam esse in paradiso, Christo conjunctum, ideoque transiisse per ignem, scilicet judicatum esse, quum alias ad regnum non pateat aditus.[2] Porro preces prodesse animabus purgatorium illum ignem patientibus Ambrosio persuasum est, secus pro illis haud oraturus: "Tibi nunc," inquit fratris sui Satyri commendans animam, "omnipotens Deus, innoxiam commendo animam: tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium sacerdotis."[3] Et ad orandum pro anima Valentiniani imperatoris fideles invitavit: "Date cœlestia sacramenta. Piam animam nostris orationibus prosequamur."[4]

38. S. Hieronymus de Paulinæ obitu: "Cæteri mariti super tumulum conjugum spargunt violas, rosas, floresque purpureos, et his officiis dolorem peccatoris consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda, eleemosynæ balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum, 'quod sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.'"[5]

39. S. Augustinus: "Non sunt prætermittendæ supplicationes pro Spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana et Catholica Societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque sub gen-

(1) In Ps. cxviii. Serm. xx. i.

(2) Oxonienses dicunt, recitato hoc testimonio: "It is now sufficiently clear what St. Ambrose's belief was. The only point of approximation between it and the doctrine of Purgatory is this; that he conceived that for all but the highest saints, in whom love dissolved all remaining dross whatever, some transient suffering, more or less in duration, was in store in the day of judgment. And hence the force of the ordinary prayers of the early Church, as based on Scripture, (and described at length by Archbishop Usher, in Tract, No. 72,) that departed believers might have a merciful trial at the last day." Tract 79, p. 35. Falluntur, nam de judicio statim post mortem agit Ambrosius; et Ecclesia semper consuevit orare pro requie et gloria mox tribuenda.

(3) Orat. de obitu Satyri.

(4) Orat. de obitu Valentiniani.

(5) Ep. xxvi. ad Pammachium.

erali commemoratione suscepit Ecclesia."[1] Et "Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari: ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem."[2]

40. Isidorus Hispalensis: "Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia; quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Nam et cum Dominus dicit (Matt. 12.) 'Qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro,' demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, et quodam purgatorio igne probanda."[3]

Probatur III. ex conciliis.

41. Concilium Carthaginense III. decrevit: "Ut sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive episcoporum, seu clericorum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur."[4] Carthaginense IV.: "Pœnitentes qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur."[5]

Probatur IV. ex liturgiis.

32. Omnes liturgiæ antiquissimæ continent preces pro defunctis eo directas ut quietis gaudiique locus iis obtineatur.[6] Hæc consuetudo orandi pro defunctis, quæ ab Apostolorum ætate viguisse noscitur, probat id semper omnibus persuasum fuisse ex Apostolorum doctrina: esse quendam animarum statum, in quo preces viventium iis valeant. Liquet autem

(1) L. de cura pro mortuis c. iv.

(2) Serm. xxxii. de verbis Apostoli.

(3) L. i. de officiis Eccl. c. xviii.

(4) Can. xxix.

(5) Can. lxxix.

(6) Vide Vol. iii. Tract. de Eucharistia c. ii. n. 84. "Let it be recolleeted that we are not disputing the existence in the Ritual of the Church, of the custom of praying for the dead." Oxford Tracts, No. 79. p. 20. "The universal and apparently apostolical custom of praying for the dead in Christ. Ibidem p. 34.

eas prodesse non posse damnatis, nec iis quæ jam gloria fruuntur cælesti. Ergo medius agnoscendus est status, qualem Catholici *purgatorium* vocant.

Probatur V. ex Græcorum et omnium Orientalium consensione.

43. Constat apud Græcos et sectas omnes Orientales vigere morem orandi et offerendi sacrificium pro defunctis, ex certa persuasione animas sic adjuvari et eripi ex statu miseriæ et tenebrarum.[1] "Propterea," inquit Gabriel Philadelphiensis, "Catholica et Apostolica Ecclesia Orientis, et reliquæ omnes nationes quæ illi subjiciuntur, et cum ea concordant, bis in anno Sacrificium Missæ in communi celebrant, et orant pro illis qui pie obdormierunt Orthodoxis Christianis." Hinc Græci cum Latinis in concilio Florentino definierunt: "Si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis Pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis vivorum suffragia."

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

44. *Obj.* 1. Argumentum ex re gesta Judæ Machabæi infirmum est, quum liber sit apocryphus, et exemplum non sit doctrinæ de purgatorio accommodatum, nam decesserant milites gravioris peccati rei, donariis contra legem ablatis.

Resp. Auctoritatem libri jam alias vindicavimus.[2] Præterea ipsi doctissimi adversarii ejus historicam veritatem admittunt, ideoque manet vis probandi, quum consuetudo et fides Judæorum inde pateant. Quod donaria abstulissent, gravioris peccati labes erat; sed de pœnitentia aliquorum saltem in ipso vitæ exitu erat sperandi fundamentum, quum alioquin religionis causa pugnarent. Pro iis tantum qui cum pietate dormitionem acceperant oblatum est sacrificium.

45. *Obj.* 2. Ecclesiastes dicit: "Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit."[3]

Resp. Non constat quid documenti eo loci dare voluerit sacer scriptor; et proinde argumentum certum inde nequit deduci: quapropter Oxonienses fatentur illud perperam purgatorio objici.[4] Cæterum si quis velit illud de

(1) "Their doctrine is said to have been, that the souls of imperfect christians went to a place of darkness and sadness, where they were for some time in affliction, and deprived of the light of God's countenance, in which they were benefited by Eucharistic offerings and by alms." Sic Græcorum in concilio Florentino sententiam exponunt Oxonienses, Tract No. 79. p. 59.

(2) Vol. i. Tract de Verbo Dei c. v.

(3) Eccl. xi. 3.

(4) "Here may be mentioned that unwarrantable application of texts, such as that of John v. 39: 'Search the Scriptures,' in disproof of the Roman doctrine that the Apostles have handed down some necessary truths by Catholic Tradition; or again,

mortuorum statu interpretari, non obstamus, quum revera quisque futurus sit semper qualis discessit, justus vel peccator: quæ enim contingit mora a beatitudine, leviorum culparum causa, non mutat statum perpetuum, qui animæ conditione in vitæ exitu determinatur.

46. *Obj.* 3. Ecclesiastes pariter dicit: "Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas."[1]

Resp. Verbis S. Gregorii M: "Salomon dicit: quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio est apud inferos. Ex quibus constat, quia qualis hinc egreditur quisque, talis in judicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est. . . . Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis actibus, in hac vita positus, ut illic obtineat, promereatur."[2]

47. *Obj.* 4. Christus vitam æternam absque ulla prævia pœna dandam dicit credentibus: "Amen, Amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit a morte in vitam."[3]

Resp. Iis verbis declaratur fidem esse vitæ æternæ principium, adeo ut credens damnationem quam peccando meruerat effugiat, et a morte in vitam transeat. De fide qua quis ad pœnitentiam movetur Christus loquitur, ejusque explicat virtutem, quin neget credenti etiam pœnas aliquando irrogari.

48. *Obj.* 5. "Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos."[4] Non ita apud Catholicos qui eos igne purgatorio cruciandos credunt.

Resp. De martyribus loquitur Joannes: "Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei et fidem Jesu.[5]" Beza id fatetur. Cæterum justi omnes a laboribus hujus vitæ morientes requiescunt, quamvis non omnibus contingat Dei visione statim frui. Fides catholica non exigit ut eos igne cruciari credamus.

49. *Obj.* 6. "Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu."[6]

Eccles. xi. 3. 'If the tree fall towards the south, or towards the north, in the place where the tree falleth, there it shall lie, as a palmary objection to Purgatory." Tract No. 71. vol. iii.

(1) Eccl. ix. 10.
(2) Dial. l. iv. c. xxxix.
(3) Joan. v. 24.
(4) Apoc. xiv. 13.
(5) Ibidem 12.
(6) Rom. viii. 1.

Ergo fideles Christo conjuncti nullam pœnarum in altera vita causam habent, sed per eum omni culpa immunes habentur.

Resp. Apostolus de cupiditatibus quibus reluctatur voluntas egerat, et meritò infert eas nihil afferre præjudicii fidelibus viriliter repugnantibus. Fatetur in homine christiano manere concupiscentiam, sed viro suo spoliatam. Inde tamen nequit inferri justos nullam pœnæ causam habere, quum in multis offendant omnes.

50. *Obj.* 7. Christus paradisi gaudia latroni pœnitenti pollicitus est, ipso quo mortuus est die: at purgatorii pœnas hic, si quis alius, luere debuit.[1]

Resp. Supremo arbitrio potest Christus pœnas peccatis debitas remittere: quod maxime decuit iis in rerum adjunctis, dum eum precaretur latro, et contra alterum sui in suppliciis consortem vindicaret. Ex indulgentia a Christo concessa, dum funderetur sanguis, nequit inferri omnes peccatores statim ac eos pœnituerit omni pœna liberari.

51. *Obj.* 8. Duo tantum recensentur ordines judicandorum: duo loca æterna, Dei regnum, et ignis æternus.[2]

Resp. Utique in die judicii extremi duo tantum erunt ordines, et duo deinceps loca: sed antea justi qui levioribus maculis inquinati discedunt, aliquamdiu detinentur a Deo videndo.

52. *Obj.* 9. Apostolus excludit opem ab aliorum orationibus vel bonis operibus derivandam: "Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum."[3] "Unusquisque onus suum portabit."[4]

Resp. Verbis S. Augustini: "Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari. Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est: Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore?"[5] Et alias: "Unusquisque proprium onus portabit, onus videlicet reddendæ rationis: quia unusquisque nostrum pro se rationem reddet. Non itaque amplius invicem judicemus. Nam quantum attinet ad onera mutuæ charitatis, invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi."[6]

(1) Luc. xxiii. 43.
(2) Matt. xxv. 34.
(3) II. Cor. v. 10.
(4) Gal. vi. 5.
(5) Enchir. c. cx.
(6) L. iii. contra lit. Petil. Donat. c. v.

53. *Obj.* 10. Christus "dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo."[1] Ergo justi in morte saltem ab omni macula et reatu pœnæ eximuntur.

Resp. Testimonium illud probat tantum Christum suo sanguine peccata nostra expiasse; quin tamen inde sequatur nos omni eximi culpa, omnemve effugere pœnam. Sicut igitur qui manet cupiditate prava gravique scelere adstrictus, æternas luiturus est pœnas; ita qui levioribus detinetur culpis mitiora patitur: nullo quippe testimonio probatur culpas omnes pœnasque morienti justo remitti, quem constat nonnumquam sub mortem leviter peccare.

54. *Obj.* 11. Auctor *Hypognostici:* "Primum locum Fides Catholicorum divina auctoritate regnum credidit esse cœlorum: secundum gehennam, ubi omnis apostata, vel a Christi fide alienus, æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus; imo nec esse in Scripturis Sanctis invenimus."[2] Idem tradidit Augustinus ipse.[3]

Resp. Auctor ille, sicut Augustinus, iis locis non agit de temporali statu, sed de æternis statibus beatorum et reproborum: Pelagiani scilicet, quos refellebant, contendebant parvulos absque baptismo decedentes fruituros gloria et felicitate, quamvis in regnum cœleste non ingrederentur. Eos arguens auctor statim subjungit: "Finge, Pelagiane, locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia vitam requiei et gloriæ possidere parvuli possint."

55. *Obj.* 12. Orationes Ecclesiæ, si quid probent, ostendunt ex ipsis inferis damnatos erui posse; in offertorio quippe Missæ pro defunctis dicitur: "libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus."

Resp. Preces illæ piam Ecclesiæ solicitudinem de salute suorum filiorum exprimunt, quæ tanta est ut vehementer desideret neminem in inferna tradi. Liberationem ex inferis damnatorum certe non precatur, quum ipsa doceat supplicia illa esse æterna, nullamque esse ex inferno redemptionem: sed sese veluti præsentem statuit morientibus, funditque preces ne in damnationem æternam incidant. Simul autem orat ut ab omni vinculo delictorum solvantur: quæ oratio ipsis jam defunctis prodest ut leviora impedimenta tollantur. Profecto ex precibus et sacrificiis quæ pro mortuis offert Ecclesia, rite concluditur eos viventium suffragiis adjuvari posse, quum alias hæc omnia forent prorsus supervacanea.

56. *Obj.* 13. De purgatorio dubius hæsit Augustinus.[4] Ergo non est dogmatis auctoritate donandum.

Resp. Augustinus minime dubitavit de purgatorio ipso, seu de statu quodam defunctorum qui temporales luunt pœnas, quique viventium adju-

(1) Apoc. i. 5.
(2) Hypogn. l. v. c. v.
(3) Serm. xiv. de ver. Apost.
(4) Enchir. c. lxiv. et. l. xxi. de civ. Dei c. xxvi.

vantur precibus: "Neque negandum est" (inquit ipse) "defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt."[1] Et inter dogmata Aerii hæretici recensuit, "Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere."[2] Utrum autem Apostoli ad Corinthios sententia[3] de salvandis per ignem, ad purgatorii pœnas referenda foret, anceps hæsit aliquamdiu.[4]

57. *Obj.* 14. Consuetudo orandi pro mortuis orta est ex persuasione animabus beatitudinem nonnisi in die judicii tribuendam: interim tamen credebantur quiete gaudere, nec ulla affici pœna: quod longe differt a purgatorii notione. Ita Oxonienses.

Resp. Consuetudo toti Ecclesiæ communis non potest explicari sententia illa falsa, quæ cum cæteris Vigilantii erroribus sæculo quinto rejecta est. Ostendimus jam ex Scriptura et traditione animas perfectas statim post divortium a corpore, quod morte contingit, beatas fieri, et Dei donari visione. Ipsa quæ aliquamdiu exagitata est sæculo quarto decimo controversia de essentiæ divinæ ante diem judicii visione, beatitudinem earum cum Christo in quæstionem non revocabat. Eas inter et animas levioribus maculis inquinatas discrimen manifestum fit tum in patrum scriptis, tum in liturgiis illarum enim gloria celebratur, et invocatur intercessio; his quies, lux, beatitudo imploratur. Quam propugnamus purgatorii notionem ex patrum scriptis, quibus et Scripturarum sensus illustratur, derivavimus.

58. *Obj.* 15. Varietas sententiarum de purgatorii pœnis, de precum utilitate, et de animarum justarum post mortem statu ante resurrectionem, ostendit nihil certi de iis ex traditione vel Scriptura constare.

Resp. In eo concors omnium est sententia et doctrina, orandum esse pro defunctis, iisque utilitatem magnam ex precibus Ecclesiæ provenire, easque plene purgatas ad beatitudinem tum demum transire. Quod si de pœnarum genere vel ratione non adeo clare vel constanter omnes locuti sint, dogmatis certitudini non obstat, quum de iis nihil tamquam fide credendum tradatur.

59. *Obj.* 16. Purgatorii notio ex Ethnicorum de altera vita fabulis orta est, favente animo in defunctos propenso; sic enim homines instinctu quodam naturæ iis requiem apprecantur.

Resp. Quæ apud Ethnicos leguntur de animarum expiatione ad primævam traditionem merito referuntur, cujus vestigia in omnibus gentibus reperire est. Cæterum ab iis, quæ de purgatorio tenemus haud didicimus; sed christianam sequimur traditionem et fidem, solemni cultu a primordiis Ecclesiæ manifestatam. Non nostræ mentis cogitatione, nec sensu quodam

(1) Enchir. c. ix.
(2) Lib. de Hær.
(3) 1 Cor. iii.
(4) L. de fide et opere c. xvi.

humanitatis ducimur; quamvis dogmatis veritati nihil detrahat quod rationi et sensui humano, divinitus veluti indito, congruat.[1]

60. *Obj.* 17. Purgatorii doctrina virtutem crucis evacuat, Deum animarum, etiam justarum, tortorem facit, et tristia tetraque subeunda exhibet antequam ad cœlum pateat aditus.

Resp. Nihil crucis virtuti detrahitur, docendo non plenam omnibus præstari indulgentiam, sed luendas quandoque a peccatore pœnas, ut toto quo tenebatur reatu liberetur. Profecto non ita pro nobis satisfecit Christus ut omni pœna necessariò simus immunes. Nullum supplicium a Deo irrogatum fides tradit; sed animas levioribus culpis, vel pœnæ debito detineri a Deo fruendo. Cæterum si Theologorum plerorumque placita de igne quo purgantur animæ respiciantur, justitia summa et sanctitas Dei adorandæ erunt, tum in purgandis electis, tum in puniendis impiis. Nulla autem necessitas est purgatorii pœnas luendi, si quis voluerit Deum ardentiori amplecti affectu, et pro viribus divinæ justitiæ satisfacere studuerit: morientibus idcirco non tristia tetraque exhibentur, sed cœli promittuntur gaudia; si tamen ipsi toto cordis affectu Deum quærant et diligant.

61. *Obj.* 18. Turpis lucri studio purgatorium excogitatum videtur, ut Missæ venirent, cœlo nonnisi argento comparando. Ea vero admissa doctrina miseranda est pauperum conditio, divitibus mox liberandis, Missis plurimis pro iis oblatis.

Resp. Orandi pro mortuis et sacrificium pro iis offerendi consuetudo ad ipsum rei christianæ initium refertur, et Apostolos habet auctores, ut nihil nunc dicamus de priori Judæorum consuetudine. Quis autem dixerit lucri studio eam ab Apostolis statutam? Quod ea occasione dentur eleemosynæ in sustentationem sacerdotum, consonum est iis quæ Deus ipse statuit, ut qui inserviunt altari, de altari victum derivent. Quod vero pauperibus deesse videri posset, ex thesauro Ecclesiæ, juxta divina consilia, suppeditatur, quum pro omnibus fidelibus defunctis preces et sacrificia indesinenter offerantur. Divites igitur potioris conditionis vix dici possunt, quum onera secum ferant divitiæ, et sacrificiorum applicatio fiat arcano Dei consilio.

(1) Oxonienses sic se defendunt contra quendam suæ sectæ præconem: "And now I would venture to ask any Clergyman, I would even appeal to yourself, if a Parochial Minister, whether, when you have heard of the death of one of your flock, of whom you hoped well, your first impulse has not been to pray to God to make up to the departed whatever had been deficient in your ministrations? whether (as Luther did) you have not prayed for the perfecting and increased blessedness of a departed friend or relation, even though you have subsequently checked yourself? whether you did not find a comfort from that prayer? and whether this dictate of human nature, warranted as it is by the early church, may not, after all, be implanted by the God of nature—may not be the voice of God within us." Tract 77.

ANIMADVERSIO.

62. Purgatorium esse probavimus: quæ autem animæ ibi detineantur indicavimus, eas scilicet qui levioribus culpis, quas *veniales* vocamus, discesserint inquinatæ, vel quæ haud satis expiaverint peccata graviora pœnitentiæ operibus. De loco, pœnarum genere, vel duratione nihil duximus proferendum, ne fidei limites prætergredi videremur. Cæterum apud Latinos obtinet sententia ignis pœnam irrogandam. Charitas viventium erga defunctos exercetur orando pro eis, offerendo sacrificium, eleemosynas dando, et aliàs divinam iis implorando misericordiam. Indulgentiarum etiam applicatio iis fieri potest, ad modum suffragii.[1] De his alias disseruimus.

(1) Juvat Oxoniensium verba recitare: "There is one other means of escaping the penalties due to sin in Purgatory, which may briefly be mentioned, viz: by the grant of indulgences; these are dispensed on the following theory. Granting that a certain fixed temporal penalty is attached to every act of sin, in such case, it would be conceivable that, as the multitude of Christians did not discharge their total debt in this life, so some extraordinary holy men might more than discharge it. Such are the Prophets, Apostles, Martyrs, Ascetics, and the like, who have committed few sins, and have undergone extreme labours and sufferings, voluntary or involuntary. This being supposed, the question rises, what becomes of the overplus; and then there seems a fitness that what is not needed for themselves, should avail for the brethren who are still debtors. It is accordingly stored, together with Christ's merits, in a kind of treasure-house, to be dispensed according to the occasion, and that at the discretion of the Church. The application of this treasure is called an Indulgence, which stands instead of a certain time of penance in this life, or for the period, whatever it be, to which that time is commuted in Purgatory. In this way, the supererogatory works of the Saints are supposed to go in payment of the debts of ordinary christians." Tract No. 79, 13.]

CAPUT III.

DE IMPIORUM SUPPLICIIS.

Æterna esse impiorum supplicia fides Catholica constanter docuit; idcirco contraria Origenis placita in concilio V., anno 553, dannata sunt. Attamen hodiernis temporibus plurimi ab hoc dogmate abhorrent, et universos prorsus homines salvandos prædicant, post pœnam aliquam, vel nulla pœna irrogata; quapropter *Universalistæ* dicuntur. *Unitarii* plurimi in hoc versantur errore.[1] Rationalistæ quoque Germani, quorum propago in ipsa qua scribimus urbe habetur, idem sentiunt.

PROPOSITIO.

Reproborum supplicia æterna prorsus sunt, adeo ut semel Dei judicio damnati numquam ad salutem perventuri sint.

Probatur I. ex Scripturis.

63. Christus allocuturus est reprobos in judicio extremo: "Discedite a me maledicti in ignem æternum." . . . "Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam."[2] Voces plane significant supplicia perpetua, omni caritura fine:—*τὸ πῦρ τὸ ἀιώνιον—εἰς κόλασιν ἀιώνιον*—tum ignis, tum pœna et supplicium perpetua dicitur. Sicut vita æterna felicitatem absque termino designat, ita supplicium æternum pœnam absque fine. Sententia profertur in rerum omnium consummatione: ergo respicit perpetuam inde secuturam conditionem.

64. Alias sæpe tradit Christus perpetua fore impiorum supplicia: "Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur."[3] Liquet de valle Hinnom quæ adjacebat Hierosolymis, ubi cadavera com-

(1) "*Unitarians as a body universally* believe in the future punishment of the wicked. By a very large number this punishment has been considered eternal. By others it is supposed to be limited in duration, but to be severe and dreadful, according to the representations of the Scriptures, and in proportion to the sins of each individual." Unitarian Miscellany, vol. ii. p. 26.

(2) Matt. xxv. 41. 46.

(3) Marc. ix. 42.

buri solebant, hic non esse sermonem; sed de alterius vitæ suppliciis quæ —τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον—designantur. Eorum perpetua duratio verbis magis perspicuis enuntiari non poterat.

65. De iis "qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi" dicit Apostolus: "pœnas dabunt in interitu æternas—οἵτινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον ἀιώνιον—a facie Domini, et a gloria virtutis ejus: cum venerit glorificari in sanctis suis."[1] Voces sempiternam perditionem plane designant.

66. S. Joannes dicit: "diabolus missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum."[2] Illa supplicia utique perpetua minatur angelus bestiæ cultoribus: "Si quis adoraverit bestiam . . . cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni: et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum."[3] Hæ voces tempora absque fine, ævum perpetuum, denotant: nec aliquid occurrit, quo earum arctetur significatio.

Probatur ex traditione et fide perpetua Ecclesiæ.

67. Epistola nomine Ecclesiæ Smyrnensium de Polycarpi martyrio scripta, circa annum 166, laudat martyres "unius horæ spatio se ab æterna pœna redimentes. Frigidus ipsis videbatur immanium carnificum ignis. Ob oculos quippe habebant, illum effugere qui æternus est, numquamque extinguetur."—το αἰώνιον καὶ μηδεποτε σβεννυμενον.[4]

68. Justinus M. a Christo scelestos puniendos dicit, "Similiter quidem Plato improbos, cum ad Minoem et Rhadamanthum venerint, punitum iri ab illis dixit: Nos autem idem illis eventurum dicimus, sed a Christo; idque existentibus in iisdem corporibus, una cum suis animabus, ut pœna æterna puniantur, non mille annorum, ut iste dixit, circuitu definita."[5]—και τοις αυτοις σωμασι μετα των ψυχων γινομενων, και αιωνιαν κολασιν κολασθησομενων, αλλ' οχι χιλιονταετη περιοδον, ως εκεινος εφη, μονον.—Docemus "unumquemque ad æternam sive pœnam, sive salutem pro meritis actionem suarum proficisci. Si hæc cognita omnibus hominibus essent, nemo vitam ad breve tempus eligeret, cum se ad æternam ignis condemnationum proficisci sciret."—εκαστον επ' αιωνιαν κολασιν ἠ σωτηριαν κατ' αξιαν των πραξεων πορευεσθαι. ει γαρ οι παντες ανθρωποι ταυτα εγινωσκον, εκ ων τις την κακιαν προς ολιγον ηρειτο, γινωσκων πορευεσθαι επ' αιωνιαν δια πυρος καταδικην.[6] "Qui improbe vivunt nec immutantur, eos igne æterno credimus puniri"—κολαζεσθαι δε τους αδικως και μη

(1) II. Thess. i. 9.
(2) Apoc. xx. 9.
(3) Apoc. xiv. 9. 10. 11.
(4) Ep. n. 2. p. 196. vol. ii. Patr. Apost. a Cotelerio, ed. a Joanne Clerico Amstelædami an. 1724.
(5) Apost. i. (alias ii.) n. 8. p. 128. vol. i. ed. Wire.
(6) Ib. n. 12. p. 132.

μεταβαλλοντας. ἐν αἰωνιῳ πυρι πιςευομεν.[1] "Apud nos enim princeps malorum dæmonum serpens vocatur, et satanas, et diabolus, ut potestis ex literis nostris scrutando perspicere. Hunc Christus præmonstravit cum ipsius exercitu et assectantibus hominibus in ignem missum iri, ut in infinitum ævum excrucientur."—ὃν εἰς το πυρ πεμφθησεσθαι μετα της αὐτυ στρατιας και των ἑπομενων ἀνθρωπων, κολασθησομενους τον ἀπεραντον ἀιωνα, προεμηνυσεν ο Χριςος.[2]—Christifidelium persecutoribus, et "omnibus injusto odio indulgentibus nec pœnitentiam agentibus, æternum per ignem supplicium" servari docet—κολασιν δια πυρος ἀιωνιον.[3] Refert mulierem ad fidem conversam Ethnico marito Christianam doctrinam exponentem, libidinose viventibus "in æterno igne supplicia" denuntiasse—ἐν ἀιωνιῳ πυρι κολασιν ἀπαγγελλουσα.[4] Dæmonibus et eorum cultoribus in æterno igne supplicium servari dicit, ex prophetarum et Jesu Christi doctrina—"ἐν πυρι ἀιωνιῳ κολασεως ὑτως γαρ και οἱ προφηται παντες προεκηρυξαν γενησεσθαι, και Ιησους ὁ ἡμετερος διδασκαλος ἐδιδαξε.[5] Cum Tryphone disserens ait: "alii quidem in judicium et condemnationem ignis perpetuo cruciandi mittentur." οἱ μεν εἰς κρισιν και καταδικην τε πυρος απαυςως κολαζεσθαι πεμφθωσιν.[6]

69. S. Irenæus: "Quoniam quidem transgressoribus ignis æternus præparatus est, et Dominus manifeste dixit, et reliquæ demonstrant Scripturæ. Et quoniam præsciit Deus hoc futurum, similiter demonstrant Scripturæ, quemadmodum et ignem æternum his qui transgressuri sunt, præparavit ab initio."[7]

70. Theophilus Antiochenus suadet Autolyco ut credat resurrectioni, "ne si nunc incredulus fueris, credas tunc suppliciis cruciatus æternis. Quæ supplicia cum prædicta a prophetis fuissent, &c."—ἀπιωμενος τοτε ἐν ἀιωνιοις τιμωριαις. ὧν τιμωριων προεφρημενων ὑπο των προφητων."[8]

71. Tertullianus Ethnicos antistites alloquens dicit: "Enim vero nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, meritò soli innocentiæ occurrimus, et pro scientiæ plenitudine, pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus, *non diuturni, verum sempiterni*, eum timentes."[9] Inde corporis resurrectionem probat quod cum anima in æternum puniendum sit: "Si quis occisionem carnis atque animæ in gehennam, ad interitum et finem utriusque substantiæ arripiet, non ad supplicium, (quasi consumendarum, non

(1) Apol. i. (alias ii.) n. 21. p. 152.
(2) Ib. n. 28. p. 160.
(3) Ib. n. 45. p. 186.
(4) II. Apol. alias i. n. 2. p. 236.
(5) Ib. n. 8.
(6) Dial. cum. Tryph. n. 45. p. 116.
(7) L. ii. ad. hær. c. xlix.
(8) L. i. ad. Autolyc. n. 14. p. 182. ed. Wirc.
(9) Apologetic. c. 45.

quasi puniendarum) *recordetur ignem gehennæ æternum prædicari in pœnam æternam.*"[1]

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

72. *Obj.* 1. Doctrina de æternis impiorum suppliciis tota nititur vocibus αἰων et αἰωνιος, quæ ævum, vel tempus diuturnum significant.—επ'αιωνα, και ετι Exod. xv. 18. Dan. xii. 3. Mic. iv. 5. "Omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum et ultra:"—εἰς τον αἰωνα, και ἐπ'ἐκεινα.[2] Prætera quinquies tantum in novo Testamento voces hæ de impiorum suppliciis adhibentur: vix autem dogma tanti momenti vocibus ambiguis raro usurpatis probari potest.[3]

Resp. Doctrina hæc ex prædicatione et traditione perpetua Ecclesiæ claret, et plurimis fulcitur scripturæ testimoniis. Quod ad voces illas attinet, ævum, æternitatem plerumque designant, quamvis nonnumquam ad tempus diuturnum referantur.[4] Cæterum dum agitur de impiorum suppliciis, quæ adjunguntur amplissimam postulant explicationem. "Quale est, æternum supplicium pro igne diuturni temporis existimare, et vitam æternam credere sine fine? cum Christus in eodem ipso loco, in una eademque sententia dixerit, utrumque complexus: 'sic ibunt isti in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.'"[5] Quod ad textuum numerum spectat, satis est ut vel semel tradatur veritas.[6] Cæterum non sola nitimur Scriptura; sed perpetua fide ab Apostolorum temporibus ubique vigente, cujus testes insignes adduximus.

73. *Obj.* 2. Ex eo quod vita æterna dicatur et supplicium æternum, non sequitur eadem amplitudine vocem illam utroque loco prædicari, nam alias dicitur: "contriti sunt montes sæculi. Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.[7] שְׁחוּ גִבְעוֹת עוֹלָם הֲלִיכוֹת עוֹלָם לוֹ —ἐτάκησαν βουνοὶ τοῦ αἰώνος αἱ ὁδοι αἰωνιαι αυτου.—Colles non sunt æterni eadem ratione qua Dei viæ. Præterea κολασις pœnam qua corrigatur et emendetur quis denotat; et proinde æterna esse non potest.

Resp. Objecto loco ipsi montes sæculi dicuntur itinera Dei, ideoque eodem prorsus sensu vox Hebraica עוֹלָם, et Græca αἰων in utraque sententiæ parte usurpatur: vates scilicet vetustos montes veluti Dei itinera pingit, poetarum more. Cæterum in loco Matthæi justorum et impiorum

(1) De Resur. carn. c. 35.
(2) Chauncy's Salvation for all men p. 263.
(3) Unitarian Miscellany Vol. 2. p. 31. Note et Vol. vi. p. 126.
(4) Joan. viii, 35. Gen. xvii. 8. Exod. xl. 15.
(5) Aug. l. xxi. de civ. Dei. c. xxiii.
(6) Alias enumerantur tredecim, quarum undecim in novo Testamento reperiuntur, *Unitarian Miscellany* Vol. vi. p. 125.
(7) Hab. iii. 6.

adversa conditio exhibetur; et quum beatitudo illis in præmium a judice tributa, dicatur æterna, et pœna etiam impiis irrogata æterna quoque nuncupetur, nulla interpretationis justæ regula sinit ut diversimode explicetur. "Nam si æterni supplicii aliquando finis est futurus," animadvertit optime Basilius M., "omnino habebit et vita æterna finem. Sin in vita non sic evangelici dicti sensum accipimus, quæ ratio est statuendi finem supplicio æterno? Æterni enim adjunctio pariter in utroque ponitur. 'Ibunt enim hi,' inquit, 'in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.'"[1] Quod ad vocem κολασις pertinet, pœnam suppliciumque denotat, nec necessariò ad correctionem refertur, quamvis pœnæ in hac vita irrogatæ ad hunc finem plerumque referendæ sint.

74. *Obj.* 3. Psaltes dicit: "Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?"[2] Alias: "Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur."[3] Isaias: "congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur."[4] Apostolus: "Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem."[5]

Resp. Psaltes graviter afflictus Deum aliquando sibi propitium futurum confidebat: "in die tribulationis meæ Deum exquisivi. . . . Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum." Cæterum si quis malit verba ejus ad vitam alteram referre, non repugnamus; spem scilicet enuntiat se haud fore a Deo ob peccata, quorum illum pœnitebat, in æternum repellendum. De ira minisque iis qui in hac vita versantur intentatis altero loco agit, Dei efferens misericordiam, qui haud semper se præbet adversum vel minacem; sed indulgentia summa hominum remittit peccata: "Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis." Isaias loco objecto justitiæ divinæ exercitium in dæmones et homines inpios semper continuandum dicit. "Hoc verò loco," animadvertit ipse Rosenmüller "quum proxime (vs. 23.) Iova regnaturus dicatur, verbum יִפָּקֵדוּ haud dubie de *pœna* est intelligendum, ut infra 29,6. Sensus est, sceleratos illos, quos divina justitia in carcerem conjecerit, post multos etiam dies fore torquendos, i. e. numquam futurum esse pœnarum terminum. Ita Aben-Ezra: *sensus est, malum hoc protrahendum esse*, dum ipsi, inclusi carceri, ibi pœnæ loco essent detinendi."[6] De Apostoli loco objecto diximus, de purgatoriis

(1) S. Basil. in regulis compendio traditis inter. 267.
(2) Ps. lxxvi.
(3) Ps. cii.
(4) Isai. xxiv. 22.
(5) 1 Cor. iii. 15.
(6) Rosenmüller in loc.

pœnis disserentes. Liquet de reprobis non esse sermonem, sed de iis qui supra fundamentum lignum, fœnum et stipulam ædificant, scilicet de iis qui doctrina fidei servata, vana quædam tradunt, vel qui in leviores incidunt culpas.

75. *Obj.* 4. Ignis inextinguibilis in Scripturis haud denotat ignem perpetuum, nam minatur Deus sabbatum violantibus se ignem in portis Jerusalem accensurum qui non extinguetur ;[1] quod significat incendium quod durabit donec urbs fuerit penitus consumpta. Sic et per Ezechielem.[2] Isaias Idumæis minatur iisdem vocibus quibus utitur Joannes de impiorum suppliciis : " quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion. Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur : et erit terra ejus in picem ardentem. Nocte et die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus."[3] Liquet hæc ad literam non esse accipienda, sed Dei magnam ultionem designare.[4]

Resp. Voces eaedem non ubique eandem obtinent vim, ex adjunctis enim sæpe pendent. Ignis qui non extinguetur apud Jeremiam et Ezechielem denotat incendium totius urbis. Idumææ desolatio ab Isaia depingitur, mutuatis imaginibus a Sodomis incendio consumptis. Cæterum licet prophetarum descriptiones non sint ad litteram urgendæ, Christi verba de igne numquam extinguendo, et de igne supplicioque æterno, non possunt idcirco ad temporalem pœnam referri : hic enim, Magister et judex, proprie loquitur, illi poetarum more vehementioribus vocibus, et vividioribus imaginibus utuntur. Quæ occurrit similitudo inter Joannis verba et vatum, probabilem præberet rationem illa pari ratione interpretandi, nisi adjuncta discrimen ostenderent ; agit enim ille de cruciatibus alterius vitæ post rerum mundanarum finem.

76. *Obj.* 5. Ignis metaphorice adhibetur, ut conscientiæ remordentis cruciatus indicetur, qui et vermis semper rodentis figura significatur ; ergo æternitas suppliciorum ex ignis æterni metaphora haud certò infertur.

Resp. Quidqnid sit de metaphora, constat pœnam summam vehementemque cruciatum utraque voce designari : quapropter adductis Christi Domini verbis, exclamat Augustinus : " Non eum piguit uno loco eadem verba ter dicere : quem non terreat ista repetitio, et illius pœnæ comminatio tam vehemens ore divino ?"[5] Vocibus illis corporis cruciatus significari putat : " facilius est ut ad corpus dicam utrumque pertinere, quam neutrum ; et ideo tacitum in illis divinæ Scripturæ verbis animi dolorem, quoniam consequens esse intelligitur, etiamsi non dicatur, ut corpore sic dolente animus quoque sterili pœnitentia crucietur."[6] Æternitas pœnarum

(1) Jer. xvii. 27.
(2) Ezech xx. 45. 48.
(3) Isaiæ xxxiv. 8.
(4) Unitarian Miscellany vol. vi. p. 136.
(5) L. xxi. de civ. Dei c. ix.
(6) Ibidem.

non pendet ex voce unica vel ambigua; sed ex claris testimoniis, suffragante traditione perpetua.

77. *Obj.* 6. Pii doctique homines, in Scripturis exercitatissimi, pœnas æternas negarunt. Sic Origenes, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, imo et Hieronymus.

Resp. Origenis quidem scripta huic errori favent: sed eruditi hominis ingenio nimis fidentis auctoritas vetustæ fidei et concordi aliorum doctrinæ prævalere nequit. Gregorii Nysseni opera ab Origenistis corrupta fuisse olim contendit S. Germanus Constantinopolitanus.[1] Habetur autem ejus testimonium de sempiternis impiorum pœnis in oratione *in eos qui differunt baptisma*, quibus omnem tollit salutis spem: "Cum non sit obsignata" anima, eam exhibet "frustra deflentem et inutiliter pœnitentem, non secus atque divitem qui induebatur purpura et bysso, quemque lautus, ac delicatus omnis generis cibus alebat materiam ignis qui non potest extingui." Nazianzenus catholico sensu locutus est de igne, vitii omnis levitatem absumente,[2] eum enim sempiternum agnovit: "Omnibus his formidabilior ignis, cum insomni illo verme conjunctus est, nec unquam extinguitur, verum in sceleratorum hominum pœnam, perennis est et sempiternus."[3] Quod autem addit: "nisi tamen hoc quoque loco quispiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum est, intelligendum putet;" de pœnarum acerbitate, potius quam duratione explicandum est. Profectò de damnatis ait: "Hos autem simul cum aliis, vel potius ante alia istud excruciabit, quia a Deo projecti sint, atque inustam in conscientia sempiternæ ignominiæ notam gerant."[4] Ambrosius hominum flagella a diaboli et ministrorum ejus pœna distinguit, quatenus illa ad emendationem diriguntur, quæ scilicet in vita hac irrogantur: "ideo dives ille in Evangelio, licet peccator, pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius possit evadere."[5] De divite quem Deus monuit ipsa nocte eum moriturum esse, loquitur, non de illo qui sepultus est in inferno: ibidem enim ait: "Christus suos castigat, quos diligit: alienos, tamquam generali damnatione impietatis adstrictos, pœna damnat æterna." Lapsam virginem alloquens ait: "Ego tamen qui scio graviora facinorosis servari tormenta, et sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed æternos; aliis te volo cruciatibus affici, profuturis utique, non animam perdituris."[7] Hieronymus arguit Pelagianos, quod peccatores Christianos eidem, cum Ethnicis, damnationi subjicerent, quum plurimis flagellis illos ad se revocet Deus: "Peccatum autem et iniquitas, pro qualitate vitiorum, post peccati

(1) L. cui titulus, Retribuens et legitimus.
(2) Orat. xxxix. in s. lumina.
(3) Orat. xl.
(4) Orat. 15.
(5) In Ps. cxviii. Serm. xx. n. 2.
(6) L. de Virg. laps. c. 8

et iniquitatis vulnera, accipit sanitatem. Unde scriptum est (Psalmo 31) 'Multa flagella peccatoris:' et non interitus sempiternus: et per omnia flagella atque cruciatus emendatur Israel."[1] "Peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, et mixtam clementia sententiam judicis."[2] Hæc suppliciorum æternam durationem non excludunt, sed christianis plurimas rationes purgandi delicta a Deo præberi innuunt, nec totam irrogari pœnam quam merentur, juxta justitiæ rigorem. Profectò Hieronymus alias dicit: "Sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui præparatus sit diabolo et angelis ejus, et de his dici: Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur."[3] "In eo peccator maledictus erit, quod, incorrupto corpore, pœnas patiatur æternas."[4]

78. *Obj.* 7. Pugnat cum Dei attributis suppliciorum æternitas. Deus summe bonus creaturas felices esse necessario optat: summe sapiens adhibuit subsidia quibus tanta felicitas illis certo comparetur: summe potens omnia procul esse jussit, quibus benefica ejus consilia in irritum mitterentur. Quomodo posset condere creaturam æternæ miseriæ obnoxiam? Quomodo posset vitam tribuere, quæ parvo excepto intervallo, dum in terris quis versatur, summo foret in ævum cruciatui?[5]

Resp. Bonitas infinita Dei in vita largienda exercetur, sicut et in tribuendis subsidiis quibus quis felix evadere possit. Sapientia divina in iis eligendis quæ tanto fini conveniant ostenditur: potentia etiam in iis amovendis obicibus quos adversa aliqua vis objiciat. Cæterum hæc non exigunt ut creatura rationalis libertate careat, quæ procul dubio insigne est donum; vel ut ejus abusus copiosissimis prorsus subsidiis divinis impediatur. Ipsa Dei libertas, quæ summa et necessaria perfectio est, exigit ut possit pro arbitrio suo dona majora vel minora tribuere: suprema ejus majestas postulat a creatura rationali et libera obsequium; et justitia, quæ illi, æque ac cæteræ perfectiones, convenit, injuriam illatam puniendam ostendit. Condendo creaturam æternæ felicitatis capacem, se bonum beneficumque probat Deus: quod autem æternæ miseriæ sit obnoxia, ex ejus libertate contingit, nullo cum divinæ bonitatis detrimento; nec enim aliqua necessitate in tantum malum incurrit. Vita est præclarum donum, quod ex facultate adipiscendi felicitatem perpetuam valde augetur. Si igitur per breve tantum intervallum quis felix sit, sibi est tribuendum.

79. *Obj.* 8. Pœna omnis juste irrogata ad correctionem peccantium dirigi debet: alias foret vindicta, quæ summo et optimo Deo indigna est. Jam verò correctis peccatoribus, tollitur omnis causa pœnas irrogandi: igitur hæ desinant necesse est.

(1) L. i. dial. adv. Pelag.
(2) In calce Comm in Isaiam.
(3) Comm. in c. iii. Jonæ.
(4) Comm. ad c. lxv. Isaiæ v. 20.
(5) Unitarian Miscellany, vol. vi. p. 116.

Resp. Pœna delicti est punitio, et justitiæ exercitium, ideoque haud necessariò ad emendationem dirigitur. Ea est peccati turpitudo, ut puniri debeat, sive emendationis spes subsit, sive peccator delicto pertinax inhæreat. Vindicta hæc, quæ sanctitate et justitia divina innititur, Deum maxime decet, scelerum utique ultorem: "Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus."[1] Numquam autem corriguntur reprobi, quippe quorum voluntas in malo est obfirmata, elapso pœnitentiæ spatio, quod justissimo Dei judicio intra hujus vitæ limites continetur. Manet igitur semper pœnæ causa, voluntas scilicet a Deo aversa.

80. *Obj.* 9. Inter delictum et pœnam proportio servanda est: jam verò delictum temporis momento plerumque admissum nullam habet cum cruciatibus æternis proportionem.

Resp. Gravitas delicti temporis spatio quod in eo patrando impenditur, non est dimetienda, sed re ipsa, et animi voluntate. Inter homines graviori sæpe puniuntur supplicio quæ temporis momento admissa sunt, v: g: homicidia, quam quæ per diuturnum spatium. Quod ad peccati gravitatem attinet, infinita quædam Deo irrogatur injuria, dum creatura, beneficiorum oblita, legem negligit et violat, cum supremæ majestatis dispendio. In peccatore pertinaciter crimini inhærente reperitur voluntas semper peccandi: ipsaque semel in malo morte obfirmata nequit ad Deum converti, nihilque exhibet quod eam a pœna in quam incurrit liberandam suadeat.

81. *Obj.* 10. Ab omni humanitatis sensu abhorret ut quis diris in ævum crucietur suppliciis: a divina erga homines pietate procul esse debet; quis enim pater filiorum delectetur cruciatu? Carnificem potius quam patrem Deum exhibent qui inferorum æterna prædicant supplicia.

Resp. Judicia divina nobis in Scripturis sanctis, et Ecclesia docente, patefacta, sunt attendenda; non noster in iis scrutandis sensus sequendus. "Humano errat affectu," qui peccatorum pœnas leviores æstimat, et "tanto invenitur errare deformius, et contra recta Dei verba perversius, quanto sibi videtur sentire clementius."[1] Deus quidem pater benignissimus morte peccatoris vel ejus pœna non lætatur; sed judex quum sit sanctissimus et æquissimus, odit et punit quidquid a sanctitatis norma est alienum. Attamen necesse non est eum concipere pœnas irrogantem; nam ex ipsa peccatorum conditione, quum procul sint a regno cœlorum, vehemens oritur dolor, qui, omnibus fatentibus theologis, est maximus damnatorum cruciatus, *pœna damni* dictus. Quæ autem supplicia ignis nomine in scripturis designantur, non satis feliciter quis explicuerit; nec enim igni quo fovemur est similis. Cæterum carceris ipsius ut ita loquamur, adjuncta haberi possunt quæcumque sint externa damnatorum supplicia, quin Deus ea inferens concipiatur.

(1) Rom. xii. 19.
(2) Aug. l. xxi. de civ. Dei c. xvii.

82. *Obj.* 11. Si æterna sint damnatorum supplicia, æque puniuntur qui semel lapsi fuerint, et qui totam vitam omni scelerum genere se inquinaverint.

Resp. Minime. Duratio est eadem, sed non doloris vis et cruciatus. "Nequaquam tamen" animadvertit optime Augustinus, "negandum est, etiam ipsum æternum ignem pro diversitate meritorum quamvis malorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor pro pœna digna cujusque varietur, sive ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur."[1]

ANIMADVERSIO.

83. De genere suppliciorum quibus puniuntur damnati, nullam definitionem protulit Ecclesia, quæ tamen Scripturæ voces constanter adhibet. Huic insistendum exemplo, et de iis eædem adhibendæ voces, quin ad litteram omnes pressius urgeantur. Pœnæ statim decedentibus in peccato mortali irrogantur, juxta illud Evangelii: "mortuus est dives, et sepultus est in inferno."[2] "Excipit impios," inquit S. Hilarius, "statim ultor infernus, et decedentes de corpore confestim de via justa peribunt. Testes nobis sunt Evangelii dives et pauper."[3] Quod autem in judicio Christus dicturus sit: "Discedite a me maledicti in ignem æternum," ad omnium reproborum sortem decernendam refertur, qui corpore et animo sunt cruciandi in ævum, quum singulorum animæ antea pœnas tantum luant. In parabola divitis de linguæ cruciatu fit mentio; sed singulæ parabolarum circumstantiæ non sunt urgendæ, quoties aliunde certo constat eas ad litteram non esse accipiendas.

(1) August. de civ. Dei. l. xxi c. xvi.
(2) Luc. xvi. 22.
(3) In Ps. ii.

CAPUT IV.

DE CORPORUM RESURRECTIONE.

84. Corpora nostra sub finem mundi suscitanda fides docet, quippe quæ justissimo Dei judicio, animæ gloriæ vel pœnæ consortium in ævum initura sunt. Fuerunt quidem ipsa Apostolorum ætate qui hoc dogma negarent, "dicentes resurrectionem jam esse factam."[1] Basilides Alexandrinus, qui Glauciam interpretem Petri se magistrum habuisse gloriabatur, id etiam impugnavit.

PROPOSITIO.

Corpora omnium hominum in mundi fine resuscitabuntur, animabus iterum socianda, nexu indissolubili.

85. *Probatur I. ex Scriptura.* Job inter ærumnas suas se spe resurrectionis solatur: וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ־זֹאת וּמִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי וְעֵינַי רָאוּ וְלֹא־זָר כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֵקִי. Testimonium hoc præclarum a Vulgato interprete redditur. "Scio enim quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo."[2] Hæc nullam ambiguitatem relinquunt, certam enim indicant fiduciam, Job in ipsa qua tunc induebatur carne, Deum oculis suis visurum. Textus quidem eundem præsefert sensum, quamvis voces nonnullæ clarius enuntiatæ sint in versione Vulgata. Eam reddit Rosenmüller: "Ego novi vindicem meum viventem: et postremum super pulvere staturum," quod explicat de cura quam ipsius in pulvere jacentis gesturus erat: "et post cutem meam *consumptam* corroserint consumentes hoc, *corpus*, tamen e carne mea videbo Deum; quem ego videbo mihi, et oculi mei vident, nec alius: consumuntur renes mei in sinu meo, *præ vehementi Deum videndi desiderio.*" Plurimum laborarunt Rationalistæ ut verborum horum vim elevarent, sed irrito conatu, judice ipso Rosenmüller:

(1) II. Tim. ii. 17.
(2) Job. xix. 25.

"Jobus spem, quam fovebat, se oculis corporis sui instaurati adspecturum esse Deum, verbis clarissimis declarat." . . . . "Non est cur negemus Jobum spem illam, quam simplex verborum suorum sensus prodit, apud se aluisse, mortis suæ somnum non æternum fore, sed ab ipso Deo se aliquando expergefactum iri, et futurum esse, ut Deus mortuo ipsi advigilare non desinat, ipsum olim in vitam revocatum ut amicum amice recepturus."[1]

86. Hanc fidem Judæis communem fuisse, Sadducæis exceptis, ex Evangelio colligitur,[2] quapropter ex divinitus tradita revelatione manasse censenda est. De morte Lazari flenti Marthæ dixit Christus: "resurget frater tuus;" respondit ipsa: "Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die."[3]

87. Apostolus Paulus clarissime resurrectionem corporum proponit et inculcat tamquam fidei præcipuum quoddam dogma: "Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit." . . . "Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. . . . Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. . . . Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima turba: canet enim tuba, et resurgent incorrupti: et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: et mortale hoc induere immortalitatem."[4]

88. *Probatur II. ex Symbolo Apostolico*, in quo *Carnis resurrectionem* profitemur. Sic etiam Symbolum Constantinopolitanum: *Expectamus resurrectionem mortuorum.*

Probatur III. ex Patrum testimoniis.

89. S. Justinus de Christo dicit: "Duplicem siquidem ejus adventum et præsentiam prænuntiarunt Sancti Vates: unam quidem jam exhibitam ut despecti et passionibus subjecti hominis: secundam autem, quando e cœlis cum gloria et Angelica militia sua adveniet, aderitque; cum omnium etiam, qui unquam extitere, mortalium corpora suscitabit; atque dignos quidem induet natura corruptibilitatis universæ experte: injustos autem in perpetuo sensu, una cum malis gentis, in ignem mittet sempiternum."[5]

90. Athenagoras librum de *resurrectione mortuorum* scripsit, et ex

(1) In locum.
(2) Matt. xxii. 23.
(3) Joan. xi. 24.
(4) I. Cor. xv. 12. 35.
(5) Apol. 2.

Apostoli auctoritate eum veluti divinum dogma vindicavit, difficultatibus et objectionibus diligenter excussis: ἐνδηλον πάντι το λειπομενον, ὁτι δει κατα τον ἀποςολον, το φθαρτον τουτο και διασκεδαςον ἐνδυσασθαι αφθαρσιαν, ἱνα ζωοποιηθεντων ἐξ ἀναστασεως των νεκρωθεντων, και παλιν ἑνωθεντων των κεχωρισμενων, ᾗ και παντη διαλελυμενων, ἑκαςος κομισηται δικαιως ἁ δια του σωματος ἐπραξεν, ἐιτε ἀγαθα, ἐιτε κακα. —"Quod superest cuique perspicuum est, oportere secundum Apostolum hoc corruptibile et dissipabile induere corruptionem, ut vivificatis ex resurrectione iis, quæ mortua erant, et rursum conjunctis quæ separata, aut etiam omnino dissoluta, meritò quisque referat quæ per corpus gessit, sive bona, sive mala."[1]

91. Theophilus, sextus Antiochenæ Ecclesiæ episcopus, anno 168 consecratus, ad Autolycum Ethnicum scribens, carnem cum anima post resurrectionem, immortalem et beatam famulis Dei futuram affirmat: ὁταν ἀποθη το θνητον, και ενδυσῃ την ἀφθαρσιαν, τοτε ὀψει κατ' αξιαν τον θεον. ἀνεγειρει γαρ σε την σαρκα ἀθανατον συν τῃ ψυχῃ ὁ θεος. . . . . Αλλα ἀπιςεις νεκρους ἐγειρεσθαι. ὁτε ἐςαι, τοτε πιςευσεις θελων και μη θελων. "Cum mortalitatem deposueris et immortalitatem indueris, tunc Deum pro meritis videbis. Excitabit enim tuam carnem cum anima immortalem Deus. . . . Sed mortuos excitari non credis. Cum res eveniet, tunc credes, velis nolis."[2] Plura congerit ut fidem de resuscitandis corporibus suadeat, deinde subjungens: ταυτα δε παντα ἐνεργει ἡ τȣ θευ σοφια, ἐις το ἐπιδειξαι και δια τουτων, ὁτι δυνατος ἐςιν ὁ θεος ποιησαι την καθολικην ἀναςασιν απαντων ἀνθρωπων. "Hæc autem omnia operatur divina sapientia, ut vel ex his demonstret posse Deum generalem omnium hominum resurrectionem perficere."[3] Se aliquando incredulum fidem ex attenta horum consideratione et prophetarum lectione concepisse profitetur. Μη οὐν ἀπιςει, αλλα πιςευε. και γαρ ἐγω ἠπιςουν τουτο ἐσεσθαι, ἀλλα νυν κατανοησας ἀυτα πιςευω, ἁμα και ἐπιτυχων ἱεραις γραφαις των ἁγιων προφητων. "Ne sis igitur incredulus, sed potius crede; nam et ego non credebam id futurum, sed nunc credo postquam hæc attentius consideravi; simul quod in Sacras Scripturas incidi Sanctorum Prophetarum."[4]

92. S. Irenæus carnis resurrectionem plurimis tuetur argumentis: "Vani autem omnimodo, qui universam dispositionem Dei contemnunt, et carnis salutem negant, et regenerationem ejus spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem secundum hæc videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus (est,) neque panis quem frangimus, communicatio corporis ejus est. Sanguis enim non est, nisi a venis et carnibus, et a reliqua quæ est secundum hominem substantia, qua vere factum verbum Dei, sanguine suo redemit nos. Quemadmodum et Apostolus ejus ait: 'In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, et remissionem pec-

(1) Athenag. de resur. mort. n. 19.
(2) Ad Autolycum l. i. n. 7. 8.
(3) N. 13.
(4) N. 14.

catorum.' Et quoniam membra ejus sumus, et per creaturam nutrimur: creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens, et pluens quemadmodum vult: eum calicem, qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem: et eum panem qui est a creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo et mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine et corpore Christi nutritur, et membrum ejus? Quemadmodum et Beatus Apostolus ait in ea quæ est ad Ephesios epistola: 'Quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus:' non de spirituali aliquo et invisibili homine dicens hæc: spiritus enim neque ossa neque carnes habet, sed de ea dispositione quæ est secundum verum hominem, quæ ex carnibus et nervis et ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis ejus, nutritur: et de pane, qui est corpus ejus, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram et dissolutum, multiplex surgit, per Spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in visum hominibus veniunt, et percipientia verbum Dei, Eucharistia fiant, quod est corpus et sanguis Christi; sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris."[1]

93. Tertullianus quoque *de resurrectione carnis* librum scripsit, qui incipit: "Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum." Impugnat hæreticos qui animam immortalem fatentes carnem negabant suscitandam: "Ita dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animæ; aspernati carnem, sicut et ipsum Dominum carnis."[2] Pergit ostendere inter utrumque errorem nexum, scilicet quod negent Christum veram habuisse carnem, qui negant humanam carnem cum anima aliquando glorificandam. "Adeo non erit Christianus, qui eam negabit, quam confitentur Christiani." Plurimis Scripturæ testimoniis, et gravissimis rationibus dogma de resurrectione comprobat.

Ex his aliisque capitibus liquet resurrectionem carnis ab initio traditam, et inter præcipua dogmata repositam, nec ullatenus ex millennii fabula pendere: Athenagoras enim, Irenæus, Tertullianus aliunde eam probant.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

94. *Obj.* 1. De sui in pristinam conditionem felicem restitutione locutus est Job, vehementiori usus stylo, se veluti a morte revocandum dicens.

Resp. Verba vehementiora sunt quam quæ eam excipiant explicationem: et plurima suadent eam spem Job non affulsisse: "Dies mei," inquit, . . . "consumpti sunt absque ulla spe. . . . Non revertetur

(1) L. v. adv. hær. c. 2.

oculus meus ut videat bona."[1] Si de meliori fortuna ageretur, opus non erat præfatione adeo magnifica: "Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?"

95. *Obj.* 2. Resurrectio apud Danielem[2] indicat revocationem ad vitam post longum intervallum per quod anima cum corpore dormierit, seu veriu[3] interierit. Eadem notio Machabæis insedit.

Resp. Daniel prædicens multos ex iis qui in pulvere terræ dormiunt surrecturos, corporum plane resurrectionem indicavit, nec enim anima in pulvere dormit, sed corpore discedens ad Deum ejus auctorem revertitur. Eadem ratione intelligendi sunt Machabæi, corpora scilicet quæ cruciabantur propter Deum, aliquando suscitanda: "Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit."[3]

96. *Obj.* 3. Resurrectio pro vita futura accipiebatur, quapropter Sadducæi resurrectionem negantes, alteram vitam negare censebantur, eosque refellit Christus, Abraham, Isaac, Jacob superstites esse ostendendo.[4]

Resp. Qui negabant spiritus esse, censebant hominem moriendo penitus interire, ideoque nullam resurrectionis spem fovebant. Ut Sadducæos hoc errore laborantes confunderet et corrigeret Christus, ostendit Deum dici in ipsis quos excipiebant Moysis libris, Deum Abraham, Isaac, et Jacob, quos proinde superstites esse inde inferebat, nec enim eorum qui penitus interierant Deus dicendus foret. Cæterum plurima probant cum fide animarum superstitum doctrinam de corporibus suscitandis conjunctam fuisse apud Judæos,[5] suffragantibus pluribus testimoniis clarissimis novi Testamenti: nam corpus ipsum quod terræ demandatur suscitandum esse ostendit Paulus.[6]

97. *Obj.* 4. "Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt."[7]

Resp. Caro et sanguis hominem cupiditati et libidini obsequentem hic designant: monitos scilicet fideles voluit Apostolus gloriosam quam de scripserat resurrectionem impios et peccatores haud manere: quod explicat altero sententiæ membro: "neque corruptio incorruptelam possidebit." Sensu paulo mitiori utitur eadem phrasi, promptitudinem designans qua, humanis rationibus penitus neglectis, Deo vocanti obtemperavit—*ὃν προσανεδέμην*

(1) Job. viii. 6. 7.

(2) Dan. xii. 2.

(3) II. Mach. vii. 9.

(4) Matt. xxii. 32.

(5) "We find the belief of a resurrection among the Jews in the time of our Saviour, and in that of the Maccabees long before him, so that it was probably the faith of that nation in all former times as it continues to be so to this day." Priestley, History of the Christian Church, p. 1. §. 1.

(6) 1 Cor. xv. 16.

(7) I Cor. xv. 50.

σαρκὶ καὶ αἵματι—"non acquievi carni et sanguini."[1] "Quoniam igitur," animadvertit olim Irenæus, "sine Spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur Apostolus nos per fidem, et castam conversationem conservare Spiritum Dei, ut non sine participatione Spiritus Sancti facti, amittamus regnum cœlorum. Et clamavit, non posse carnem solam, et sanguinem regnum Dei possidere."[2] Acute etiam Tertullianus: "Non enim resurrectio carni et sanguini directo negatur, sed Dei regnum, quod obvenit resurrectioni (est autem et in judicium resurrectio) immo et confirmatur carnis resurrectio generalis, cum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat edicitur, in quem resurgat, subauditur. Atque ita dum pro meritis distinctionem resurrectionis, opus substantiæ, non genus, patitur; apparet hinc quoque, carnem et sanguinem, nomine culpæ, non substantiæ, arceri a Dei regno; nomine tamen formæ resurgere in judicium, quia non resurgant in regnum."[3]

98. *Obj.* 5. "Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem."[4] Corpus vocibus hominis, qui foris est, intelligitur, anima vero hominis qui intus est nomine designatur. Illud manet corruptio: hanc renovatio.

Resp. Apostolus loquitur de corporis ærumnis quas fidei causa patiebatur, "διαφθείρεται frangitur, attenuatur corpus; nam et in jure *perire* dicuntur, quæ deteriora fiunt."[5] Renovatur in dies anima, quatenus novas vires ad majora pro Christo subeunda experitur. De resurrectione locutus fuerat, cujus fides et spes certa animos ad patiendum dabat: "scientes quoniam qui suscitavit Jesum et nos cum Jesu suscitabit."[6] Quidquid igitur in corpore patiebatur, animo læto amplectebatur, tantæ mercedis spe roboratus: "id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis."[7]

99. *Obj.* 6. Eadem caro non erit: "Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale."[8]

Resp. Corpus idem erit, quamvis conditione admodum diversa: "Potest et demutari quid, et ipsum esse nihilominus. . . . . Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat, sed lineamenta Petro agnoscibilia servaverat: ubi etiam Moses et Helias; alter in imagine carnis nondum acceptæ, alter in veritate nondum defunctæ, eandem

(1) Gal. 1. 17.
(2) L. v. adv. hær. c. 9.
(3) Tertull. l. de resur. carn. c. 50.
(4) II. Cor. iv. 16.
(5) Rosenmueller in locum.
(6) V. 14.
(7) V. 17.
(8) 1 Cor. xv. 44.

tamen habitudinem corporis etiam in gloria perseverare docuerunt. . . . . Ita et in resurrectionis eventum mutari, converti, reformari licebit, cum salute substantiæ."[1]

100. *Obj.* 7. Deformitas corporum, et sexuum discrimen in resurrectione servanda forent, quæ tamen gloriæ et beatitudini non conveniunt.

Resp. Non ideo corpus erit diversum quod deformitas tollatur: "Si enim," inquit Augustinus, "statuam potest artifex homo, quam propter aliquam causam deformem fecerat, conflare, et pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat . . . . quid de omnipotenti artifice sentiendum est?"[2] Sexuum erit discrimen, quod, prava concupiscentia sublata, nihil turpe habet: "non est enim vitium sexus fœmineus, sed natura."[3]

101. *Obj.* 8. Corporibus humanis in minutissimas particulas resolutis, et varias subeuntibus vices, sæpius in piscium et ferarum substantiam conversis, resurrectio fieri nequaquam poterit.

Resp. Cum Augustino: "non periit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem, cineremve solvatur; in quoslibet halitus, aurasque defugiat; in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcumque animalium, etiam hominum, cibum cedat, carnemque mutetur: illi animæ humanæ puncto temporis reddat, quæ illam primitus ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit."[4]

102. *Obj.* 9. Nequidem Dei potentia fieri potest ut corpora eadem suscitentur, quum plurima particulis aliorum corpora tota constent, anthropophagis hominum carnibus præcipue vescentibus.

Resp. Non constat esse aliquos homines qui vescantur solis carnibus humanis. Præterea non facile definitur quid requiratur ad identitatem corporis humani, quum toto vitæ tempore subeat mutationes, quin identitas individualis destruatur, quidquid sit de physiologorum placitis de totius corporis substantiæ intra septennium mutatione. Equidem satis concipitur identitatem haberi, licet particulæ paucæ ex iis quæ olim constituerunt corpus adsint. Præstat autem simpliciter tenere ex fidei doctrina corpora eadem suscitanda, quin singula quæ ad resurrectionem pertinent humano dimetiamur modulo: Deus enim plurima efficere potest quæ homo vix valet ullatenus concipere.

103. *Obj.* 10. Resurrectionis notio ad Judæos ex Zoroastrica doctrina derivata est, et vulgi spes vana potius quam fidei dogma habenda est.

Resp. Illa origo gratis fingitur, reclamantibus libris veteris novique Testamenti; nec enim Job Zoroastrum habuit magistrum, nec Christus

(1) Tertul. 1 de resur. car. 55.
(2) L. xxii. de civ. Dei c. 19.
(3) Aug. ibid. c. xvii.
(4) Aug. in Enchir. 88.

Dominus ejus adoptavit placita. Fuit spes illa Judæis omnibus communis, non tamen vulgi præjudicium habenda est, sed revelata doctrina, quam Christus tota sua auctoritate communivit.

ANIMADVERSIONES.

104. Eadem quæ singuli habemus corpora propriis animabus in resurrectione conjungentur, uti ex citatis testimoniis liquet. Meritò Tertullianus veluti absurdum rejicit placitum eorum qui corpora quædam, non tamen quæ nobis nunc sunt, in resurrectione animabus conjungenda censebant: " Quam absurdum, quam et iniquum, utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercedem dispungi, ut hæc quidem caro per martyria lanietur, alia verò coronetur."[1]

105. Dotes corporis gloriosi longe erunt diversæ; " seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale."[2] Hinc *impassibilitas* ei tribuitur, quod scilicet nihil pati possit: *claritas*, seu fulgor quidam gloriæ, nam Christus " reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ:"[3] *agilitas* etiam et *subtilitas*, quod spiritus instar velocissime se conferat quo anima velit, nec obice ullo impediatur.

(1) Tertull. l. de resur. carns.
(2) 1 Cor. xv. 42.
(3) Phil. iii. 21.

CAPUT V.

DE MILLENNIO.

106. Cerinthiani "mille annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris et libidinis voluptates, futuros fabulantur," inquit Augustinus, "unde Chiliastæ sunt appellati."[1] A fœdo hoc errore semper abhorruerunt universi Ecclesiæ Patres; quapropter vehementer falluntur Encyclopædiæ Americanæ scriptores, qui eum omnibus priorum sæculorum patribus communem fuisse affirmant.[2] Papias, Joannis Presbyteri auditor, censuit quidem Christum mille annos cum justis in terris regnaturum, quod Justino, Irenæo, et aliis ejus secutis auctoritatem, visum est; sed turpes omnes voluptates ab hujusmodi regno scriptores hi abesse agnoverunt: quorum tamen sententia, utpote solido fundamento haud nixa, cæteris displicuit, et post Lactantium nullum nacta est patronum insignem. Eam ut refelleret scripsit Origenes plerisque plaudentibus, et post ipsum "vir eloquentissimus Dionysius, Alexandrinæ ecclesiæ pontifex, elegantem scripsit librum, irridens mille annorum fabulam."[3] Calumniatur autem Gibbonius, Irenæum asserens fœdas illas voluptatum carnis imagines cum millennio conjunxisse.[4]

107. Protestantes Millennii fabulam renovarunt, Apocalysim arbitrio suo interpretantes, et spe illius regni suos delectantes. Eam plerique cordatiores jam deseruerunt;[5] sed Thomas Newton episcopus Anglicanus, testimoniis undique collectis studuit munire.[6] Sectæ novæ *Shakeri*[7] et *Mormonitæ*, eadem fabula sibi illudunt. Regnum autem ita describunt, ut tyrannide omni sublata omnes jure æquali in rebus civilibus et religiosis fruantur, et pax ubique gentium vigeat. Juvat igitur vanam hanc sententiam penitus evellere.

(1) L. de hær. n. 8.

(2) *Art. Millennium.*

(3) Hieronym. l. xviii. in Isaiam.

(4) Decline and fall of the Roman Empire ch. xv.

(5) "The best expositors are in general agreed that the *only* passage of Scripture which speaks of the MILLENNIUM (namely xx. 4—6.) is to be taken in a figurative acceptation." Bloomfield in Apoc. xxi. i.

(6) Newton on the Prophecies Diss. xxv. p. 585 Americ. edit. "This doctrine lay depressed for many ages, but it sprung up again at the reformation." p. 592.

(7) "The Testimony of Christ's second appearing p. viii. c. i. Albany, 1810.

PROPOSITIO.

Christi regnum cum Sanctis in terris per mille annos, nec Scripturis nec traditione probatur.

Probatur, evertendo fundamentum contrariæ assertionis.

108. Quod ad Scripturas pertinet, quæ in Apocalypsi dicuntur de duplici resurrectione, et de diabolo per mille annos ligato, et de martyribus cum Jesu mille annis regnantibus, præcipue afferuntur. Ea autem verbis insignis sane interpretis, Augustini, qui et sententiæ suæ affert argumenta juvat explicare: "Sunt et resurrectiones duæ, una prima quæ nunc est animarum, quæ venire non permittit in mortem secundam. Alia secunda, quæ nunc non est, sed in sæculi fine futura est; nec animarum, sed corporum est: quæ per ultimum judicium alios mittet in secundam mortem. De his duabus resurrectionibus idem Joannes Evangelista in eo libro qui dicitur Apocalypis, eo modo locutus est, ut earum prima a quibusdam nostris non intellecta, insuper etiam in quasdam ridiculas fabulas verteretur. Ait quippe in libro memorato Joannes Apostolus; 'Et vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, et catenam in manu sua, et tenuit draconem illum serpentem antiquum, qui cognominatus est diabolus, et Satanas, et alligavit illum mille annis, et misit illum in abyssum, et clausit: et signavit super eum ut non seduceret jam gentes, donec finiantur mille anni: post hæc oportet eum solvi brevi tempore. Et vidi sedes, et sedentes super eas, et judicium datum est illis: et animas occisorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei. Et si qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus: nec acceperunt inscriptionem in fronte, aut in manu sua, et regnaverunt cum Jesu mille annis: reliqui eorum non vixerunt, donec finiantur mille anni. Hæc resurrectio prima est. Beatus et sanctus est, qui habet in hac prima resurrectione partem. In istis secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis.' Qui propter hæc hujus libri verba primam resurrectionem futuram suspicati sunt corporalem, inter cætera maxime numero annorum mille permoti sunt. . . . Mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. . . . . Unde et illud melius intelligitur, quod in Psalmo legitur: 'Memor fui in sæculum testamenti tui, verbi quod mandavit in mille generationes,' id est, in omnes. . . . Ad hoc ergo ligatus est diabolus, et inclusus in abysso, ut jam non seducat gentes, ex quibus constat Ecclesia, quas antea seductas tenebat, antequam esset Ecclesia. . . . Alligatio diaboli, est non permitti exercere totam tentationem, quam potest, vel vi, vel dolo, ad seducendos homines, in partem suam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore, et tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult; et fideles dejiceret, et ne crederent, impediret. Quod

ne faceret, alligatus est. Tunc autem solvetur, quando et breve tempus erit. Nam tribus annis et sex mensibus legitur totis suis, suorumque viribus sæviturus . . . Interea dum mille annis ligatus est Diabolus, Sancti regnant cum Christo . . . Ecclesia et nunc est regnum Christi, regnumque cælorum. Regnant itaque cum illo etiam nunc Sancti ejus." . . . "Quæ sit porro ista bestia, quamvis sit diligentius inquirendum, non tamen abhorret a fide recta, ut ipsa impia civitas intelligatur, et populus infidelium contrarius populo fideli, et civitati Dei. . . . Et qui sunt qui bestiam non adorant, nec imaginem ejus, nisi qui faciunt quod ait Apostolus: 'Ne sitis jugum ducentes cum infidelibus?' Non adorant enim, id est non consentiunt, non subjiciuntur: neque accipiunt inscriptionem, notam scilicet criminis, in fronte propter professionem, in manu propter operationes. Ab his ergo malis alieni, sive adhuc in ista mortali carne viventes, sive defuncti, regnant cum Christo jam nunc quodam modo huic tempori congruo per totum hoc intervallum, quod numero mille significatur annorum." . . . "Et cum finiti fuerint, inquit, mille anni, solvetur Satanas de custodia sua, et exibit ad seducendas nationes. . . . Et antea modis quibus poterat, per mala multa et varia seducebat. Exibit autem dictum est, in apertam persecutionem: de latebris erumpet odiorum. Hæc enim erit novissima persecutio novissimo imminente judicio, quam Sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur." Hæc ex Augustino decerpsimus.[1]

109. Quæ autem apud Matthæum de bibendo vino novo cum Apostolis in regno Patris protulit Christus, ad tempus quod inter resurrectionem et ascensionem fluxit a S. Chrysostomo refertur,[2] ab Origene autem mystico explicatur sensu, quatenus indicat "*potum ex vite vera et vivente in sæcula.*"[3]

OBJECTIONES.

110. *Objicit* 1. Newton. Quæ de Millennio dicuntur non conveniunt temporis intervallo inter Christi primum adventum et secundum, nam pax et sanctitas Christi regno tribuuntur, diabolo ligato: e contra omnia ingruerunt mala per id temporis, præsertim post Constantini ætatem, Antichristi regno statuto, et flagitiis omnibus et erroribus fœdata Ecclesia. Si Satanas ligatus per id temporis fuerit, quandonam liber habendus est?[4]

Resp. Sive cum Usserio mille anni a Christi adventu computentur, sive cum Grotio a Constantini imperio, vaticinio consonat eventus. Re quidem vera Daniel Messiæ adventus designando tempus illud iis ornavit elogiis, quibus vix aliquid sublimius a Joanne de mille annorum regno dictum re-

(1) L. xx. de Civ. Dei c. v. vi. vii. viii. ix. xi.
(2) Hom. lxxxiii. in Matt.
(3) Prol. in Cantic.
(4) Bishop Newton on the prophecies p. 586.

peritur; "ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna."[1] Quod autem ligatus dicatur diabolus, significat non omnem nocendi vim sublatam, sed potestatem ejus plurimum reprimi. Newtonis quæsito respondemus Satanam liberum fuisse ante Christi adventum, quando ubique fere idolorum cultus cum flagitiis omnibus vigebat: quod si hæreses, et scelera deinceps grassata sint, non tamen potuerunt eam evertere Ecclesiam quam ipse erexerat: purissima enim mansit doctrina, et præclara semper data sunt virtutum exempla. Antichristi regnum nonnisi diabolo ad breve tempus[2] soluto sub mundi finem statuetur. Omnia igitur cohærent, sed ruit eorum interpretatio qui divina oracula ad contumeliam inferendam pervertunt.

111. *Obj.* 2. Si vera martyrum resurrectio eo loci non intelligatur, corporibus scilicet cum animabus iterum coujunctis, alia resurrectio etiam ad figuram poterit detorqueri, denegato dogmate fundamentali.

Resp. Prima resurrectio a secunda plane distinguitur a sacro scriptore, quamvis utraque vera sit, illa animarum, hæc corporum. Igitur resurgunt martyres sanctique omnes, animæ scilicet e corporis carcere evadentes ad Deum feruntur, corporisque expectant consortium, postquam fratrum suorum expletus fuerit numerus. Quod autem illa vocis—ἀναστασις—explicatio minus propria alicui videri possit, non ideo est figurata, sensus enim affinis est, et fere idem ac primarius, et ex adjunctis satis determinatur. Regnant sancti cum Christo interim in cælesti gloria.

112. *Obj.* 3. Regnum mille annorum in terris futurum est, Ecclesia enim e cælo descendere Apostolo visa est.

Resp. E cælo descendere visa est nova Jerusalem, quia cælitus data sunt omnia privilegia quibus Ecclesia ornatur, tamquam sponsa viro suo. Inde profluunt gratiæ donaque omnia. Cæterum cæleste regnum designari eo loci patet, quum nullo annorum spatio includatur, sed in sæcula sæculorum duraturum prædicetur: εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.[3]

113. *Obj.* 4. Daniel de regno hoc in terris vaticinatus est: "regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi."[4] Psalmista de regno quod omnes complecteretur terras magnifice dixit.[5] Isaias pulcherrimis imaginibus regni Christi felicitatem exhibuit, subjungens: "quia repleta est terra scientia Domini."[6] Apostolus: "cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret."[7] Quotidie autem oramus, Christo obsequentes: "adveniat regnum tuum." Hæc Newton.

(1) Dan. ix. 34.
(2) "Modico tempore," Apoc. xx. 3.
(3) Apoc. xx. 5.
(4) Dan. vii. 27.
(5) Ps. ii. 8.
(6) Isai. xi. 9.
(7) Rom. xi. 25. 26.

Resp. Daniel certe non loquitur de millennio, statim enim subjungit: "cujus regnum, regnum sempiternum est." Igitur de cælesti Christi regno intelligendus est, quod quidem in terris incipit, quatenus his paratur Ecclesia illa quæ postea regnatura est gloriosa. Ideo autem regni magnitudo quæ est subter omne cælum, data populo sanctorum dicitur, ut nullius terrestris principatus potestas judicio extremo superesse intelligatur. Psalmista de Ecclesiæ Christi diffusione per omnes terras, objecto in loco, vaticinatur, uti jam vidimus. Isaias de Christi primo adventu loquitur, nam de eo explicat Apostolus voces quæ statim sequuntur: "In die illa, radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur."[1] Imagines autem quibus utitur vates, mansuetudinem aliasque virtutes, quibus vera hominum felicitas comparatur, repræsentant, Evangelicæ prædicationis fructus, quibus tamen carent plurimi Christo haud obtemperantes. Scientia Domini vere repleta est terra, quæ enim semel enarravit Unigenitus Dei Filius, prædicantur ubique gentium, et in fidelium cordibus manent insculpta. Apostolus ostendit haud absque divino consilio infidelitatem Judæorum contigisse, Deumque interea gentes sua gratia ad fidem adducere, ipsos Judæos tandem lumine illo cælesti illustraturum. Non inde licet inferre totum Orbem tandem aliquando fidei unitate et animorum concordia donandum, adeo ut omnis tollatur error et peccatum: hæc enim sunt dulcia somnia quæ cum rerum veritate non constant. Ideo ipse Rosenmüeller qui notioni illi de florentissima Christianæ reipublicæ conditione suffragatus est, monuit: "Cave hoc ita intelligas, quasi futurum sit tempus, quo ab omnibus plane erroribus et vitiis libera futura sit respublica christiana."[2] Quod oramus ut regnum Christi adveniat ad Ecclesiæ ejus diffusionem, et ad gloriæ cælestis adeptionem apte refertur: "ut cognoscamus in terris viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum."

114. *Obj.* 5. Judaica Ecclesia Messiam per mille annos in terris regnaturum credidit, idque magno consensu docuerunt Patres trium priorum sæculorum, adeo ut inter dogmata primitivæ Ecclesiæ reponendum sit. Ita Barnabas, Justinus Irenæus, Tertullianus, quorum doctrinam Lactantius quarto sæculo propugnavit. Ejus cum resurrectione nexus adeo est intimus ut huic vulnus inferatur ea denegata.

Resp. Judaicæ Ecclesiæ ante Christum traditio non satis probatur ex Rabbinorum post Christi adventum scriptis. Cæterum "bis mille annis dies Christi" definiuntur ex traditione domus Eliæ, uti refert Mede.[3] Vocatur quidem tempus remissionis in quo Deus solus exaltabitur, sed Chiliastarum regnum non depingitur. Non gravamur tamen fateri ex Judæorum de Messiæ regno notione sententiam illam derivatam.[4] Quod

(1) Vide Rom. xv. 12.
(2) Scholia in Apoc. xx. 3.
(3) Vide Newton in not. p. 588.
(4) Mosheim hist. Sæc. 3. §. 38.

ad Ecclesiæ Christianæ traditionem spectat, nullatenus probatur regnum illud unquam agnitum, nam Cerinthum voluptates corporis pollicentem rejecit et exhorruit.[1] Epistolæ Barnabæ auctor nihil de eo dicit, sed impium in judicio destruendum, et requiem secuturam.[2] Justinus quidem in ea versatus est sententia Christum cum sanctis Hierosolymis per mille annos regnaturum, sed fassus est ingenue non omnes Christianos, etiam alioquin pie pureque sentientes, id agnoscere : ὡμολογησα ὃν σοι και προτερον, ὁτι ἐγω μεν και αλλοι πολλοι ταυτα φρονουμεν, ως και παντως επιςασθε τυτο γενησομενον πολλυς δ'ου και των της καθαρας και ἐυσεβυς ὀντων Χριςιανων γνωμης ὀυτο μη γνωριζειν ἐσημανα σοι.[3] "Tibi igitur et antea confessus sum, me et multos alios hæc sentire, ita ut omnino perspectum habeamus sic futuram : at multos rursus, eosque ex illo Christianorum genere, quod piam et puram sequitur sententiam, id non agnoscere tibi significavi." Quod autem negativam particulam inserendam contendat Newton, adeo ut sententia nec pia nec pura habeatur, nihil nos moratur, nullo illi suffragante codice.[4] Eos qui secum sentiunt multos quidem vocat Justinus et rectæ sententiæ : εγω δε και ἐι τινες ἐισιν ὀρθογνωμονες κατα παντα Χριςιανοι και σαρκος αναςασιν γενησεσθαι ἐπιςαμεθα και χιλια ἐν Ιερουσαλημ οικοδομηθειση και κοσμηθείση και πλατυνθειση οἱ προφηται Ιεζεκιλ και Ησαΐας και ὀι ἄλλοι ὁμολογουσιν. "Ego autem et si qui recte in omnibus sentiunt Christiani, et carnis resurrectionem futuram scimus, et mille annos in urbe Jerusalem ædificata, et ornata, et amplificata; quemadmodum Ezechiel, et Isaias, et cæteri prophetæ promittunt." Liquet ad carnis resurrectionem referri, quæ de recte quoad omnia sentientibus dicit, quamvis et millennio suffragari etiam existimaret vatum documenta. Ita etiam Apocalypsin interpretatus est, resurrectionem et judicium post mille annos Hierosolymis transactos, futura affirmans, veluti ex Joannis Apostoli auctoritate. Insignem fidei vindicem fefellit certe opinio, nec est cur ejus auctoritate detineamur : nec enim ille existit nexus quem sibi finxit inter doctrinam de resurrectione et mille annorum Hierosolymis Christi regnum. Quod igitur atheos, et blasphemos vocet qui hæc minime tenent, intelligendum necessario est de iis qui utrumque negant, sed non de negantibus millennium tantummodo, hi enim nullam sane contumeliæ in Deum speciem præbent. Irenæo arrisisse opinionem de regno terreno fatemur, sed hanc non omnibus probatam ex ejus scriptis constat; quum enim Isaiæ dicta de lupis et agnis simul pascentibus ad illud retulisset, addidit : "Non ignoro autem, quoniam quidam hæc inter nos, et ex diversis gentibus, et variis operibus credentes, et cum crediderint consentientes justis, tentent transferre."[5] Papiæ quidem auctoritate eum ductum

(1) Eusebius l. iii. hist. Eccl. c. xxviii.

(2) Barn. ep. c. xv.

(3) Dial. cum Tryphone n. 80.

(4) Ex contextu emendatio illa non sustinetur, nam quæ de atheis adjungit, ad alios pertinent, quos negatæ resurrectionis arguit.

(5) L. v. adv. hær. c. xxxiii.

liquet, qui Joannis Presbyteri, non Apostoli, auditor fuerat, quique verba Apostolorum sibi relata haud intellexerat, referente Eusebio.[1] Tertullianus etiam in ea sententia versatus est. Cæterum Origenes, Dionysius Alexandrinus, Caius Presbyter Romanus, aliique antiquissimi scriptores eam rejecerunt, quam tamquam penitus falsam habuit Eusebius. Notum est Hieronymum et Augustinum fabulæ loco eam habuisse, quos tamen majorum suorum traditioni inhæsisse constat. Igitur paucorum Patrum sententia non potest dogmatibus primitivæ Ecclesiæ accenseri. Qui autem affirmatur nexus inter eam et dogma de resurrectione nullatenus existit, hæc enim Christi clarissimis verbis, et Apostoli ad Corinthios epistola plane probatur, adeo ut vehementer errent auctores qui ex millennii fabula dogma hœc derivatum asserunt.[2]

115. *Obj.* 6. Spes millennii maxime martyribus dabat animos ut omnia perferrent supplicia, resurrecturis quippe ante cæteros sanctos. Ita post Dodwell, Newton.

Resp. Amor Christi gloriæque cælestis statim adipiscendæ cupido martyribus dabat animos, uti ex S. Ignatii M. et S. Cypriani dictis constat. Aliud hujus patris testimonium quo sanctos animi affectus pandit, hortans ad martyrium, juvat recitare: "Patriam nostram paradisum computamus, parentes patriarchas habere jam cœpimus: quid non properamus et currimus ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute solicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est? qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi? quam summa et perpetua felicitas? illic Apostolorum gloriosus chorus: illic prophetarum exultantium numerus: illic martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus: triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis et corporis continentiæ robore subegerunt: remunerati misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum justitiæ opera fecerunt, qui dominica præcepta servantes ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat; hoc propositum mentis et fidei Dominus Christus aspiciat; daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria majora."[3]

(1) L. vi. Hist. c. 39.
(2) Encyclopædia Americana, *Millennium.*
(3) L. de mortalitate sub finem.

CAPUT VI.

DE PRÆDESTINATIONE.

116. Consultò abstinuimus a divinis decretis evolvendis pro theologorum more, nos tanto operi impares ex animo professi. Prædestinationem Dei, æterna scilicet divinæ mentis consilia, agnovimus, et supremo providentiæ ordini omnia subesse docuimus: negantes tamen Deum mali esse auctorem, adeo ut nec aliquem necessitate impulerit ad peccandum, nec pœnis æternis, nisi ob peccata libera voluntate patrata, destinarit. Calvinus tum electionem ad gloriam et gratiam, tum reprobationem et supplicia æterna ad unicam retulit Dei voluntatem: animadvertit enim de Apostolo: "Subnectit clausulam, Deum cujus vult misereri, et quem vult indurare (Rom. 9. 18). Vides ut in solum Dei arbitrium utrumque conferat? Ergo si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet: neque enim in aliis reprobandis aliud habebimus quam ejus voluntatem."[1] Prædestinationem idcirco sic explicat: "prædestinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus."[2] Id de Ada ipso affirmat. "Quum non alia ratione quæ futura sunt prævideat, nisi quia ita ut fierent decrevit, frustra de præscientia lis movetur, ubi constat ordinatione potius et nutu omnia evenire. Disertis verbis hoc extare negant, decretum fuisse a Deo, ut sua defectione periret Adam. Quasi vero idem ille Deus, quem Scriptura prædicat facere quæcumque vult, ambiguo fine condiderit nobilissimam ex suis creaturis. . . . Decretum quidem horribile fateor: inficiari tamen nemo poterit quin præsciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, et ideo præsciverit, quia sic ordinarat."[3]

117. Gomaristæ magistri sui duriora placita propugnarunt in Synodo Dordracena, in peccatum originis nihilominus reprobationis causam rejicientes: Arminiani mitius censuerunt. Presbyteriani *veteris scholæ* illos

(1) Inst. l. iii. c. xxii. n. 11.
(2) Inst. l. iii. c. xxi. n. 5.
(3) Ibidem c. xxiii. n. 7.

sequuntur; quamvis quædam ad mitigandum duritiem inserta sint fidei confessioni.[1] Baptistæ de reprobis cautius loquuntur, eadem fere verba de electis usurpantes.[2] Anglicani prædestinationem decretum Dei de electorum salute per Christum esse definiunt, quin de reprobis loquantur:[3] unde factum ut contrarium de reproborum rejectione sentientes, articulum de prædestinatione pro se interpretarentur.[4] Janseniani plerique cum magistro docent "veram reprobationis causam esse peccatum originale, quo periisse et damnationem prævidentur meruisse."[5] *Postlapsarii* hi dicuntur: *Antelapsarii*, qui reprobationem censent fieri ex decreto Dei absque ullaad peccatum originis relatione, adeo ut hoc videatur ex ea consequi.

118. Præcesserat sæculo quinto, circa annum 473, Lucidus Presbyter Gallus errores de prædestinatione tradens, quem refellit Faustus Rejensis. Lucidus argumentis cedens retractavit errores, quos damnarunt synodus Arelatensis, et synodus Arausicana III. Nono sæculo Gothescalcus, e Saxonia oriundus, sed monachi vitam in monasterio Orbacensi, Suessionensis diœceseos, professus, eosdem refricavit, in synodo Moguntina II. anno 848 idcirco damnatus.

119. Prædestinatiana hæresis in eo plane posita est, quod quis credat Deum potestate sua aliquem ad peccandum determinasse, et summo veluti arbitrio ad supplicia æterna destinasse, absque respectu ad mala merita. Utrum autem in electione sanctorum ad gloriam Deus suo usus fuerit ar-

(1) "By the decree of God, for the manifestation of his glory, some men and angels are predestinated unto everlasting life, and others fore-ordained to everlasting death. These angels and men, thus predestinated and fore-ordained, are particularly and unchangeably designed; and their number is so certain and definite that it cannot be either increased or diminished. Those of mankind that are predestinated unto life, God, before the foundation of the world was laid, according to his eternal and immutable purpose, and the secret counsel and good pleasure of his will, hath chosen in Christ, unto everlasting glory, out of his mere free grace and love, without any foresight of faith or good works, or perseverance in either of them, or any other thing in the creature, as conditions, or causes moving him thereunto; and all to the praise of his glorious grace. . . . The rest of mankind, God was pleased, according to the unsearchable counsel of his own will, whereby he extendeth or withholdeth mercy as he pleaseth, for the glory of his sovereign power over his creatures, to pass by, and to ordain them to dishonor and wrath for their sin, to the praise of his glorious justice." Confession of faith, chapter iii. n. 3. 4. 5. 7.

(2) "Others being left to act in their sin to their just condemnation, to the praise of his glorious justice." Baptist confession of faith, ch. iii. n. 3.

(3) Art. xvii.

(4) "The article seems to be framed according to the Calvinistic hypothesis. The article is not inconsistent with the opinion of the Remonstrants. . . . This opinion is confirmed by the circumstances that the Arminian doctrine seems to be favoured in the other offices of the Church." Analysis of Burnet's exposition. Art. xvii. § iv. p. 263. 265.

(5) L. x. de gratia Christi c. ii.

bitrio, eos scilicet gratuitò eligendo, quos copiosis gratiæ muneribus gloriæ fruendæ idoneos faceret: vel ad merita ex gratiæ auxilio comparanda respexerit, adeo ut electio nitatur prævisione meritorum hujusmodi, inter theologos quæritur: Augustinianis, Thomistis aliisque *gratuitam electionem* propugnantibus, Molinistis, aliisque electionem post prævisa merita tuentibus. De reprobatione pariter controvertitur, sunt enim qui Alvaresio, Bannezio, Salmanticentibus, et plurimis Thomistis assentiuntur, affirmantibus Deum solo arbitrio, vel saltem ob peccatum originis reprobos exclusisse a gloria, tamquam a munere indebito: aliis eos prætermitti dicentibus, quin excludantur. Qui electionem meritorum prævisione niti dicunt, reprobationem omnem sequi malorum meritorum prævisionem, vel saltem peccati originis, quo quis inquinatus discesserit, docent.

120. Ad nos quod pertinet, fatemur arcanum divinæ electionis nos scrutari non audere, et ideo libenter intra eos limites consistimus, quibus dogma fidei continetur: sed cum omnibus theologis catholicis abhorremus ab eorum impiis placitis, qui prædestinationem ad supplicia æterna, quam theologi vocant *reprobationem formalem*, ad solum Dei beneplacitum referunt.

PROPOSITIO.

Reprobatio positiva et formalis, qua scilicet impii æternis destinantur suppliciis, fit propter prævisum peccatum.

Probatur I. ex Scripturis.

121. Deus per Osee alloquitur Israelitas "Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum."[1] שִׁחַתְךָ יִשְׂרָאֵל כִּי־בִי בְעָזְרֶךָ. Perditio igitur ad pereuntes ipsos referenda est, potius quam ad Deum, qui auxilium præstat ut salutem assequamur.

122. Per Ezechielem dicit Deus: "Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?"[2] Hoc verum non foret, si ex Dei voluntate absoluta impiorum interitus penderet, absque ulla malorum meritorum præscientia.

123. Sapientiæ auctor dicit: "Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum."[3] Illuderet nobis sacer auctor, hortans ne perditionem nobis compararemus, si revera Deus absoluto decreto, nullatenus a studiis et conatibus nostris pendenti, interitum periturorum definiisset.

124. Petrus reddit rationem cur Deus minas promissionesque suas non statim exequatur: "Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire,

(1) Osee xiii. 9.
(2) Ezech. xviii. 23.
(3) Sap. i. 12.

sed omnes ad pœnitentiam reverti."[1] Mora illa contingit, ut peccatoribus pœnitentiæ sit locus, qua interitum evadant: nullo igitur absoluto Dei decreto interitui destinantur, sed eo tantum casu, quo pœnitentiam agere recusent.

125. In die judicii Christus dicturus est reprobis: "Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus: Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare."[2] Ea est causa interitus æterni, quod neglexerint reprobi charitatis officia, vel alia munia christiani hominis. Non igitur Dei voluntas et decretum causa suppliciorum quibus torquentur impii habendum est.

Probatur II. ex Patribus.

126. Quum Augustinum et ejus discipulos maxime appellent Prædestinatiani, hos præsertim testes damus. Augustinus dicit: "Hoc ergo bonum quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum. Super hos enim respexit Dei præscientia, protulitqne sententiam."[3] In hæc magistri sui verba scribit Fulgentius: "Satis evidenter his dictis ostendit, quia Deus peccata hominum vidit, quibus sententiam prædestinatione dictavit."[4]

127. Augustinus iterum: "Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est."[5] Et alias Juliano respondens ait. "Non abstinet Deus bonum formationis suæ etiam a stirpe damnata. Sed si tibi displicet Deum creare quos damnet; contradic ei, si potes, ne creet eos, quos malos futuros, et in malignitate usque in finem perseveraturos, et ob hoc sine dubitationæ damnandos esse præscivit."[6] Et alias: "Quos usque in finem sine pœnitentia victuros in impietate ac sceleribus suis: ac per hoc æterno supplicio puniendos ignorare non potest præscius omnium futurorum."[7]

128. S. Prosper: "Hi de quibus dicitur: 'Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum:' voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reversuri, et in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi."[8]—"Nemo a Deo ita creatus est, ut pereat, quia alia est causa nascendi, alia pereundi. Ut

(1) II. Pet. iii. 9.
(2) Matt. xxv. 41.
(3) L. de perfect. just. contra Cœlestium c. xiii.
(4) L. ii. ad Monimum c. xxvii.
(5) L. iii. contra Julian. c. xviii.
(6) L. i. oper. imperfecti n. 130.
(7) Ibidem l. v. n. 64.
(8) Ad cap. object. Vincent in resp. ad xii.

enim nascantur homines, conditoris est beneficium ; ut autem pereant, prævaricationis est meritum."[1]

129. Fulgentius: "Prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros."[2]

Probatur III. ex Conciliis.

130. Arelatense concilium, anno circiter 475, epistolam Fausti Rejensis ad Lucidum probavit, et undecim episcoporum subscriptionibus munivit. Fausto morem gessit Lucidus, et respondit: "juxta prædicandi statuta concilii damno vobiscum sensum illum qui dicit. . . . quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt. . . . qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos."

131. Arausicanum II. concilium, anno 529, decrevit omnes baptizatos posse per Christi gratiam quæ ad salutem pertinent adimplere: "Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus."[3]

132. Carisiacum II. concilium anno 853: "Deus bonus et justus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam quos per gratiam prædestinavit ad vitam, et vitam illis prædestinavit æternam. Cæteros, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit: pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam."[4]

133. Valentinum III. concilium: "Fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam præcedere meritum bonum ; in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum Dei judicium."[5]

134. Accedit ratio theologica, ex divinis perfectionibus desumpta, aliquem enim suppliciis æternis destinare arbitrio summo ac potestate, absque malorum meritorum prævisione injustitiam ac crudelitatem sapit. Insuper Deus vult omnes salvos fieri: quod dici nequit si suo decreto absoluto, absque ulla culpæ prævisione, reprobaverit quosdam, et suppliciis æternis addixerit.

(1) Resp. ad iii. obj.
(2) L. i. ad Monimum c. xxiv.
(3) Cap. xxv.
(4) Cap. i.
(5) Can. iii.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

135. *Obj.* 1. "Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum."[1]

Resp. Utique propter se gloriamque suam Deus omnia facit, nec enim alius finis se foret dignus. Impius homo ad humiliationem, ærumnas, et interitum justa Dei ordinatione servatur, qui suo tempore omnia peccatoris dissipat consilia, eumque pœna plectit. Cæterum quod impius quis sit, sua culpa contingit, nec enim vitium in homine est, prout a Deo est conditus; et quod in interitum ruat, propriæ voluntatis arbitrio fit, nullo decreto Dei eum ad malum vel ad interitum impellente.

137. *Obj.* 2. Apostolus impium dicit excitatum a Deo in divinæ potentiæ ostensionem: "Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat."[2]

Resp. Pharao ad solium evectus dicitur, (hæc enim vis est vocis הַעֲמַדְתִּיךָ[3]) ut divina potentia in populi Israelitici liberatione claresceret, eo frustra corde pertinaci et duro obnitente. Induratum a Deo cor ejus dicitur, quia suæ duritiei relictum est, iis denegatis potentioribus gratiæ auxiliis quibus emollesceret. Id apud Moysen refertur, ut insinuetur pertinaciam Pharaonis a Deo prævisam esse, nec ullatenus divinis obstare consiliis, quum inde potius foret occasio potentiam divinam insigni prorsus ratione exercendi. Apostolus argumentatur Deum misereri cujus vult, et quem vult indurare, ut doceat hominum quantumvis impiorum consilia et conatus providentiæ Dei subjacere, nec posse ullatenus divina frustrare consilia. Inde etiam infert gentes ad fidem vocari, misericordi et gratuita largitione, et Judæos in sua cæcitate et pertinacia relictos, justo judicio: nec quidquam in illa gratiæ œconomia reperiri alienum ab ea ratione quam Deus in Scripturis veteribus refertur servasse.

137. *Obj.* 3. Deus summo arbitrio alterum diligit, alterum odit, reprobationis, sicut et electionis, nulla alia causa data: "Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac, patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret.) Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui."[4]

Resp. De electione ad gloriam, et de reprobatione non agit, saltem

(1) Prov. xvi. 4.
(2) Rom. ix. 17.
(3) Exod. ix. 17.
(4) Rom. ix. 12.

directe, eo loci Apostolus, sed de vocatione ad fidem christianam. Allegaverat promissiones factas Abraham et ejus posteris : et demonstrandum suscepit eas impletas, licet Israelitæ, posteri ejus, a salute excidissent, Messia rejecto. Animadvertit idcirco gentem Israeliticam haud designari, sed omnes qui filii censerentur Abrahæ, fidem ejus imitando ; quod ex eo probat, quod ordo naturæ plerumque neglectus sit in beneficiorum divinorum distributione, ut Dei arbitrium et electio gratuita claresceret. " Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen : id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine."[1] Ostendit, Ismaele prætermisso, Isaacum electum esse promissionum hæredem : quod et in filiis Rebeccæ videre etiam est, priore enim Esau neglecto, Jacob beneficiorum copia auctus est. Prophetæ Malachiæ quædam verba in rem suam adhibet Apostolus, quorum vis ut perspecta habeatur, integrum testimonium recitare juvat : " Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, et dilexi Jacob, Esau autem odio habui ? Et posui montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti ?"[2] Liquet vatem Dei erga Esau dilectionem in eo ostendere, quod regionem feliciorem et fœcundiorem ei dederit habitandam. Malachiæ verbis utitur Apostolus, ut quod dictum est Rebeccæ illustret, quod quum, infantibus adhuc in utero latentibus, dictum sit, demonstrat illam Jacobi præ Esau ad hæreditatem assumptionem, divino consilio, et gratuita electione contigisse, nullam enim aliam rationem adsignari posse dicit, quum gemini essent fratres, et nondum aliquid egissent. Inde facili consequentia docet gentes etiam præ Israelitis ad fidem vocatas arcano Dei consilio, et gratuita misericordia. De reprobatione vates certe non agit ; nec Apostolus, saltem directé, ideoque odium illud quo Deus dicitur Esau prosecutus esse, non probat eum aliquem reprobasse et suppliciis addixisse solo suo beneplacito. Constat odium illic indicare minorem dilectionem, prout alias patrem et matrem et uxorem quis odisse dicitur, si eis Christi voluntatem præponat.

138. *Obj.* 4. Apostolus occurrit objectioni impii hominis, de sua obduratione, et reprobatione querentis, nec tamen ait eam vitio suæ voluntatis perversæ, et libera sua electione contingere, sed verbis perspicuis jus Deo vindicat homines in interitum creandi : " Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur ? voluntati enim ejus quis resistit ? O homo, tu quis es qui respondeas Deo ? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit : Quid me fecisti sic ? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam ? Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patien-

(1) Rom. ix. 6.
(2) Mal 1. 3.

tia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam."[1]

Resp. De infidelitate et cordis duritie, potius quam de reprobatione æterna, *directe* agit Apostolus, nam in eodem quod aggressus erat argumento versari pergit. Quum speciali Dei beneficio et gratiæ munere gentes ad fidem pervenisse dixisset, et Judæos juste derelictos, proponit sibi hominis impii objectionem, cur Deus de hominum duritie queratur. Huic ut respondeat, querentem imprimis monet suæ infirmitatis et divinæ majestatis, ne temere scrutetur Dei consilia. Deinde adducit figuli exemplum, qui vasa pro arbitrio fingit: quod tamen non ita urget, ut Deum dicat homines summo arbitrio in interitum vel gloriam destinare: sed potius Dei lenitatem et patientiam in tolerandis peccatoribus interitui idoneis effert—ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν;—ejus misericordiam verò in fidei gratiæque muneribus largiendis, quibus homines ad gloriam comparandam parentur, commendat. Eum adhuc agere de vocatione ad fidem liquet, nam statim subjungit: "Quos et vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus."[2] Et ex tota oratione infert: "Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est, Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus."[3] Cæterum si quis contenderit de reprobatione et electione æque valere verba Apostoli, non admodum repugnamus, quum impii non dicantur a Deo in interitum creati, sed potius magna indulgentia et misericordia tolerati, licet interitui idonei, suis utique actibus. Figuli autem imaginem eo tantum adhiberi contendimus, ut jus divinum asseratur homines in ea relinquendi conditione, in qua natura sua seu culpa reperiuntur, vel eos ad finem cum honore conjunctum assumendi. "Aliud quidem vas in honorem; aliud vero in ignominiam. Non quod alios bonos, alios non bonos faciat: absit. Verum Dei quidem bonitas ad omnes communiter pertinet: et quantum in ipso situm est, hoc est, secundum ipsius consilium et voluntatem, vellet omnes probos et fideles esse, ac virtute præditos."[4] Ita S. Methodius martyr. Equidem quum imagines plerumque non omnino rebus quadrent, non sunt urgendæ ultra mentem iis utentium: ideoque Pauli verba de toleratis impiis figuli imaginis vim definire censenda sunt.

139. *Obj.* 5. In controversia Pelagiana S. Augustinus Pauli testimonia de electione et reprobatione constanter interpretatus est, et Dei propositum intellexit decretum divinum quo salus vel damnatio cuique pro Dei arbitrio destinatur. "Qui perseveraturi non sunt, ac sic a fide christiana et con-

(1) Rom. ix. 19.
(2) Ibidem 24.
(3) Ibidem 30.
(3) L. de resur. apud Œcumenium in c. ix. ep ad Rom.

versatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; procul dubio nec illo tempore quo bene pieque vivunt, in istorum numero computandi sunt. Non enim sunt a massa perditionis præscientia Dei et prædestinatione discreti, et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi."[1]

Resp. Quæ Paulus de electione ad fidem, et de fidei dono denegato tradidit, ad electionem ad gloriam, et ad reprobationem facile transferuntur, inter se tamen discernuntur, et sane intelligenda sunt. De Augustini sententia valde controvertitur: id tamen fidenter affirmamus, omnibus consentientibus scholis catholicis, et manifestis ipsius testimoniis suffragantibus, eum nequaquam docuisse reprobationem *formalem* et *positivam* fieri pro Dei arbitrio, absque malorum meritorum prævisione. In objecto loco nihil hujusmodi dicitur, nam præscientiam Dei ante prædestinationem commemorat.

140. *Obj.* 6. Augustinus ait: "Quum in primo homine universa generis massa in condemnationem defluxerit, quæ fiunt ex ea vasa in honorem non propriæ justitiæ, sed Dei misericordiæ vasa esse. Quod vero alia fiant in contumeliam, non iniquitati sed judicio deputandum."[2] Ita verba recitat Calvinus.

Resp. Utique in primi hominis lapsu ratio habetur cur genus humanum spoliatum sit donis gratiæ, et ab omni jure ad regnum cæleste dictum idcirco ab Augustino "massa damnata." Summa Dei misericordia contingit ut aliqui ad gloriam evehantur: justo judicio fit ut alii rejiciantur: attamen ad solum Dei arbitrium damnatio horum non est referenda, quum constet Deum omnium velle salutem, et Christum pro omnibus fudisse sanguinem. Præterea plurimis remissa est baptismo originalis culpa, quorum damnatio in eam rejici idcirco non potest. De parvulis loco objecto agebat Augustinus contra Pelagianos, nullamque dicebat dari posse rationem cur quidam baptismo liberarentur a noxa originis, alii absque baptismo decedentes vita æterna carerent, nisi quod omnes eadem condemnatione propter Adam obstringerentur: "Hoc diximus propter eos, qui non valentes in causa gratiæ inscrutabilia Dei judicia perscrutari, cur ex Adam massa, quæ profecto ex uno in condemnationem tota collapsa est, illud vas faciat in honorem, illud in contumeliam; tamen audent parvulos reos propriorum constituere peccatorum."[3] Deinceps dicit: "Hæc massa si esset in media, ut quemadmodum nihil boni ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio quod ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ; quod verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit ut

(1) L. de correpl. et grat c. vii. n. 16.
(2) Ep. cvi. de præd. et gratia nunc ep. clxxxvi.
(3) Ibidem n. 12.

sit apud Deum, sed judicio deputandum est."[1] De adultis baptizatis qui deinceps a gratia deciderint, et a salute, dici nequit peccatum originis esse damnationis causam, illud enim vere remissum et penitus sublatum est baptismo: quapropter Lucidus, prædestinatiano errore infectus, coactus est eam, quam propugnaverat, retractare sententiam: "quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur, quicumque deliquerit."

141. *Obj.* 7. Fieri non potest ut Dei præscientia fallatur: "Nonne si Deus illos bonos fore præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia versentur? et, si malos fore præscivit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur?"[2] Ita ex Augustino Calvinus.[3]

Resp. Verissima hæc sunt, nec tamen probant Deum suo arbitrio decrevisse reproborum interitum. Aliud est nosse ab æterno quid facturi essent homines gratiæ obtemperantes, vel reluctantes: aliud decernere pœnas, nulla criminum ratione habita. Mirum est Calvinum hæc adducere, quæ certitudinem divinæ prædestinationis ex præscientia repetunt.

142. *Obj.* 8. Prædestinatio gratuita sanctorum sexcentis in locis plane traditur ab Augustino, quam proinde theologi Augustinianenses et Thomistæ tamquam certissimum fidei dogma defendunt: prædestinatio verò reproborum cum ea necessario nexu conjungitur, qui enim electi non sunt, nonnisi reprobi esse possunt.

Resp. Prædestinationis vox pro divino decreto dandi gratiam, vel gloriam, vel utramque apud Augustinum sumitur. Contra Pelagianos negantes gratiæ necessitatem prædestinationem vindicavit, gratiam scilicet non humanis meritis sed, divina largitate tribui. Utrum prædestinationem ad gloriam ad divinum arbitrium totam retulerit, a studiosis ejus lectoribus disceptatur, salva fide. Ea quidem admissa sententia, sequetur cæteros non electos gloriam non assecuturos, a qua, veluti a munere indebito, excluduntur, sed non ideo necessariò in peccatum et interitum, Deo auctore, ruunt. Quod si sua infirmitate et pravitate peccent, damnationis causa penes ipsos erit. Cæterum quum illa quorumdam sententia a plurimis theologis catholicis rejiciatur, non est cur de consequentia inde derivanda simus soliciti, nam licet cum his sentire prædestinationem sanctorum niti præscientia meritorum gratiæ auxilio comparandorum, quæ sententia Calvino ipso fatente, "habuit sæculis omnibus magnos auctores."[4]

143. *Obj.* 9. S. Fulgentius scribit. "Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum; nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam ulla ratione posse salvari."[5]

(1) Ep. cvi. de præd. et gratia. n. 8.
(2) L. de bono persev. c. xv.
(3) Inst. l. iii. c. xxiii. n. 13.
(4) Inst. l. iii. c. xxii. n. 1.
(5) L. de fide c. xxxv.

Resp. Prædestinatio Dei certa est et immutabilis, est enim decretum ejus de donis a se largiendis; proinde quilibet prædestinatus perveniet ad salutem, quilibet non prædestinatus nulla ratione poterit salvari, contingere enim nequit ut Dei præscientia fallatur. Cæterum inde non sequitur quemlibet non habere subsidia quibus salvari posset si vellet, eumque velle etiam posse, ideo est interitus causa voluntatis perversitas, quam Deus prævidit quin ejus sit auctor.

144. *Obj.* 10. "Sic ex Dei prædestinatione pendet eorum perditio, ut causa et materia in ipsis reperiatur."[1] Ita Calvinus.

Resp. Quum materia perditionis ideo in reprobis reperiri dicatur, quod Deus ita decreverit, causa ad Deum potius referenda est. Id ex Calvini principiis plane sequitur, imo absque ambagibus enuntiatur, subjungit enim verbis objectis: "Lapsus est enim primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat: cur censuerit, nos latet. Certum tamen est non aliter censuisse, nisi quia videbat nominis sui gloriam inde merito illustrari."

145. *Obj.* 11. "Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur, sua constat æquitas: nobis quidem incognita, sed illa certissima. Unde constituimus nihil illos sustinere mali, quod non justissimo Dei judicio infligatur."[2]

Resp. Illudit nobis Calvinus, æquitatem ordinationis divinæ asserendo, qua homines necessitati peccandi et pereundi subjiciuntur, uti ipse non diffitetur: "Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem: præsertim quum ex Dei ordinatione sibi injiciatur hujusmodi necessitas."[3] Hujusmodi ordinatio injusta plane et crudelis foret, et Deo prorsus indigna.

146. *Obj.* 12. "Quicumque sunt ex reproborum numero, ut sunt vasa in contumeliam formata, ita non desinunt perpetuis flagitiis iram Dei in se provocare, et evidentibus signis confirmare, quod jam in se latum est Dei judicium, tantum abest ut cum ipso frustra contendant."[4] Ita Calvinus, ut ostendat eos non injuria damnari.

Resp. Quum juxta Calvinum reproborum flagitia non sint causa decreti reprobationis, sed illud sequantur, consequentia necessaria, non possunt in medium afferri ut ei constet æquitas. Hoc posito nil interest utrum frustra cum eo contendant, vel proni ferantur in vitia, quum necessariò damnandi sint: quod horret mens cogitare. Quis hæc, quæ scripsit Calvinus, legens non fremet? "Sua habet adversus reprobos judicia, quibus consilium de illis suum exequatur. Quos ergo in vitæ contumeliam, et mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent, et severitatis exempla,

(1) Inst. l. iii. c. xxiii. n. 8.
(2) Ibidem n. 9.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem n. 12.

eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat: nunc ejus prædicatione magis excæcat et obstupefacit."[1]

147. *Obj.* 13. Præscientia Dei aliud non est quam certa cognitio eorum quæ ipse facturus est: quum igitur omnibus fatentibus præsciat reproborum singulorum interitum, eum decernere dicendus est.

Resp. Deus præscit omnia futura, tum quæ ipse facturus est, tum quæ creaturæ, libero arbitrio ab ipso donatæ, prava voluntate facient, contra ejus legem, quorum auctor absit ut habeatur. Præscit reproborum crimina, et interitum, quem ob ea decernit; sed non ideo censendus est hunc proprio arbitrio, et nulla habita flagitiorum ratione, decernere; quod crudele foret.

(1) Inst. l. iii. c. xxiv. n. 12.

CAPUT VII.

DE JUDICIO.

148. Statim post mortem judicium singularum animarum fieri, ex Apostolo colligitur, quod veluti notum jam et apud omnes receptum indicat: "Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se ad salutem."[1] Equidem inter Christi mortem et secundum ejus adventum magnum intercedit intervallum; sed nulla suadet ratio mortem inter et judicium, quæ Apostolus conjungit, illud reperiri. Ecclesiasticus retributionem operum in die obitus inveniendam dicit: "In die bonorum ne immemor sis malorum: et in die malorum ne immemor sis bonorum; quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas."[2] Quum jam ostenderimus perfectos statim consequi gloriam cœlestem, peccatores in infernum detrudi: et quos urget levis culpa, vel pœnæ temporalis debitum, detineri aliquamdiu a gloria, liquet fieri judicium, quo uniuscujusque conditio et sors decernatur. S. Chrysostomus dicit: "Omnes animæ, cum hinc emigraverint, variis peccatorum pœnis implicitæ ad terribile illud ducentur tribunal."[3] S. Augustinus idem docet: "Rectissime et valde salubriter creditur judicari animas cum de corporibus exierint."[4] Cæterum humano modo judicium divinum concipiendum non est; nec enim diuturno examine opus est, quum Deus intueatur sinus omnes conscientiæ, et intuitu ipso sententiam veluti ferat.

149. Præter judicium hujusmodi quod *particulare* solet dici, *generale* seu universale omnium hominum judicium a Christo in fine sæculi futurum fides docet. In symbolo apostolico de Christo ad dexteram Patris sedente fidem nostram professi, adjungimus: "inde venturus est judicare vivos et mortuos." In symbolo athanasiano de eo loquentes dicimus: "ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem." Illud tamen negant passim

(1) Heb. ix. 27.
(2) Eccl. xi. 27.
(3) Hom. xiv. in Matth.
(4) L. ii. de anima et ejus orig. c. iv.

Rationalistæ, qui asserunt Christum *formulam* judicii adhibuisse ut sese Judæorum præjudicio accommodaret, hi scilicet Messiam judicium laturum expectabant.

PROPOSITIO.

Christus Dominus universos homines in fine mundi judicabit.

Probatur ex Scripturis.

150. Christus dicit: "Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ; et congregabuntur ante eum omnes gentes."[1] Pergit separationem justorum ab impiis referre, et judicis in utrosque sententiam. Paulus passim de judicio loquitur: "Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum."[2] S. Joanni judicium exhibebatur: "Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt . . . et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum."[3] Hæc adeo per se patent ut expositione non indigeant.

Traditio adeo claret hac in re ut superfluum foret aliqua adducere patrum testimonia.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

151. *Obj.* 1. "Judicii vulgaris descriptio nec Deo digna est, nec rationi conveniens, imo ducit ad vana commenta; nec perspici potest caussa, cur ii, quibus sors jam post mortem contigit, denuo judicandi sint." Ita quorumdam placita refert Rosenmüller.[4]

Resp. Nihil in judicii descriptione, qualis a sacris scriptoribus datur, Deo indignum est, quamvis non omnia sint *ad litteram* urgenda, quum pro scripturarum more res accommodentur humanæ cogitationi. Quod si nullum foret judicium, illuderent nobis Christus, et Apostoli, qui tam sæpe et tam perspicue illud tradunt. Causa autem manifesta est cur universi simul judicandi sint, ut justitia divina in tota œconomia mundi clarescat, et Christus, Dominus et Servator, judex ab omnibus simul agnoscatur.

152. *Obj.* 2. "Judicium solemne a Messia ante regni ejus initia exercendum Judæi dudum expectaverant." . . . . "Non igitur nova tum et ignota fuit ea doctrina. Sed Jesus correxit populares errores, servatis imaginibus."[5]

(1) Matt. xxv. 31.
(2) Apoc. xx. 12.
(3) II. Cor. v. 10.
(4) In Matt. xxv. 31.
(5) Ibidem.

Resp. Quidquid sit de Judæorum expectatione, Christus plane non ei se se accommodavit, sed sui adventus secundi adjuncta solemniter et perspicuò enuntiavit. Imagines quasdam adhibitas esse non negamus, quum sic ferret usus loquendi, sed rei salva veritate.

153. *Obj.* 3. Orbis non sufficeret hominum universitati.

Resp. Utique abunde sufficeret, uti calculo facto periti homines demonstrarunt : " Qui omnia proprie capiebant," inquit Rosenmüller, " veriti sunt, ne amplum orbis spatium non sufficiat tot hominibus, qui unquam vixerunt, et adhuc victuri sunt ; contra horum vanum timorem disputavi t Süssmilch."[1] Præterea relatio ad locum corporis gloriosi non eadem est ac corporis in præsenti rerum conditione.

154. *Obj.* 4. Frustra cogerentur in unum universi homines judicandi, quum singulorum conscientias rimari et dijudicare infiniti esset laboris ; sententiam autem ferre in universos nullo facto examine, divinam justitiam non exhiberet.

Resp. Non tarda indagine, sed lumine divino omnia cordium arcana patebunt, Dominus enim in adventu suo " illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium."[2] Magna Deo gloria exurget sanctis universis a Christo agnitis, impiis rejectis et damnatis.

155. *Obj.* 5. Quæ de tuba insonante et librorum examine dicuntur, translatum postulant sensum, sicut et plurima de sole obscurato, stellis de cœlo delapsis. Ergo tota descriptio prophetarum more facta censenda est, ad Christi triumphum, propagato ejus cultu, depingendum.

Resp. Certò affirmare non possumus quousque sensus obvius in illa magnifica judicii descriptione retinendus sit : sed tutò contendimus ipsam rem quam Christus describit futuram cum adjunctis solemnibus, quæ imaginibus adeo illustribus exhibentur. Veritatis magister non posset haberi si fundamentum deesset descriptioni, vel res alia describeretur, quam, ex sermonis occasione, vel adjunctis, nemo detegere posset.

156. *Obj.* 6. Judicii nomine insinuavit Christus triumphum suum de hostibus, diffusa fide et cultu quem tradidit. Ideo cum Hierosolymorum excidio illud conjunxit, ultionis scilicet inde initium faciendum docens.

Resp. Plurima quæ de judicio tradidit Christus, judicium plane spectant instituendum post rerum mundanarum vices, ut æterna hominum conditio statuatur et declaretur. Quod autem a Hierosolymitani excidii vaticinio ad judicii descriptionem transiisse plerisque videatur, contigit ex eo quod calamitates Judæorum imaginem quandam præbeant eorum quæ sub mundi finem evenient.

157. *Obj.* 7. Liquet Christum judicium enuntiasse futurum in ipsa qua vivebat ætate,[3] et Apostolos brevi illud eventurum prædicasse. Vana

(1) Rosenmüller in Mat. xxv. 32.
(2) I. Cor. iv. 5.
(3) Matt. xxiv. 34.

igitur spe vel terrore inani hominibus illusisse videbuntur, nisi de triumpho fidei, Christi nominis gloria, et infidelium punitione, magnis in eos irruentibus calamitatibus, intelligantur.

Resp. Quæ eventura dixit Christus antequam generatio quam alloquebatur transiret, respiciebant Hierosolymas, licet imago forent graviorum totius mundi calamitatum in fine sæculorum. Mirum igitur non est in prophetica locutione ea conjungi quæ temporum intervallo longissimo separantur, sed quæ habent inter se relationem et similitudinem. Equidem verba illa: *statim post tribulationem dierum illorum* ad judicium spectant; sed tribulatio de qua hic sermo ea est cujus imago præcesserat in Hierosolymorum eversione. Nullo pacto contendere quis poterit Christum judicium proximum dixisse, quum constanter recusaverit tempus illius habendi definire, se veluti ignarum exhibens, quod scilicet non foret hominibus revelandum. Postquam dixisset: "non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant:"[1] subjunxit: "De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus pater."[2] Apostoli pariter de judicio loquentes illud veluti imminens descripsisse videri possent, quia *particulare* et *generale* judicium simul mentibus fidelium obversari voluerunt, et homines incertos ea expectatione suspendi vult Deus; cæterum cavebant ne quis certo sibi persuaderet illud brevi futurum. Paulus ad Thessalonicenses secundam exaravit epistolam, ne deciperentur "quasi instet dies Domini."[3] Petrus etiam fideles monuit "quia unus dies apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos."[4]

CONCLUSIO.

Judicii extremi vindiciis contra Rationalistarum argutias finem toti operi nostro dogmatico ponimus. Revelationis testimonia et subsidia quibus innotescat, primo explicuimus volumine; quæ de Deo, et de redemptione, Christi morte comparata, fides docet in altero tomo vindicavimus. Sacramenta, salutis efficacia subsidia, tertio et quarto, quod jam ad finem perducimus, voluminibus ostendimus; beatam quo nos ducunt vitam demum indicantes. Plurimas a nobis prætermissas quæstiones, quæ solent a Theologis agitari, animadvertit eruditus lector, pleraque novo ordine methodoque tractata. Jam animi consilium quo hanc institimus viam ingenue exposuimus: diligentiam studiumque nostrum non defuisse quisque facile videt: quo autem successu suum unicuique erit judicium. Nullam nobis ingenii laudem vindicamus, sed ex animo agnoscimus tenues

(1) Matt. xxiv. 34.
(2) Ibidem 36.
(3) II. Thess. II. 2.
(4) II. Pet. iii. 8.

esse admodum vires, et infirmas. Quidquid pro humana conditione nobis exciderit minus accuratum, moniti emendabimus: si quid, quod absit, sanæ doctrinæ haud consonum inveniatur, illud jam sublatum et rejectum habendum erit; quum ab omni doctrina novitia, contra fidem semel sanctis traditam, penitus abhorreamus. Judicio autem episcopi episcoporum, cujus est fratres in fide confirmare, totum opus, et scripta omnia nostra subjicimus.

FINIS.

APPENDIX I.

HÆRESUM ET SCHISMATUM

RECENSIO.

I. Sæculo.

Simon Magus, samaritanus gente, Christiana Religione, quam prædicante Philippo amplexus fuerat, abjurata, monstra errorum excogitavit. Se omnium auctorem jactitabat, primamque mentis suæ conceptionem, seu *Ennoiam*, ei genuisse angelos; eam postea in Helena Trojana fuisse, et denique in Helena meretrice a Tyro, quam secum circumducebat; dicens se ad ovem illam perditam, *Ennoiam* suam scilicet, quærendam e cœlis descendisse.[1] Inter Judæos se tamquam filium apparuisse tradebat; in Samaria tamquam Patrem descendisse; in cæteras vero gentes tamquam Spiritum Sanctum.[2] Secundum ipsius gratiam salvari homines docebat, justis operibus rejectis; promiscuæque patrocinabatur libidini. Angelos idololatrico cultu prosequebatur, putans sacrificia summo Patri per eos offerenda.[3] Eum obiisse lapsu ex aere, quo magicis præstigiis sese sustulerat, Petro Apostolo Deum, ut Neronem, populumque Romanum simulato prodigio non deciperet, deprecante, veteres referunt auctores.[4] Romanos tamen statuam ei demortuo erexisse testatur S. Justinus; quapropter critici in controversiam vocant lapsum.

Menander samaritanus, Simonis discipulus, anno 74 similes docuit errores; se tamen Simone majorem, et hominum Servatorem prædicabat; baptismate suo eos ex angelorum dominatu eripiendos, et morte etiam eximendos fidenter promittens.[5]

(1) Vide Irenæum l. i. c. xxiii. novæ editionis.
(2) Ibid. c. xx.
(3) Epiphan. hær. xxi. c. iv.
(4) Arnobius l. ii. contra gentes. Cyrillus Hierosolym. Cat. vi.
(5) Vide Tertul. l. de anima c. 50. Iren. l. i. c. 21.

Cerinthus, Apostolis viventibus, Christianam fidem vitiare et evertere conatus est. Deum unum esse docebat; mundum tamen conditum esse a potestatibus quibusdam, quæ eum penitus ignorant. Legem cum Evangelio necessariò servandam propugnabat. Christum in Jesum, quem merum hominem ex Maria et Joseph genitum dicebat, delapsum eo baptizato dicebat; eumque, utpote spiritalem, nullam passum pœnam, quamvis homo Jesus vere passus sit. Matthæi Evangelium mutilatum apud Cerinthianos legebatur; Pauli epistolis, actibusque apostolicis rejectis. Resurrectionem carnis agnoscebant; redivivos autem homines per mille annos cum Christo Hierosolymis voluptati vacaturos fœde cogitabant, unde *Millenarii*, seu Chiliastæ, dicti sunt.[1]

Ebion Christum merum hominem ex Josepho et Maria genitum docuit; a quo tamen errore aliquatenus recesserunt nonnulli ejus sectatores, qui Christum Spiritus Sancti opera conceptum admittebant, quin eum antea extitisse faterentur. Christo a Deo potestatem mundi futuri commissam, præsentis vero mundi diabolo effutiebat. Ritus Mosaicos Christianis admiscuit. Matthæi Evangelium, cæteris scriptis novi Testamenti rejectis, legebat, spuriis etiam actibus apostolicis adjectis. Prophetas sprevit; Mosis tamen scripta, detractis nonnullis, retinuit.

Nicolaitæ a Nicolao diacono orti creduntur. Promiscuum commercium mulieres inter et homines docebant licere. Ineptissimas fabulas de mundo condito venditabant, *æones* quosdam hominum spiritumque auctores prædicantes.

II. Sæculo.

Saturninus Antiochenus, circa annum 120, hæresim Simonianæ similem conflavit; Patrem omnium ignotum a quo conditi sunt angeli asserens, iisque mundi et hominis creationem vindicans. Judæorum Deum angelum esse, Christumque specie tantum apparuisse, et passum docuit. Nuptias et generationem ex dæmone profectas asseruit.

Basilides, Alexandrinus, similia errorum monstra, variata licet forma, peperit. Martyrium insuper damnavit: corporis negavit resurrectionem; nullas peccatorum post mortem pœnas admisit, præter transmigrationem animarum.

Helceseitæ, auctore Elxai, Christum creaturam profitebantur; Spiritum Sanctum sexu fœminam effutiebant; damnabant continentiam, imperabant nuptias; Sancti Pauli rejiciebant epistolas. Alios etiam tradebant errores.[2]

Carpocrates Alexandrinus docuit creaturas corporeas ab angelis conditas; Jesum ex Joseph et Maria natum; nihil natura malum esse, sed sola hominum opinione; omnem voluptatem licere; animas ex corpore in cor-

(1) Vide Irenæum l. iii. c. xix. Eusebium l. iii. hist. Eccl. c. xxii.
(2) Vide Epiphanium hær. xix. et l.

pus migrare. Christi imaginem simul cum Pythagoræ, Platonis, Aristotelis aliorumque, Ethnicorum ritu colebat.[1]

GNOSTICORUM nomen Carpocratis discipulis, aliorumque hæreticorum sectis tribuebatur, qui suam scientiam jactabant. Exècrandas eorum libidines, sibi ex eorum libris notas, refert S. Epiphanius.[2] Principes 369, ceu minores deos, inter quos Christum in octavo cœlo positum, agnoscebant; negabant eum carnem vere suscepisse; professionem castitatis, martyria, et jejunia damnabant.

CERDO syrus, Hygino Pontifice, Romam adveniens, Deum a lege prædicatum denegavit esse Christi Patrem; Christum ipsum ab ignoto Patre e cœlo descendisse, et specie tantum induisse carnem docuit; vetus rejecit Testamentum, novum quoque, excepto Evangelio Lucæ, et nonnullis Pauli Epistolis, quas tamen pro arbitrio mutilavit.[3]

MARCION, Ponticus genere, ob stuprum, a patre jam ad episcopatum evecto, ex Ecclesia ejectus, duos docuit esse Deos, unum bonum, alterum malum, cui mundi aspectabilis creationem tribuit; duos etiam Christos, quorum alter adhuc ad restituendos Judæos venturus est; veram carnem Christum priorem assumpsisse denegavit; corporis resurrectionem impugnavit; Testamentum vetus rejecit; ex novo autem Lucæ Evangelium mutilatum, nonnullasque Pauli epistolas agnovit; baptismi mutavit formam: propagationem generis humani damnavit. Morti proximus pacem Ecclesiæ petiit, uti refert Tertullianus: "Idem Marcion pœnitentiam confessus, cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est."[4]

VALENTINUS, spe episcopatus delusus, uti refert Tertullianus, figmenta æonum ex Hesiodo, aliisque poetis Græcis, ad Christianam Religionem transferre conatus est. Triginta hujusmodi Æonas constituit, quibus omnibus aliquid conferentibus, Jesum editum, *pleromatis* sive universitatis fructum, dictitabat. Corpus illius e cœlo delatum "per virginem, non ex Virgine editum" (verba sunt Tertulliani) asserebat. Traditiones rejecit, teste S. Irenæo. Cæteros ejus errores turpissimos et vanissimos referre non vacat. Qui eos ex Veterum auctoritate nosse cupit, adeat Natalem Alexandrum.[5]

Ex secta Valentini variæ aliæ sectæ pullularunt; Secundiani a quodam Secundo; Ptolomaitæ a Ptolomæo; Marcosii a Marco; Colobarsiani a Colobarso, qui summum omnium auctorem hominem vocari effutiit; Heracleonitæ ab Heracleone; Archontici, et Barbeliotæ, seu Borboriani.

(1) Vide Irenæum l. 1 adv. hær. c. xxiv. Euseb. l. iv. hist. Eccl. c. vii. Epiphan. hær. xxvii.

(2) Hær. xxvi.

(3) Irenæus l. i. c. xxviii. Euseb. l. iv. hist Eccl. c. x.

(4) L. de præscr. c. xxx.

(5) Hist. Ecc. Vol. v. c. iii.

Florinus, Romanus Presbyter, ad ultimam hanc sectàm deficiens, inter alios errores docuit Deum esse auctorem malorum, teste Augustino.[1] Archontici damnabant Baptismum.

Tatianus, Philosophus Syrus, fidem Christianam amplexus est, Justinique factus est auditor; post cujus martyrium scientia inflatus in graves fœdosque errores lapsus est. Valentinianorum de æonibus figmenta mutuatus est: matrimonium etiam damnavit. Encratitæ (sic enim vocabantur ob continentiæ professionem Tatiani sectatores,) animantium vinique usum aversabantur; pluraque agnoscebant principia, inter quæ diabolus locum habuit.[2]

Severiani, a Severo sic dicti, Tatiani propugnabant errores, Paulique epistolas, et Actus Apostolicos rejiciebant; docebantque mulierem Satanæ opus esse, et inferiorem hominis partem ab ipso conditam.[3]

Montanistæ, dicti etiam Pepuziani et Cataphryges, auctore Montano, in Mysia Phrygiæ nato, deliria maxima exhibuerunt. Ipse Prophetiæ donum jactans, Priscillam et Maximillam meretrices eo dono præditas fingebat. Sectatores illius eum tamquam Paracletum seu Spiritu Sancto specialiter afflatum venerabantur; damnabant secundas nuptias; tres quadragesimas quotannis jejunio consecrandas dictitabant: "ad omne pene delictum Ecclesiæ fores obserant" inquit Hieronymus.[4] Pepuziani mulieres etiam ad episcopatum et presbyteratum evehebant. Montanum et Maximillam laqueo sibi mortem conscivisse testatur Apollinaris Hierapolitanus apud Eusebium.[5]

Bardesanes syrus, fidei confessione illustris, gloriam inde comparatam Valentinianis erroribus amisit.

Theodotus, Bysantinus coriarius, post. denegatum in persecutione Christum, eum merum hominem dicebat, quam ob causam a Victore Pontifice communione Ecclesiæ privatus est.[6]

Alogi, ab ipso orti vel propagati, Verbum incarnatum fuisse negabant; et S. Joannis Evangelium, et Apocalypsim repudiabant.[7] Theodotus Trapezita Christum inferiorem Melchisedecho dicens, sectæ Melchisedechianorum occasionem præbuit. *Artemon* etiam Christum hominem dicebat.

Apelles Marcionis magistri sui erroribus adjecit, Filium Dei ex cœlo descendentem corpus ex quatuor elementis sibi compegisse, illudque eis restituisse, dum ascenderet.[8] Anno 146 hæc hæresis emersit.

(1) L. de hæresibus.
(2) Vide Irenæum. l. 1. c. xxxi. Euseb. l. iv. hist. c. xxvii.
(3) Epiphanius hær. xlv.
(4) Ep. liv. quæ est ad Marcel.
(5) Hist. l. v. c. xv.
(6) Theodoret. l. ii. hær fab.
(7) Ephiph. hær. li.
(8) Ibidem hær. xliv.

ADAMITÆ, a Prodico Gnostico homine orti sunt; nomenque sortiti ab Ada, quem nudum in suis cœtibus imitabantur; promiscuæ etiam indulgentes libidini.[1]

OPHITÆ, auctore Euphrate quodam, Christum serpentis specie Adam decepisse asserentes, eumque in serpentem versum, serpentem ideo adorabant. Christum a Jesu eos distinxisse refert Theodoretus; et docuisse Christum e cœlo in Jesum descendisse.

SETHIANI existimabant Seth esse Christum.

CAINANI Cainum, Esau, Core, Dathan, Abiron, Judam Iscariotem, aliosque improbos tamquam a potentiori virtute profectos colebant; flagitia omnia ad salutem viam sternere asserebant; angelos diversos pro libidinum varietate fingebant; blasphemabant Deum legis auctorem; negabant resurrectionem, baptismique ad salutem necessitatem impugnabant.[2]

HERMOGENES, a Christiana fide sub finem secundi sæculi deficiens, materiam esse Deo coæternam inter alios errores docuit.

III. SÆCULO.

BERILLUS, Bostrorum in Arabia episcopus, asseruit Filium Dei non fuisse ante quam in humana carne extiterit: sed ab Origene ad fidem revocatus est.

PRIVATUS incertæ hæreseos auctor in concilio Labesitano damnatus est anno 240, aut circiter; latamque in eum Sententiam confirmavit Fabianus Papa.

Arabes quidam, animam cum corpore extingui, iterum cum eo surrecturam, asserentes, in concilio Arabico, cui adfuit Origenes, anno 247, aut 249, damnati sunt.

FELICISSIMUS, suadente Novato, schisma contra S. Cyprianum fecit, Fortunatumque Pseudo-episcopum constitui curavit; Cyprianum erga lapsos severitatis incusans, quem etiam episcopatu abdicare aggressus est.

NOVATUS, presbyter Carthaginensis, excommunicationis fulmen ob gravissima facinora metuens, Romam fugit, et NOVATIANUM, presbyterum Romanum, ad schisma impulit. Tres episcopos, homines plane rudes ac simplices, ex vilissima Italiæ parte accitos, ad tradendum sibi episcopatum per vim ac fraudem Novatianus cœgit: sectatoresque suos ad deserendum Cornelium legitimum pontificem tremendo jurejurando, dum eucharistiam iis ministraret, constrinxit: "Jura mihi per Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te numquam meas partes deserturum; nec ad Cornelium esse redituruum." Hæresim schismati adjunxit et "omnibus Ecclesiis ubique scripsit litteras, uti eos qui simulacris immolassent, mi-

(1) Epiph. hær. lii. Theodoret. l. i de hær. fab.

(2) Tertullian. l. de bapt. c. i.

nime ad mysteria admitterent; sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest et habet auctoritatem peccata remittendi."[1] Sectatores Novatiani graviora delicta ab Ecclesia remitti non posse docebant. Errorem Novatiani damnavit concilium Romanum præside Cornelio, anno 253.

Rebaptizantes, ortum ducere censendi sunt ab Agrippino, Carthaginensi episcopo, qui habito concilio, anno 215 circiter, "primus omnium mortalium rebaptizandum esse censebat."[2] In Orientem nova illa agendi ratio inducta est, et in synodis Iconiensi et Synadensi, anno circiter 256, probata; Firmilianum, Cæsareæ in Cappadocia episcopum, nacta præcipuum propugnatorem. S. Cyprianus etiam, Agrippini decessoris sui secutus auctoritatem, baptismum hæreticis ad Ecclesiam venientibus conferendum esse, etsi in sua secta dicerentur baptizati, sanxit in concilio Carthaginensi, anno 256; et in altero, eodem anno et loco, septuaginta uno episcopis probantibus; imo in tertio pariter ibidem eodem anno habito, cui octoginta septem episcopi aderant. Conciliorum istorum decreta S. Stephanus pontifex Romanus vehementer improbavit; episcoposque, qui ea condiderant, sua communione privandos minatus est; vel ut nonnulli contendunt reipsa privavit: "Stephanus," inquit Augustinus, "abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere niterentur. . . . . Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schismatis malum oriretur."[3] Firmilianus, ruptæ pacis violatæque unitatis incusans Stephanum, occasionem præbet pluribus dicendi excommunicationem revera latam; quam tamen si lata fuerit, paulo post revocatam a Stephano, vel saltem ab ejus successore Xysto, dicere necesse est, ut Augustino constet fides. Cyprianus vehementer in Stephanum, tamquam sua auctoritate abutentem ad evellendam consuetudinem innocuam, invectus est; tamen "in Catholica unitate permansit, et charitatis ubertate compensatum est, et passionis falce purgatum." Disputatio hæc, quæ diu agitavit homines sanctos doctosque, nulla tamen fidei definitione a Stephano edita, "ad Plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta est, post Cypriani quidem passionem,"[5] sed antequam Augustinus natus esset; concilium Nicænum quippe decrevit omnes hæreticos suscipiendos in Ecclesiam, quin baptismus iis iterum conferretur, exceptis Pauli Samosateni discipulis, qui forma legitima non utebantur.

Apostolici, præter Encratitarum et Novatianorum errores, docuerunt non licere aliquid possidere.[6]

(1) Socrates l. iv. hist. Eccl. c. xxiii.
(2) Vincent. Lirin. in Common. c. vi.
(3) L. v. de Bapt. contra Donat. c. xxi.
(4) Ibidem l. ii. c. iii.
(5) Ibidem c. ix.
(6) Vide Epiphan. hær. lxv.

Angelici varios circa angelicos spiritus errores docuerunt.[1]

Praxeas, tertii sæculi initio, tres esse in Deo personas negavit, Deumque tribus nominibus, pro variis quibus erga homines functus est officiis, appellari asseruit, ita ut ipsum Patrem passum esse contenderet. Noetus Ephesius eundem errorem vehementius propugnavit; quem etiam suum fecit Sabellius Ptolemaide in Lybia natus. Sectatores hujus erroris vocati sunt Praxeani, Noetiani et Sabelliani. Errorem ipsum damnavit in Synodo Alexandrina Dionysius Alexandrinus.

Paulus Samosatenus, facinoribus plurimis obstrictus, anno circiter 262, nescio quo fato, episcopatum Antiochenum adeptus est, quem pessime administravit, hæreticam doctrinam flagitiis adjungens. Christum ante Mariam fuisse negavit; Verbum autem quod in eo habitavit non fuisse a Patre distinctum, antequam in Christum descenderit, illudque meram esse Patris virtutem et efficaciam contendit. Error ille reprobatus est in duobus conciliis Antiochenis, annis 264, et 270, et Paulus episcopatu amotus; Aureliano Imperatore, Ethnico licet, domum episcopalem iis tradendam jubente, quibus Itali episcopi, Romanus præsertim pontifex, juberent.[2]

Manichæorum sectæ origo ad Scythianum quendam refertur, quamvis nomen a Manete seu Manichæo Persa, derivatum sit. Probo imperante orta est hæc hæresis. Duo principia suprema, inter se adversa et æterna, bonum scilicet et malum, propugnabant. Carnem ex materia et materiam a mali principio procreatam effutiebant. Generationem et nuptias damnabant; mulierum tamen consortio iis permisso qui inter auditores recensiti, ad electorum gradum non pervenerant. Execrabantur Sanctorum reliquias, adeo flagrabant odio carnis: animas per veritatis agnitionem nunc resurgere, corpora autem nunquam surrectura docebant; Jesum ex Spiritu Sancto et terra patibilem gigni, et in omnibus herbis et arboribus esse suspensum effutiebant; Vetus Testamentum rejiciebant; liberum negabant arbitrium; baptismi necessitatem impugnabant; bellum non licere contendebant;[3] Manetem Paracletum a Christo promissum prædicabant; Christum esse Dei virtutem dicebant, negantes veram carnem ab ipso assumptam. Vinum, ut fel principis tenebrarum, adversabantur. Ex utroque errore profecta est illa agendi ratio, qua ad eucharistiam accedentes a calice abstinebant, contra communiorem illorum temporum disciplinam: "Sanguinem Redemptionis nostræ haurire omnino declinant;" inquit S. Leo.[4]

Hieracithæ, ab Hierace seu Hieracha dicti, plures Manichæorum errores amplexi sunt, propugnantes insuper Melchisedech esse Spiritum Sanctum.

(1) Epiphan. hær. lx.
(2) Vide Eusebium l. vii. hist. Eccl. c. xxiii. xxiv.
(3) Aug. l. xx. contra Faustum c. xxi. et. l. xxii. Vide et l. de hær. c. xlvi.
(4) Serm. xliv. de Quadragesima.

Nepos, Ægyptiacus episcopus Millenariorum fabulam renovavit absque animi pertinacia, ideoque in pace Ecclesiæ mansit. Error autem ab ipso propugnatus Dionysium Alexandrinum nactus est adversarium, qui post mortem Nepotis duos libros *de Promissis* scripsit. Coracion Nepotianorum dux errorem ejuravit.

Origenes ingenio, doctrina, virtute, debellatisque hæreticis insignis, plurimos errores suis operibus admiscuit; quapropter a Demetrio Alexandrino in synodo sacerdotio exutus est. Sententiam ratam habuit S. Pontianus, Romanus pontifex, plurimique per orbem episcopi. Origenes libros suos ab hæreticis vitiatos querens Alexandria Cæsaream Palestinæ se contulit, ibique diu floruit, communione Catholicorum episcoporum ad mortem usque fruens. Errores qui in ejus libris reperiuntur sequentes recensentur. 1°. Quod Filium non esse natum, sed factum, et esse Patre inferiorem senserit, et Spiritum Sanctum Filio esse inferiorem: 2°. hominum animas ante corpora fuisse creatas, et cælestes esse virtutes, ob peccata in corpora immissas: 3°. animam Christi Deo Verbo unitam præextitisse ante Incarnationem: 4°. Christi passionem dæmonibus profuturam; imo Christum pro ipsis in sæculo futuro crucifigendum: 5°. dæmones hominesque reprobos aliquando ad salutem perventuros: 6°. animas beatas a perfectione deflectere posse, et in corpora iterum trudi: 7°. Carnis resurrectionem non futuram, corpus vero orbiculatum, et perfectissimum resurrecturum: 8°. ignem inferni esse conscientiæ dumtaxat futuros stimulos: 9°. astra esse animantia. 10°. Mosaicam de Paradiso primisque hominibus narrationem esse allegoricam: 11°. gratiæ dona tribui pro meritis in priori vita acquisitis. Nulla ab Origene instituta est secta, sed eo demortuo anno 256, errores ejus diu manserunt innocui. Exeunte sæculo quarto monachi Ægyptii, Nitriæ montem incolentes, eos amplexi sunt, sicut et Joannes Hierosolymitanus episcopus, et Ruffinus Aquileensis. Anno Christi 400 Anastasius pontifex Romanus errores Origenianos nota hæresos inussit. Damnaverat anno præcedenti in synodo Alexandrina Origenem, ejusque errores, Theophilus Alexandrinus. Origenistæ ex Ægypto Constantinopolim profecti, a S. Joanne Chrysostomo, quem specie pietatis deceperunt, benigne excepti sunt, quæ gravium ipsum inter et Theophilum dissidiorum fuit occasio. Eos damnavit S. Epiphanius in concilio Cypriorum episcoporum. Anno 530 Origenismus iterum e monasteriis Palæstinæ emersit, et pleno instituto examine anno 553 in quinta synodo Œcumenica damnatus est.

IV. Sæculo.

Anno 311 circiter Donatistarum schisma erupit. Quum Cæcilianus Carthaginensis episcopus rite consecratus a Felice Aptungitano, Ecclesiæ vasa a decessore suo Mensurio quibusdam concredita repeteret, eorum sibi conflavit odium. Hi prætexebant dissidii causam, Felicem tradidisse

Ethnicis codices sacros flagrante persecutione, proindeque asserebant Cæcilianum legitimum episcopum non esse, utpote qui a *traditore* ordinatus fuerat. Majorinum Pseudo-episcopum constituerunt, auctore Donato a Casis Nigris: Majorino demortuo suffectus est Donatus, ab illo mox nominato diversus, quo Carthaginensem sedem occupante, sectatores ejus dicti sunt Donatistæ. Constantinum imperatorem supplicarunt, ut assignatis judicibus rerum veritatem exploratam redderet, qui respondit: "Petitis a me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem;" dedit tamen tres episcopos judices, una cum Melchiade pontifice Romano, et episcopis Italis. Hi in concilio Romano, anno 313, Donatistis damnatis, Cæciliani vindicarunt innocentiam. Conquesti sunt Donatistæ rem non satis fuisse discussam, paucosque adfuisse episcopos, quapropter Constantinus frequentius concilium Arelate convocavit, cujus judicio iterum damnati imperatorem appellarunt: "O rabida furoris audacia!" (exclamavit imperator) "Sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt."[1] Schismati hæresim addiderunt, docentes baptismum extra Ecclesiam veram nullum esse, extra quam constituebant traditores sacrarum codicum, omnesque iis communione conjunctos. Hinc asserebant se solos, quamvis in Africæ parte dumtaxat consistentes, esse veram Ecclesiam. Facinora quamplurima ab iis patrata in Catholicorum contumeliam et injuriam, eversio scilicet altarium, Sacramentorum tractatio indignissima, clericorum trucidatio, aliaque immania scelera, imperatorum provocarunt iram; quapropter Constantinus eos capitis pœna afficiendos decrevit, exilium tamen aliasque mitiores pœnas postea substituit. Sævientes Donatistæ, quorum plurimi sese præcipites e rupibus dederunt, *Circumcelliones* dicti sunt. Donatistæ anno 394 in duas schismaticas factiones abierunt. Anno 411 Collatio inter episcopos Catholicos et Donatistas Carthagine habita est, 286 Catholicis episcopis, 159 Donatistis convenientibus; maximo cum fructu "ita ut pene omnes communioni Catholicæ sociatos esse" referat Augustinus.[2] Post id temporis desierunt molestiam exhibere, quamvis usque ad finem sæculi sexti vestigia aliqua eorum superessent.

Meletianorum schisma Meletium Lycopolis in Ægypto episcopum auctorem habuit, sub initium sæculi quarti. Hic episcopatu depositus a S. Petro Alexandrino ob idololatriam, aliaque scelera, ordinationes quæ ad jus Alexandrini Episcopi spectabant, sibi usurpavit, schismaticosque, celebravit conventus, fide tamen nullo novo errore vitiata.

Inter Meletianos aliquamdiu versatus est Arius, ex Lybia oriundus, qui tamen schismati renuntians, a S. Petro Alexandrino Diaconus ordinatus est. Sancto antistiti anathemate ferienti Meletianos restitit, eaque de causa ipse ab Ecclesia est pulsus; cujus tamen pace iterum donatus, ab Achilla,

(1). Optat. Mil. l. i. contra Parmenian.
(2) L. de gestis cum Emerito.

Petri successore, presbyter est factus. Alexandro Achillæ demortuo suffecto, Arius a spe frustratus, hæresim propagare cœpit, anno circiter 317, asserens "Filium esse creaturam Dei perfectam, sed tamen non ut aliquid ex creaturis." Duos episcopos, nonnullosque presbyteros in suas traxit partes, quos omnes 14 numero anathemate percussit S. Alexander, habito 100 episcoporum concilio Alexandriæ. In Orientem Arius se contulit, omnique adhibita arte, nonnullorum episcoporum aucupatus est gratiam, et molli pœmate edito, *Thaleiæ* nomine, plurimos omnis generis suo infecit errore. Œcumenicum habitum est Nicææ concilium, anno 325, ut grassanti pesti mederetur, et 318 Patres solemni definitione Christum Deum esse Patri consubstantialem declararunt. Arius plus semel suos dissimulavit errores, et simulata fidei professione Ecclesiæ communionem recuperaturus erat, ni S. Alexander Constantinopolitanus precibus et jejuniis tanto malo obstitisset. Animam simul cum visceribus in latrinis effudit, justo Dei judicio, pridie quam esset, sancto antistite invito, in Ecclesiam Constantinopolitanam introducendus.

Ariani in tres præcipuas factiones se diviserunt. *Ætiani* et Eunomiani ab Ætio et Eunomio episcopis Arianis nuncupati, Christum dissimilem Patri esse contendebant, quapropter et Anomæi dicti sunt ἀνόμοιοι. Semi-Ariani eum similem esse Patri etiam quoad substantiam ὁμοιούσιον fatebantur. Inter hos recensebantur nonnulli fidei omnino rectæ, quamvis vocem ὁμοούσιον seu *consubstantialem*, tamquam dissidiorum occasionem non probarent. Acaciani, ab Acacio episcopo Cæsareensi orti, Filium similem Patri ea tantum ratione qua imago similis est homini agnoscebant. Persecutiones Arianorum in S. Athanasium Alexandrinum, varias quas pro arbitrio cudebant fidei formulas, conciliabula quæ celebrarunt, fraudes et vim quibus usi sunt ad suos celandos propagandosve errores, aliaque ad eorum historiam pertinentia apud ecclesiasticos scriptores videre est.[1]

Eunomius Arii errori plurimos adjecit. Jactabat se Deum ita perfecte cognoscere, sicut ipse se cognoscit Deus. Reliquias Martyrum contempsit, teste Hieronymo. Docuit perseverantiam in peccatis etiam gravissimis non obesse iis qui fidei quam tradebat essent participes.

Colluthiani a Collutho presbytero Alexandrino, qui episcopalia munera usurpans, Ischyram consecrare aggressus est episcopum, orti sunt. Asseruit ille Deum non esse malorum naturæ et pœnæ auctorem. Brevi extincta est secta, teste Epiphanio.[2]

Photinus, Sirmiensis episcopus, anno 343 circiter, cœpit hæresim propagare, Sabellii restaurans errorem. Christum ex Maria initium habuisse, et proinde merum esse hominem docuit; Verbum autem nullam habere hypostasim propriam, sed esse tamquam energiam Patris. Damnatus est in concilio Mediolanensi anno 347.

(1) Consule Natalem Alexandrum hist. Eccl. sæc. iv.
(2) Hær. lxix.

Audiani, a Audæo Mesopotamia orti, præcipue errabant de Deo, quem humanam habere formam finxerunt. Aspera Audæi, viri integerrimi, indoles, quæ eum ad increpandos clericos impulit, ejus defectionis ab Ecclesia fuit causa.[1]

Eustathiani ab Eustathio Sebasteno, Ariano Episcopo, originem duxerunt. Damnabat hic nuptias, easque ineuntibus omnem spem æternæ beatitudinis adimebat: carnium esu, veluti malo, interdicebat; filios a parentibus, servos a dominis continentiæ prætextu abducebat; Ecclesiæ jejunia violabat, ipse verò jejunabat Dominica die, contra disciplinam Ecclesiæ; abhorrebat a conventibus quos Christiani ad martyrum memorias celebrabant. Hos aliosque errores damnavit concilium Gangrense, paulo post Nicænum habitum.

Macedoniani, a Macedonio, qui opera Constantii imperatoris in sedem Constantinopolitanam intrusus est, Paulo legitimo Antistite exule, orti sunt. Sede dejectus ob seditionem, cui præbuit occasionem, spargere cœpit hæresim, Spiritum sanctum creaturam esse asserens. Morum gravitate et orationis copia plurimos suo infecit errore, Marathonio etiam adjuvante, a quo ejus sectatores Marathoniani dicti sunt. Anno 360 erupit hæc hæresis: damnata est anno 362 in synodo Alexandrina, et anno 367 in synodo Illyrici, in duabus etiam synodis Romanis sub Damaso, et in concilio Constantinopolitano anno 381, quod etsi Orientalibus tantum constaret, œcumenici tamen nomen sortitum est, concilio Romano cum eo in unum veluti coeunte.

Schisma in Ecclesia Antiochena circa annum 340 factum est. Eustathio episcopo Catholico a Constantio in exilium acto, Catholici complures noluerunt communionem inire cum Eulalio, qui in ejus locum intrusus fuerat. Eustathianorum nomen ea de causa acceperunt. Meletius Sebastenus anno 360 ab Arianis ad eamdem sedem translatus est, quem etiam, etsi fidei Nicænæ adhærentem, Catholici quamplurimi aversati sunt; alii vero ei obsequentes Meletianorum nomen sunt sortiti. Lucifer Calaritanus, dissidia ut componeret, Paulinum episcopum creavit; quo factum ut tres essent factiones inter ipsos Catholicæ fidei professores. Ambigua vocum significatio auxit dissidium. Meletio tres hypostases, Paulino unam tantum propugnante, quamvis in fide trium personarum in divina natura convenirent. Meletius ab exilio revocatus a Gratiano, res cum Paulino composuit, ea conditione ut alterutro mortuo alter solus Ecclesiam gubernaret. Contra tamen evenit, mortuo enim Meletio Orientales episcopi Flavianum in ejus locum suffecerunt, et Paulino demortuo Evagrius substitutus est; nec statim post Evagrii mortem Flavianus ab omnibus agnitus est.

Luciferianorum schisma anno 362 natum est, auctore Lucifero Calaritano, qui ægre ferens quod ordinatio Paulini plurimis non probaretur, ab

(1) Vide Epiphanium hær. lxx.

eorum recessit communione, qui, juxta Alexandrinæ synodi decretum, lapsos in proprio ordine recipiebant in Ecclesiam. Per Italiam, Sardiniam, Hispaniam, Antiochiam et Ægyptum grassatum est schisma. Anno 370 mortuus est Lucifer, quem Ecclesiæ pacem obtinuisse verosimile non est; quamvis apud Calaritanos sacros obtineat honores quidam Lucifer Calaritanus, quem tamen ab eo diversum Hunnerici temporibus floruisse, et Catholicam fidem Carthagine propugnasse, ex Africanæ Ecclesiæ notitia colligitur.

Apollinaristæ, ab Apollinari, presbytero Alexandriæ nato, Laodicenæ vero Ecclesiæ adscripto, ejusque filio, ejusdem nominis, orti sunt. Uterque ab Ecclesia ejectus fuerat a Theodoto, eo quod Epiphanium sophistam Ethnicum, Bacchi in honorem hymnum recitantem, audirent, postea tamen sunt restituti. Junior Apollinaris iterum ejectus hæresim disseminavit. Docebat Verbum non assumpsisse animam humanam, quosdamque in Trinitate constituebat gradus. Discipuli novos adjecerunt errores, dicentes divinam Verbi substantiam in carnem conversam, et in ipsa passam esse; contendentes etiam carnem non ex Maria desumptam, sed cœlo delatam. Mille annos post judicium Christum in terra cum sanctis regnaturum, et restauraturum omnes Judaicos ritus Apollinaris docuit. S. Basilius Apollinarem ad Damasum Pontificem detulit, qui anno 373, habito concilio Romæ, ejus errores anathemate confixit.[1]

Aerius, ex Arianorum secta, Eustathii Sebastheni sodalis, episcopos presbyteris superiores esse negabat, orationes pro defunctis, et bona opera pro illis suscepta improbabat, jejunia Ecclesiæ rejiciebat, Paschatis festum studebat abolere, aliaque excogitavit fidei et disciplinæ adversa. Magnam sectatorum multitudinem comparavit.[2]

Messaliani, seu Euchitæ, Constantio imperante orti sunt. Baptismum nihil prodesse asserebant, quippe qui peccata stirpitus non evelleret. Orationem solam jejuniorum et bonorum operum tenere locum jactitabant. Eucharistiam nihil prodesse contendebant. Dormiebant ipsi viri et mulieres in spatiosissimis vicis æstivo tempore, negantes se quidquam in terra possidere. Erumpebant in saltus repentinos, et digitis jaculari in dæmones, et super eos saltare jactitabant.[3] Eorum principes fuerunt Dadoes, Sabbas, et Adelphius. Damnata est hæc hæresis in synodo Sydæ habita anno 383.

Priscillianus, vir nobilis Hispanus, sectam conflavit Gnosticorum luefœdatam. Docuit ipse unam esse Patris, et Filii, et Spiritus Sancti personam; animam humanam esse partem divinæ substantiæ; animas prius extitisse quam in corpora ob peccata immitterentur; stellis fatalibus homines subjacere; diabolum natura malum, nec Dei esse opificium

(1) Vide Theodoretum l. v. hist. Eccl. c. x.
(2) Vide Epiphanium hær. lxxv.
(3) Ibidem hær. lxxx.

nuptias et generationem esse illicitas; carnes esse immundas; perjurium ad celanda sectæ arcana licere. Damnata est hæc hæresis in synodo Cæsaraugustana[1] anno circiter 380. Priscillianus ejusque socii, Maximi, qui imperium in Occidente usurpaverat, decreto, capite plexi sunt, ob gravissima facinora; gemino quippe convictus est judicio orasse nudum, nocturnos turpium fœminarum celebrasse conventus, aliaque fœda patrasse. Idacius tamen et Ithacius episcopi sancto Martino aliisque episcopis parum probabantur, eo quod Priscilliani necem accusatione sua procuraverint: "Martinus apud Treveros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret: Maximum orare ut a sanguine infelicium abstineret: satis superque sufficere ut episcopali sententia hæretici judicati, ecclesiis pellerentur."[2] Renovata est hæreseos hujus damnatio in synodis Toletanis duabus anno 400, in duabus aliis synodis habitis ex S. Leonis præcepto, qui "per Turribium Notarium sedis suæ, ad synodum Galliciæ contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit," teste Lucretio Bracarensi Episcopo in Concilio Bracarensi II., anno 569, in quo 15 Capitula juxta S. Leonis epistolam sancita sunt.

Helvidius, Auxentii Ariani discipulus, homo ignarus et rusticanus, Mariam alios filios ex Joseph suscepisse post Christum natum asserebat; eandemque virginum et earum quæ matrimonium ineunt gloriam futuram docebat. S. Epiphanius Helvidii sectatores Mariæ adversarios seu "Antidicomarianitas" nuncupat.[3]

Jovinianus, monachus, ex monasterio Mediolanensi erumpens, mollem amplexus est vitæ rationem, anno 382, pravaque tradidit dogmata. Docuit nullum esse virginitatis meritum, nec jejunii; eos qui plena fide in baptismo sunt renati, non posse subverti a diabolo; sanctorum gloriam parem futuram, nulla diversorum meritorum habita ratione, peccata esse paria inter se; Mariam in partu decus virgineum amisisse. Eum damnavit Siricius pontifex, anno 390, habito Romæ concilio.

Discalceati vocati sunt quidam hæretici qui nudis pedibus Christianis omnibus incedendum docebant."[4]

Collyridiani, anno 373, Mariæ sacrificium panis *collyridis* per mulieres offerebant, eam Dei instar colentes. Hanc sectam confutat S. Epiphanius, adjungens: "Maria in honore sit, Dominus adoretur."[5]

Bonosus, Sardicensis episcopus, docuit Christum purum esse hominem, duosque in Salvatore distinguendos filios, unum æternum, alterum temporalem; Mariam quoque alios post Christum peperisse filios. Ejus errores

(1) Saragossa.
(2) Sulpit. Sever. lii. hist. sacr.
(3) Hær. lxxviii.
(4) Vide Aug. l. de hær. c. lxviii.
(5) Hær. lxxix.

damnavit Siricius Papa.[1] Capuana synodus contra eum celebrata est anno 389.

V. Sæculo.

Vigilantius, patria Gallus, Ecclesiæ Barcinonensis presbyter, reliquiarum impugnavit cultum, "cinerarios et idololatras appellans, qui mortuorum hominum ossa venerarentur," martyres pro nobis non orare, ideoque frustra invocari asseruit, virginitatis meritum, et clericorum cœlibatum impugnavit; aliaque fidei minus consona docuit; quæ omnia egregie refellit S. Hieronymus.

Pelagius, monachus laicus, ex Britannia oriundus, idem sub tempus, anno scilicet 404, prava dogmata spargere cœpit, postquam ingenii et sanctitatis sibi comparaverat famam. Ei comes adjunctus est Cælestius monachus incerta patria, qui, post errorum suorum in concilio Carthaginensi I., anno 412, damnationem, in Asiam se conferens, ad sacerdotium obrepsit. Docuerunt "Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus; peccatum Adæ ipsum solum læsisse, et non genus humanum; infantes qui nascuntur in eo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem; neque per mortem Adæ omne genus hominum mori, quia neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgit; infantes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam æternam." "Promittunt eis," inquit Augustinus "extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam et beatam quandam vitam suam."[2] Docuit etiam Pelagius, teste Augustino "peccatum non potuisse humanam debilitare, vel mutare naturam."[3] "Virtutes quibus recte vivitur, naturæ voluntatique humanæ, non Dei gratiæ" tribuebant Pelagiani. "Dei gratiæ in tantum inimici fuerunt ut sine hac posse hominem crederent facere omnia divina mandata." Gratiam nomine tenus admittentes, liberum arbitrium et naturæ dotes intelligebant; sed postea externa auxilia prædicationis, et etiam interioris luminis opem fatebantur ad salutem quodammodo requiri, quin tamen voluntatis a Deo motionem unquam agnoverint.[4] Ipsam mentis illustrationem pro nostris meritis tribuî contendebant. Præter concilium Carthaginense superius laudatum, concilium Diospolitanum Palæstinæ, 14 episcopis constans, hæresim Pelagii damnavit, quamvis ipsum innoxium habuerit, dolo ejus deceptum. Anno 416, 68 episcopi Carthagine convenientes, Innocentium pontificem obtestati sunt, ut auctoritate sua gliscentem hæresim reprimeret. Ita etiam se gesserunt 61 episcopi eodem anno, Milevi, Numidiæ urbe, synodo coacta. Votis eorum annuens pontifex,

(1) Ep. ad Anysium et cæteros episcopos per Illyricum.
(2) L. de hær. c. lxxxviii.
(3) L. de nat et gratia c. xix.
(4) Aug. l. de gratia Christi c. vii. x. xiii.

dogmatica rescripta edidit 27 Januarii 417, sicque testante Augustino "causa finita est."[1] Zosimo, qui in locum Innocentii suffectus est, illusit aliquando Pelagius, se apostolicis decretis parere ex animo fingens; sed fraude detecta Africanorum præsulum ope pontifex epistolam dogmaticam, dictam TRACTORIAM, emisit, quæ ubique summo plausu excepta est.

SEMIPELAGIANI, qui etiam Massilienses dicti sunt, Massiliæ in Galliis præcipue viguere. Cassianus, aliique sanctitate ac doctrina insignes, a Pelagianorum placitis non satis recedentes, hos in errores inciderunt, quin tamen pertinaci animo eos propugnaverint. Putabant fidei et salutis initium esse a nobis, libero arbitrio bene utentibus; et gratiam unicuique tribui vel denegari, prout Deus nos ea bene vel male usuros, si daretur, prævidit. Augustino adhuc inter vivos, errores hi orti sunt, nec solemni anathemate confixi usque ad Felicis IV tempora, qui sententias quasdam de gratia ad Cæsarium Arelatensem, in synodo Arausicana,[2] anno 529, promulgandas transmisit.

PRÆDESTINATIANI anno circiter 473, ex male intellectis Augustini libris orti sunt. Lucidus presbyter Gallus, duobus conciliis, Arelatensi scilicet et Lugdunensi, anno 475, jubentibus, hos ejuravit errores 1. laborem humanæ obedientiæ divinæ gratiæ non esse jungendum. 2. post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. 3. quod Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit. 4. quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem; vel quod Dei pereant voluntate, qui pereunt. 5. quod post acceptum legitime baptismum, in Adam moriatur quicumque deliquerit. 6. alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.

NESTORIUS, Germanica, Syriæ oppidulo, ortus, monachus, presbyter, denique episcopus Constantinopolitanus, evasit. Sanctitatis speciem præsetulerat, et studio in hæreticos flagrare videbatur, ipse tamen novos excogitavit errores. Asserebat hominem Christum alium esse ab unigenito Verbo, quod in eo tamquam in templo habitasse dicebat. Virginem Mariam idcireo negabat appellandam DEIPARAM θεοτοκον, nomen Matris Christi ei tantum tribuens. Nestorio hæresim prædicanti palam restitit Eusebius causarum patronus. Re ad Cælestinum delata, synodus Romana anno 430 habita est, in qua pontifex anathemate feriendum Nestorium statuit, nisi intra decem dies a denuntiatione decreti, errores rejiceret. S. Cyrillo Alexandrino demandata est a pontifice sententiæ executio in concilio œcumenico Ephesi mox convocando. Anno 431 habitum est Ephesinum concilium, erroresque Nestorii simul cum ipso damnati. Studium nimium Joannis Antiocheni patriarchæ, Theodoreti, et aliorum erga Nestorium, quamvis ejus errores aversarentur, effecit ut patribus Ephesinis, præsertim Cyrillo, vehementer succenserent: pax tamen anno 432 inter eos coaluit.

(1) Serm. ii. de Verbis. Apost.

(2) D' Oranges.

Eutyches, presbyter et archimandrita monasterii Constantinopolitani, Nestorianam, de duabus in Christo personis, hæresim impugnans, in aliam ei adversam ex imperitia lapsus est; unicam scilicet post unionem in Christo adstruebat naturam. Anno 448 error hic ortus est, qui anno 449 in synodo Constantinopolitana, præside Flaviano illius sedis antistite, damnatus est, et Eutyches depositus. A 32 Episcoporum, qui in ea convenerunt, sententia summum pontificem, Alexandrinum patriarcham, et Hierosolymitanum episcopum appellavit hæresiarcha. Epistola dogmatica ad Flavianum damnavit S. Leo errorem, et Theodosio juniori concilium œcumenicum in Oriente postulanti ægre tandem assensus est, missis legatis qui suis fungeretur vicibus, Eutychetemque, si resipiseret, Ecclesiæ restituerent communioni. Ephesi convenere 130 Episcopi, anno 449 nondum expleto, quibus præfuit Dioscorus, Alexandrinus patriarcha, legatis pontificiis exclusis. Vi omnia acta sunt; Eutyches probatus; damnatus Flavianus, qui pontificem appellans adeo crudeliter exceptus est, ut dolore plagarum efflaverit animam. Frustra Theodosius conciliabuli acta rata haberi voluit, refragante pontifice, qui Marciani, Theodosii successoris, votis annuens, concilium Chalcedone in Bithynia celebrandum sancivit. 630 Episcopi anno 451 in ea Urbe convenientes fidem Catholicam, prout in S. Leonis ad Flavianum Epistola exposita est, professi sunt, damnato Eutychetis errore. Concilium plures hostes habuit, inter quos Zeno Imperator recensendus est, qui *Henoticon*, seu *unionis* Decretum edidit, quod etsi fidei Chalcedonensi non repugnaret, auctoritati ejus erat injuriosum. Petrus Moggus Alexandrinam sedem recuperavit *Henoticon* amplectendo; qua de causa Eutychiani quamplurimi ab ejus communione discesserunt, "ac propterea nominati sunt *Acephali*, quod a capite, id est, patriarcha suo disjuncti, seorsim congregabantur."[1] *Hæsitantes* etiam nonnulli Eutychiani sunt dicti, ii scilicet qui concilium Chalcedonense non damnabant, nec tamen ejus recipiebant fidem. Acacius Constantinopolitanus episcopus, ob initam cum Petro Moggo communionem, depositus est a Felice III. in synodo Romana: quo factum est ut ab anno 484 ad annum 519 Constantinopolitana Ecclesia a Sedis Apostolicæ communione esset aliena.

Theopaschitæ dicti sunt illi Eutychiani, qui Petro Fullone, Antiochenæ Ecclesiæ invasore, duce, ipsam Deitatem passam esse prædicabant, addentes Trisagio: "qui crucifixus es pro nobis." Armeni a Jacobo Syro, obscuri generis homine, errorem hunc hauserunt, et pertinacissime propugnarunt; Jacobitæ idcirco nuncupantur Eutychiani per Orientem; quum Melchitæ vocentur Catholici Chalcedonensis concilii auctoritatem, ab imperatore Marciano agnitam, defendentes; מֶלֶךְ quippe apud Hebræos regem significat.

(1) Leontius de sectis act. v.

VI. Sæculo.

Schisma factum est ab aliquibus episcopis Istriæ occasione *trium capitulorum* quæ damnavit concilium Constantinopolitanum anno 552. Theodori Mopsuesteni scripta, Theodoreti libri contra duodecim capitula S. Cyrilli, et epistola Ibæ Edesseni ad Marim Persam trium capitulorum nomine intelliguntur. Restiterat diu Vigilius pontifex cum Occidentalibus plerisque eorum damnationi, ne Chalcedonensi concilio, quod Theodoretum et Ibam exceperat, fieri videretur injuria; et Judicatum quo ea damnaverat ipse, graviora scandala metuens, supprimendum censuerat; confirmavit tamen, Justiniano imperatore urgente, synodum Constantinopolitanam, eamque œcumenica pollere auctoritate voluit. Displicuit id plurimis Occidentalibus, quorum nonnulli, anno 557, conciliabulum Istriæ habuere, et fecere schisma, quod tamen ante medium sæculum septimum extinctum est.

Monachi Scythæ anno 518 turbas cierunt, hanc prædicando propositionem: "Unus e Trinitate crucifixus est in carne." Eos Eutychiano sensu id asserere nonnulli judicarunt; Hormisdas autem pontifex noluit eorum mentem penitius explorare, vel aliquam fidei edere definitionem; sed tumultus eorum compescuit.

Corrupticolarum et Incorrupticolarum inter Eutychianos emerserunt sectæ anno circiter 519. Illi Christi corpus perinde ac nostrum passum fuisse detrimenta, propter quæ cibo, potu, requie, indigeret, asserebant; quum hi eum specie tenus esuriei, sitis, fatigationis affectiones passum esse contenderent.

Agnoetæ idem sub tempus orti sunt inter Eutychianos, auctore Themistio diacono a quo *Themistiani* dicti sunt. Asserebant hi Christum aliqua penitus ignorare, unam in eo propugnantes naturam.[1]

Tritheitæ etiam auctore Joanne Grammatico, cognomento Philopono, homine Eutychiano orti sunt. Hic Aristotelica imbutus philosophia tres particulares in Trinitate substantias, et unam communem statuebat.

Acœmetæ monachi (sic dicti eo quod in tres turmas divisi, divinas laudes diu noctuque perpetuo persolverent,) Scythas vehementius impugnantes, hæreseos Nestorianæ infectos se prodiderunt labe, ideoque a Joanne II. anno 554 damnati sunt, qui propositionem Scytharum Orthodoxam esse definivit.

VII. Sæculo.

Monothelitæ 620 anno post Christum natum orti sunt, auctore Sergio Constantinopolitano patriarcha. Docuit hic unicam in Christo fuisse voluntatem, unicam etiam actionem. Ei favit Heraclius imperator, eum-

(1) Vide Leontium l. de sectis act. x.

que secutus est Cyrus Alexandrinus. Dolosis literis Honorio pontifici Romano illusit, effecitque ut intempestivum silentium de una vel de duabus operationibus præciperetur, tum a pontifice in responsione ad Sergium, tum ab imperatore in Edicto cui nomen *Ecthesis*. Pyrrhus et Paulus, qui deinceps Constantinopolitanam sedem occuparunt, eodem in luto hæserunt. Constans imperator, Heraclii nepos, hæresim etiam fovit, edito edicto, quod *Typum* vocavit, anno 648. Damnata est a Martino I. in synodo Lateranensi anno 646, et a synodo œcumenica sexta, anno 680, Constantinopoli celebrata. Viguit tamen postea apud Chaldæos, et Armenos.

Pauliciani anno 653 nuncupari cœperunt quidam Manichæorum restaurantes errores, duce Paulo Samosatis in Armenia oriundo. Duo statuebant principia, Virginis maternitatem negabant; Christum verba sua tamquam cibum animæ Apostolis dedisse, non autem corpus suum et sanguinem sub panis et vini speciebus effutiebant: crucis impugnabant venerationem; prophetas et sanctos, præsertim S. Petrum, explodebant; aquæ baptismi verba Evangelica substituebant, quibus Christus se aquam vivam declarabat: aliosque propugnabant errores.[1]

VIII. Sæculo.

Iconoclastæ, seu Iconomachi, anno 723 in sacras imagines furere, easque frangere cœperunt. Iezidus Arabum Calipha, Judæo præstigiatore suadente, eas e Christianorum templis deturbandas statuit; quod etiam decrevit imperator Leo Isaurus anno 726, instigantibus Judæis, et Constantino, Nacoliæ in Phrygia Salutari, episcopo. Restitit pro viribus S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus, eaque de causa Sede dejectus est. Hæresim damnavit Gregorius II. in synodo Romana, et Gregorius III. in alia synodo Romana anno 732. S. Joanni Damasceno, Damasci Præfecto, et imaginum strenuo defensori, Caliphas refertur amputasse manum dexteram, imperatore falsam insidiarum suspicionem injiciente; quam tamen ei coram Virginis imagine oranti divinitus restitutam narrat Joannes Hierosolymitanus in ejus vita. Duodecim imperialis collegii professores una cum bibliotheca amplissima, tricena et tria millia librorum continente, incendio periisse imperatoris jussu, veteres scriptores prodiderunt. Plures alii diris suppliciis vexati sunt, imo morti addicti, imperantibus Leo Isauro, ejusque successoribus Constantino Copronymo et Leone ejus filio. 338 Episcopi agente Isauro conciliabulum habuere Constantinopoli, anno 754, in quo imagines damnarunt; meritò idcirco reprobati a Stephano III. in synodo Romana anno 769. Paulo antea Iconomachorum hæresim damnavit synodus Hierosolymitana, tribus patriarchis, Alexandrino scilicet Antiocheno, et Hierosolymitano, cum suis suffraganeis,

(1) Vide Cedrenum in compendio hist. Euthymium in Panoplia tit. xx.

simul convenientibus, anno circiter 767. Constantino et Irene imperantibus, anno 787, Concilium œcumenicum VII. Nicææ habitum est, 350 episcopis constans, qui omnes summo consensu Iconomachos damnarunt. Errore facti concilio huic refragati sunt Francofordiensis Concilii patres, sliique Gallicani præsules, quamvis et ipsi imagines[1] retinendas reverenter agnoscerent. In imaginum cultores sævierunt postea imperatores Leo Armenus, Michael Balbus, et Theophilus. Defuncto Theophilo, Theodora ejus conjux effecit ut sacræ imagines ritu solemni restituerentur anno 841 ; ad quod commemorandum *Orthodoxiæ* annuum festum apud Græcos institutum est.

Adelbertus Gallus anno circiter 744 turbas ciere cœpit, suam jactando sanctitatem, seque occultorum conscium fingendo. Sanctorum merita aiebat frustra implorari dum sua præsto essent. Oratoria suo nomine dicavit, angelosque ignotis appellationibus invocare consuevit.

Clemens, natione Scotus, idem sub tempus, in Galliis quoque molestias creavit S. Bonifacio Germanorum Apostolo. Concubinam sibi retinebat sacerdos ipse, id justum esse affirmans. Damnati sunt Adelbertus et Clemens in concilio suessionico, anno 745, et a Zacharia Papa in synodo Romana, anno 746.

Felix, Urgellæ in Hispania episcopus, et Elipandus Toletanus anno 790, Nestoriana labe infecti sunt, asserentes Christum secundum humanitatem non esse proprium filium Dei, sed adoptivum. Morum sanctimoniæ laude floruisse apud imperitos Felicem Agobardus testatur. Ipsum pluries ejurasse errorem constat, schedula tamen post ejus obitum inventa, dubiam effecit ejus conversionem. Confixus est error in Synodo Forojuliensi,[1] anno 791, in Ratisponensi anno 792 probante Hadriano I., in synodo Francofordiensi, anno 794, in synodo Romana in qua Francofordiense hac de re decretum confirmatum est ab Hadriano, in altera Romana, anno 799, præside Leone III., et in synodo Aquisgrani, eodem anno.

IX. Sæculo.

Sergiotæ et Baanitæ in Oriente Manichæos errores restaurarunt, novis appellationibus a Sergio et Baane, sententiarum discrepantium auctoribus, desumptis. *Astathi*, seu Instabiles, Sergiotæ etiam dicebantur. Inter alia errorum monstra fornicationem culpa vacare docuerunt, solam a Sergii doctrina defectionem fornicationis spiritualis crimen inducere dictitantes. Id constat ex Petro Siculo.

Claudius Taurinensis episcopus, Hispaniis oriundus, noni sæculi initio imaginum, crucis, et reliquiarum venerationem impugnavit.

Gothescalcus, monachus Orbacensis, in Diœcesi Suessionensi, anno 847 Prædestinatianorum errores instauravit; damnatus est ea de causa in synodo Moguntina, anno 848, et in synodis Cariasiacis anno 849 et 853.

(1) Vulgò Friuli.

Thiota, Pseudo-prophetissa eodem anno 847, judicium imminere prædicans, turbas Moguntiæ excitavit, damnata idcirco in Synodo apud S. Albanum.

Schisma Græcorum hoc sæculo erupit, Photio, sedis Constantinopolitanæ invasore, excommunicato a Nicolao I., ob injuriam S. Ignatio, legitimo patriarchæ, irrogatam. Ausus est Photius anathemate ipsum Summum Pontificem ferire; quod facinus reprobavit concilium Œcumenicum VIII., Constantinopoli habitum anno 869. Sedi a Joanne VIII. restitutus ex eadem iterum dejectus est ab ipso Joanne ob nova facinora, et a Leone Sapiente, imperatore, anno 886 in monasterium detrusus. Negavit Spiritum Sanctum a Filio procedere.

Theopaschitarum hæresim in Oriente iterum grassantem damnavit Nicolaus I. in synodo Romana, anno 862.

X. Sæculo.

Anthropomorphitarum, Deo humanam tribuentium figuram, hæresin Italiam anno 939 infestasse testatur Sigebertus in chronico.

Walfredus quidam in Occitania medio hoc sæculo animam esse immortalem negavit.

XI. Sæculo.

Manichæorum hæresis in Italiam ex Bulgaria, deinde in Gallias irrepsit, eam propagante muliere Itala. Aurelianensium sortiti sunt nomen ex civitate Aureliæ, in qua primum detecti et damnati sunt anno 1017. Negabant vetus et novum Testamentum, Christi incarnationem et mortem, baptismi vim ac necessitatem, sacramentum eucharistiæ, aliaque fidei mysteria. Nefanda prorsus ac crudelia in cœtibus suis patrabant, cremato infantulo octava die, ut ex ejus cineribus sectae professores prælibarent.

Gandulfus Italus in Diœcesim Cameracensem hæresim anno 1025 invexit, justitiam suam solam statuens, rejectis Ecclesiæ sacramentis. Dominicæ cruci, imaginibus, templis, altaribusque nullum tribuebat honorem; Purgatorium negabat; aliaque fidei adversa tradebat; quæ damnata sunt in Synodo Atrebatensi.

Berengarius, archidiaconus Andegavensis, anno 1047, panem et vinum in Christi Domini corpus et sanguinem in eucharistia converti negavit; cujus errorem damnavit Concilium Romanum sub Leone IX. anno 1050, et eodem anno conventus Brionensis, et Concilia Vercellense et Parisiense; Florentinum etiam sub Victore II. anno 1055, et Turonense eodem anno; Romanum sub Nicolao II., anno 1059; Rothomagense, anno 1063; Pictaviense, anno 1075; Romana duo sub Gregorio VII., annis 1078, et 1079. Pluries eum ejuravit Berengarius, sæpius relapsus, sed pœnitens decessit.

Schisma Græcorum, quod in VIII. Concilio Œcumenico compositum fuerat, e cineribus redivivum apparuit anno 1053, Michaele Cerulario, patriarcha Constantinopolitano, Latinos de quibusdam disciplinæ capitibus, et de adjecta Symbolo particula, "filioque," vehementius arguente. Frustra Romanæ Ecclesiæ auctoritatem erudita ac forti epistola studuit vindicare Leo IX., viasque pacis conciliandæ tentavit. Pontificios Legatos anathemate ferire ausus est Michael, ipsumque pontificis nomen e dyptichis delere, et schisma penitus conflare, quod tamen non statim effectum est, duodecimo enim sæculo Græcos plerosque Ecclesiæ Romanæ communione conjunctos fuisse ex pluribus documentis evincitur.

Roscelinus, Compendiensis, Dialecticus, asseruit in Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres angeli; ita tamen ut una sit voluntas et potestas, et tres Deos vere posse dici, si usus admitteret. Ejus error in concilio Suessionensi damnatus est anno 1092.

XII. Sæculo.

Bogomili, anno 1118, renovarunt in Oriente Manichæorum portenta, Basilio Medico duce. Psalterium, sexdecim Prophetas, 4 Evangelia, actus Apostolorum, epistolas et Apocalypsim recipiebant, cæteris Scripturæ libris rejectis. Tres Trinitatis personas nomine tenus admittebant, Patri tribuentes corpoream formam, Filium verò et Spiritum Sanctum dicentes ex illius cerebri binis panniculis, tamquam radios, manare. De dæmone, quem Satanaelem vocabant, insulsa tradebant. Imaginum ac crucis rejiciebant cultum idololatriæ eum insimulantes. Baptismum aquæ Joannis esse dicebant, Christi autem Baptisma conferre se solos jactabant singulari hoc ritu: statuto ad confessionem, continuamque precationem tempore, Joannis Evangelium capiti baptizandorum imponebant, Spiritum Sanctum suum invocabant, et canebant *Pater noster*. Eucharistiam penitus rejiciebant, panis loco orationem Dominicam habentes, calici autem Testamentum substituentes; omnes precandi formulas, sola Dominica oratione excepta, damnabant: continentiam omnibus necessariam prædicabant; aliosque innumeros tuebantur errores.[1]

Tanchelinus, anno circiter 1109, Antuerpiæ hæresim propagavit, episcoporum et sacerdotum ministerium inane esse docens, negansque corpus et sanguinem Christi ad salutem prodesse. Pietatis specie multis illusit, capta occasione infundendi virus hæreseos ex sacerdotis qui Antuerpiæ præerat flagitiosa vita; ipse tamen gravissimis sceleribus se inquinavit multos ejus asseclas in Ecclesiæ gremium reduxit S. Norbertus Præmonstratensis Ordinis conditor, anno 1126.

Petrobusiani ante annum 1118, auctore Petro de Bruis, in provincia Arelatensi, aliisque finitimis grassati sunt. De iis scribit Petrus Venera-

(1) Vide Euthymium Panopliæ tit. xxiii.

bilis Abbas Cluniacensis: "Primum hæreticorum capitulum negat parvulos infra intelligibilem ætatem constitutos Christi baptismate posse salvari. Secundum capitulum dicit, templorum vel ecclesiarum fabricam fieri non debere. Tertium capitulum, cruces sacras confringi præcipit et succendi. Quartum capitulum Eucharistiam . . . . . omnino nihil esse, neque Deo offerri debere decernit." "Quintum capitulum, sacrificia, orationes, eleemosynas, et reliqua bona pro defunctis fidelibus a vivis fidelibus facta deridet, nec ea aliquem mortuorum vel in modico posse juvare affirmat." Eos etiam damnasse carnium et matrimonii usum ex S. Bernardo constat.[1] Meritò igitur inter Manichæos recensentur a Bossuetio.[2]

Henricus, monachus apostata, anno 1140 Petrobusianorum sectam auxit, addito contra cantum ecclesiasticum improperio. Flagitiis nefandis se polluit. Henricianorum plurimos S. Bernardus ad fidem reduxit.

Arnaldistæ anno circiter 1138 orti sunt, auctore Arnaldo e Brixia monacho turbulento. "De Sacramento Altaris et Baptismo parvulorum non recte dicitur sensisse." Dicebat etiam "nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione posse salvari."[3] Magnam austeritatis speciem præ se tulit; attamen, teste S. Bernardo, "ubicumque conversatus est, tam fœda post se et tam sæva reliquit vestigia, ut ubi semel fixerit pedem, illuc ultra redire omnino non audeat."[4] Romæ magnam conflavit seditionem anno 1144, quam cum restaurare aggrederetur anno 1155, jussu Friderici Imperatoris captus est, et ad rogum damnatus.

Abaelardus, non longe ab urbe Nannetica in Britannia minori natus, et ob amorem Heloissæ infelix, postquam pœnitenti animo habitum monasticum induerat, et doctrina et virtutibus evaserat insignis, in varios incidit errores, ingenio suo abductus. De Trinitatis mysterio, aliisque fidei capitibus minus recte sensit; plerumque tamen, vocibus, magis quam animo erravit. Ejus errores in Synodo Suessionensi anno 1120, et anno 1140 damnatos reprobavit Innocentius II., quem ipse appellaverat. Iis abjectis, pœnitens sancte obiit.

Gilbertus Porretanus, Pictavensis episcopus, minus accurate de Deo sensit, subtilitati ingenii nimis indulgens; docuit quippe Divinitatem non esse Deum, sed formam qua Deus est; attributa divina ab essentia, et personarum proprietates a personis distingui contendens. In concilio Remensi Eugenius Papa ejus errores damnavit; quos ipse statim abjecit et "cum honoris plenitudine" in suam diœcesim reversus est anno 1148.[5]

(1) Serm. lxvi. in Cantica.
(2) Hist. Var. l. xi. § 66.
(3) Otto Frisingensis l. xii. de rebus gestis Frederici imperat.
(4) Ep. cxcv. ad epis. const.
(5) Vide Ottonem Frising. l. i. de gestis Fred. c. lvi.

Eudo de Stella, alias Eon, ex Britannia oriundus, dementia potius quam hæresi idem sub tempus turbas concitavit. Damnatus in mox laudato concilio mancipatus est carceri, in quo periit. Se judicem vivorum et mortuorum jactaverat, sibique cum Deo orbis imperium divisum.

Apostolici, Manichæorum principiis infecti, sub idem tempus circa Coloniam Agrippinam sese prodiderunt. Damnabant nuptias, utebantur tamen fœminarum contubernio. "Irrident nos" inquit S. Bernardus, "quia baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod sanctorum suffragia postulamus." Jactabant potestatem se habere quotidie in mensa sua corpus Christi et sanguinem consecrandi. "Abstinent a cibis quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione. Hinc quoque hæreticos se probantes, non sane quia abstinent, sed quia hæretice abstinent."[1]

Folmarus, præpositus Petræ Stillantis, seu Treiffensteinii in Franconia, sensit solum sanguinem Christi esse in Eucharistia sub specie vini, solam carnem absque ossibus, sub specie panis. Emendavit errorem, confutatus a Gerocho Reicherspergensi in Bavaria præposito.

Waldenses, anno circiter 1160, orti sunt auctore Petro Waldo, mercatore Lugdunensi, qui improvisa morte civis cujusdam territus, divitias suas pauperibus elargitus est. Plures sibi adscivit socios, qui, apostolicam vivendi formam restaurare cupientes, paupertatem profitebantur. *Inzabbathati* vocati sunt a peculiari calceorum genere; *Leonistæ* ab urbe Leona seu Lugduno, unde etiam *Pauperes e Lugduno* dicti sunt. Docendi officium sibi usurpabant, spretis Ecclesiæ pastoribus, quos gradu et auctoritate decidisse ob divitias, et flagitia contendebant. Eos damnavit Lucius III. ante annum 1185. Paulatim eorum crevit numerus et audacia, munera quippe ecclesiastica passim sibi usurpabant, tamquam pii idoneique Ministri; juramenta omnia damnabant; vindictam scelerum publica auctoritate factam scripturæ repugnare asserebant. Sacramenta omnia, ordine excepto, agnoscebant, quamvis, quod ad matrimonium pertinet, gravem culpam in ejus usu, nisi ob gignendos filios, astruerent. *Sciscidenses* in eo dicuntur a Waldensibus discrepasse "quod eucharistiam reciperent;" quæ Rainerii hæc referentis verba videntur intelligenda de hujus sacramenti a sacerdotibus Ecclesiæ receptione, collatis enim omnibus illius ævi monumentis Bossuetius demonstrat Waldenses omnes eucharistiam veneratos esse.[2] Waldensiam mores specie integros fuisse veteres testantur, qui tamen eos incusant quod mulieres secum circumducerent, Apostolorum exemplum se imitari asserentes.

Ortlibenses, Ordibarii, Runcarii, Cathari, Poplicani, Albanenses, Contorezenses, Bagnolenses, Patareni, Bulgari, Tolosani, aliique quamplu-

(1) Bernardus Serm. lxv. et lxvi. super cantic.
(2) Hist. Var. l. xi. s. 92.

rimi, Manichæorum placita diversis sub formis renovantes, sæculum hoc fœdarunt.

XIII. Sæculo.

Albigenses, ab oppido Albiga in Gallia meridionali appellati, Manichæorum errores propagare non desierunt. Refert Petrus Vallium Cernai, Cisterciensis monachus, auctor coævus, qui optime eos novit, utpote occupatus in iis refellendis, iis ipsis in locis ubi grassabantur, duos rerum Conditores ab iis agnitos, bonum Deum qui invisibilia, malignum Deum qui visibilia creavit. Illi novum Testamentum, huic vetus tribuebant: Christum veram carnem assumpsisse, vel in eucharistia adesse negabant: matrimonium reprobabant.[1] Baptismum nil prodesse docebant. Duo inter eos erant ordines, *perfectorum* scilicet, quibus sectæ arcana innotescebant, et *credentium*, qui eorum non erant conscii. Immania quæ patrabant flagitia, "fraudibus," quippe, "homicidiis, latrociniis, usuris" imo nefanda libidine se inquinabant, refert Lucas Tudensis in Hispania episcopus,[2] certa eorum habita relatione a plurimis ad fidem conversis. Inter cætera eorum facinora memoratur cædes Petri de castro novo, Cisterciensis monachi, et Legati Apostolici, qui a satellite Raymundi, Tolosani comitis, confixus est sagitta. Eo processit hæreticorum furor, ut Innocentius III. sacram in eos militiam, tamquam in societatis, et humani generis hostes, non minus quam fidei, duxerit instruendam, et quæsitores fidei instituerit, qui detectos hæreticos civili potestati traderent. Inde ortum est *Inquisitionis Tribunal.* De eo legendæ sunt litteræ comitis Le Maistre, et opusculum scriptoris recentissimi La Cordaire.[3]

Almaricus e territorio Carnotensi "ausus est constanter asseverare, quod quilibet Christianus teneatur credere se esse membrum Christi, nec aliquem posse salvari, qui hoc non crederet, non minus quam si non crederet Christum esse natum et passum, vel alios fidei articulos." Damnatus est a Facultate Parisiensi, et postea ab Innocentio III. *Rigordus* coævus auctor, narrat discipulos Almarici, Spiritus Sancti regnum prædicantes, sacramenta omnia et opera jam minime requiri declarasse; et turpissima facinora caritatis nomine sanxisse. Dicebant etiam, ut refert Cæsarius Heisterbacensis "non aliter esse corpus Christi in pane Altaris, quam in alio pane, et in qualibet re: sic Deum locutum fuisse in Ovidio sicut in Augustino. Negabant resurrectionem corporum, dicentes: Nihil esse paradisum neque infernum: sed qui haberet cogitationem Dei in se, quam ipsi habebant, habere in se paradisum: qui peccatum mortale, habere infernum sicut dentem putridum in ore." Altaria in memoriam

(1) Vide Petrum mon. Val. Cer. c. xi. Hist Alb.
(2) L. iii. adv. Albig. c. v.
(3) C. vi.

sanctorum erigere, et thus coram sacris imaginibus adolere, idolatriæ vertebant. Eos qui ossa martyrum deosculabantur, sugillabant. Eum in quo Spiritus Sanctus esset non peccare, etsi fornicationem patraret, asserebant. Inter sectæ præcones Willelmus aurifaber vatem egit, plagas Antichristo, quo nomine Romanum pontificem appellabat, denuntians. Damnata est Almarici hæresis in concilio Parisiensi anno 1209. Eam damnavit etiam Concilium Lateranense IV.[1]

Joachim, Abbas Florensis monasterii in Calabria, ex ignorantia subtilioris Theologiæ, visus est tueri tres personas divinas voluntatis concordia, non autem essentia conjungi, quem errorem rejecit mox laudatum concilium Lateranense. In concilio Arelatensi, anno 1260, et a Sede Apostolica damnatus est liber anonymus "Evangelium æternum," in defensionem Joachimi conscriptus, qui tamen plurimos gravissimosque errores ab illius mente prorsus alienos continuit.

Stadinghi in Germania, anno circiter 1230, erupere, qui Lucifero summos tribuerunt honores, eoque auctore turpissimos agebant conventus. In Clericos et Religiosos viros grassati, sacram in se provocaverunt expeditionem, Gregorio IX. Pontifice.

Circumcelliones anno circiter 1248, in Germania nuncupati sunt aliqui, qui Conrado imperatoris Friderici filio favente, pontificem Romanum et episcopos omnes hæreseos et simoniæ incusabant, omnique idcirco spoliabant auctoritate.

Flagellantes, anno circiter 1260, orti sunt Perusii in Italia, ex immoderato pœnitentis animi affectu, quippe qui publicam per vicos, denudatis humeris, flagellationem usque ad sanguinem adeo extollebant, ut eam ad salutem requiri et sufficere jactitarent. Sectam damnavit Clemens VI.

Guillelmus de Sancto amore apud Sequanos, plura hoc circiter tempore edidit opera contra Mendicantium ordines, quæ tamen improbarunt Pontifices. Joannes de Poliaco, alter Doctor Parisiensis, qui etiam Ordines Religiosos impugnavit, jubente Joanne XXII., suas retractavit sententias.

Petrus Joannis Olivi, Ordinis Minorum, in Postilla seu Commentario super Apocalypsim plures errores effutiit, quos damnavit Joannes XXII. Eum secuti sunt Fraticelli.

Fraticelli, auctoribus Petro de Macerata, et Petro de Forosempronio, Minoritis, sub finem sæculi decimi tertii orti sunt. Paupertatem sanctitatemque jactantes in Romanum Pontificem et Ecclesiam universam, quam carnalem appellabant, vehementius invecti sunt, omnem Ecclesiæ prælatis et sacerdotibus ob vitæ perversitatem, ut aiebant, denegantes potestatem. Damnati sunt a Bonifacio VIII. anno 1297 et a Joanne XXII. anno 1318.

(1) Cap. ii.

XIV. Sæculo.

Gnosticorum flagitia in cœtibus quibusdam renovata, auctore Hermanno Pongilupo, Ferrariensi, testantur hujus sæculi scriptores.

Gerardus Segarelli, Parmensis, vir literarum imperitus, sectam conflavit quæ Apostolorum nomen sibi vindicabat. Romanum Pontificem, cæterosque Ecclesiæ præsules ob vitia omnem amisisse auctoritatem asserebant, sibi solis sanctitatem tribuentes, quamvis fœdissimo fœminarum commercio se passim inquinarent, caritatis nomine sua scelera prætexentes.

Beguardi et Beguinæ dicti sunt Segarelli et Dulcini sectatores, aliique aliis fœdati erroribus. Docebant etiam hominem hac in vita ad tantam sanctitatem pervenire posse, quæ peccandi omne amoveat periculum; eumque in illo statu constitutum jejunare vel orare non debere, nec præcepta aliqua ecclesiastica servare, nec virtutis actus exercere. Actum carnalem peccato vacare, eo quod natura ad eum inclinet, asserere ausi sunt, aliaque propugnarunt errorum monstra; merito idcirco damnati a Clemente V. in Concilio Viennensi.

Arnaldus de Villanova, Catalanus Medicus, anno circiter 1316, plurimos propugnavit errores. Humanam Christi naturam scientia, cæterisque omnibus dotibus Deitati æqualem asserebat; speciem tantum Religionis apud Christianos manere docebat, eosque omnes, præsertim monachos, damnandos; Capellanias et Missas pro defunctis improbabat; damnationem manere eos tantum qui malum præbent exemplum asserebat; mundum anno 1335 desiturum prædixit.

Lolhardi, anno circiter 1315, per Germaniam cœperunt grassari, auctore Waltero Lolhardo. Trithemius refert eum docuisse Missas vanas prorsus esse; Luciferum immerito pulsum cœlo, postea cum asseclis suis restituendum, Michaele cæterisque angelis in Tartarum detrusis; Mariam, si virgo permanserit, angelum, non hominem, peperisse. Irridebant baptismum, pœnitentiam, eucharistiam, extremam unctionem; et matrimonium juratum meretricium appellabant. Quæ sub terra fiunt a Deo non punienda dictitantes, nefanda flagitia in speluncis referuntur patrasse. Jejunium et abstinentiam rejiciebant; dies festos non servabant, perjurium peccato vacare contendebant; intercessionem Sanctorum repudiabant.[1]

Ceccus Asculanus docuit in superioribus orbibus spiritus malignos generari, qui per incarnationes sub certis constellationibus constringi poterant ad res admirabiles faciendas. Siderum influxui absolutam tribuebat necessitatem, ita ut Christum ipsum necessariò debuisse pauperem nasci, et turpem obire mortem, ausus sit asserere. Ita refert Joannes Villani.[2]

Ekardus Teutonicus, Ordinis Prædicatorum, in plures lapsus est errores,

(1) Trithemius in Chronico Hirs.
(2) L. x. c. xli. et xlii.

mundum æternum adstruens, et indifferentiam voluntatis tantam commendans, quæ bonorum petitionem, et dolorem de peccatis prius commissis excluderet; hac in re Quietistis recentioribus præcedens. Errores suos a Joanne XXII damnatos in fine vitæ reprobavit Ekardus.

Marsilius de Menandrino, et Joannes Jandunus, ille Patavinus, hic Perusinus, Ludovico Bavaro schismatico imperatori blandientes, gravissimos propugnarunt errores. Christum dicebant ex necessitate solvisse tributum, ut Ecclesiæ res temporales imperatori prorsus subjici inde inferrent. Petrum cæteris Apostolis præfuisse negabant; omnesque sacerdotes nullo auctoritatis gradu ex Christi institutione differre asserebant. Imperatori tribuebant potestatem pontificem instituendi, deponendi, et puniendi. Censuras ferendas non esse absque imperatoris venia contendebant; cujus etiam prædicabant auctoritatem in dispensationibus concedendis, ut matrimonia Ecclesiæ lege vetita contrahantur. Hos aliosque errores damnavit Joannes XXII.

Palamitæ, a Palama episcopo Thessalonicensi eorum fautore, vocati sunt monachi plurimi, qui contemplationis dono se ipsam Deitatis increatam gloriam oculis corporis spectare asserebant. Esuchastæ ab animi quiete; Euchitæ ab orationis exercitio; Omphalopsuchi, seu *Umbilicanimi*, a situ corporis quem orando servabant, capite ad umbilicum depresso, dicti sunt. Errorem eorum, silentio imperato iis, eorumque adversariis, fovit synodus Constantinopolitana Schismaticorum Græcorum, habita anno 1341; eumque tres posteriores synodi sanxerunt, statuentes etiam realem distinctionem inter operationes Dei intrinsecas, seu attributa divina et essentiam.

Joannes de Mercuria, Cisterciensis Ordinis, anno 1347, Parisiis plures docuit errores, quos episcopus et Facultas Parisiensis damnaverunt. Asseruit Deum efficaciter velle quidquid vult; et adulterium excusabat patratum vehementi urgente concupiscentia. Deum esse peccati causam impie docuit, aliaque tradidit rectæ fidei adversa.

Nicolaus de Ultricuria, anno 1348, pertulit damnationem plurimarum quas propugnaverat propositionum. Plerique ejus errores Philosophiæ sanæ non minus quam fidei repugnabant. Eos recensere supervacaneum videtur, quum nullam condiderit sectam, damnatis ipsius erroribus ab Apostolica Sede.

Magister Simon, anno 1351, jubente Parisiensi Facultate septem retractavit propositiones Christi divinitati injuriosas. Anno 1353 *Guido*, Ordinis S. Augustini, in eadem Facultate laureatus, novem retractavit, inter quas prima est: "Charitas quæ semel labitur vel deperditur, numquam fuit vera charitas." 12 alias propositiones subtiliori ex Theologia male deductas retractavit anno 1362 Magister Ludovicus.

Bertoldus de Robarch, anno 1359, tradidit hæreses gravissimas. Inter alia docuit Christum in cruce sic fuisse a Patre derelictum, ut præ nimio

dolore de salute animæ suæ dubitaverit, maledixeritque B. Mariæ Virgini, necnon terræ quæ sanguinem suum suscepit. Asseruit etiam laicum illuminatum adeo proficere posse prædicando et docendo, ut magis ei, quam Evangelio aut sanctis doctoribus, sit credendum.

Martinus Gonsalvus, Hispanus, incidit in dementissimas hæreses: docebat quippe se germanum esse archangeli Michaelis, et se advenientem Antichristum ad singulare certamen provocaturum, et cruce Christi diademate spineo ornata prostraturum. Gonsalvum esse Dei Filium in cœlis ab æterno genitum, aliaque deliria propugnavit Nicolaus Calaber Barcinone.

Bartholomæus Janovezius, Majoricanus, inter alia docuit Antichristum die Pentecostes anno 1360 venturum, eoque adveniente omnia Ecclesiæ sacramenta desitura. Errores publice ejuravit.

Berengarius de Montefalcone anno 1353 docuit: "quæcumque bona facienda sunt, puro Dei amore, non ob aliam rationem, nec spe æternæ mercedis facienda." Errorem illum damnavit Sancius Tarraconensis Archiepiscopus. Magister Joannes de Calore duas propositiones minus sanas anno 1363 revocavit.

Dionysius Soulechat, Ordinis Minorum, plures propositiones propugnavit, quibus Christi paupertatem rerum omnium dominium excludere, contra Joannis XXII. definitionem statuebat. Eas tandem ejuravit anno 1369.

Arnaldus Montanerii, ex Catalonia oriundus, errorem damnatum de paupertatis Christi natura propugnavit, addens neminem damnandum qui S. Francisci habitum detulerit. Damnatus est anno 1372.

Turlupini, dicti etiam Sodalitas paupertatis, Beguardorum errores in Galliis et Allobrogibus restaurarunt; omnique posthabito pudore nudi incedebant, libidinemque palam, canum more, exercebant. Voce non esse orandum, sed corde tantum docuerunt.

Raymundus Lullus, ortu Majoricensis, professione mercator, falsis revelationibus deceptus plurimos errores hausit. Eos damnatos esse a Gregorio XI anno 1376 Diploma illius in Directorio Eymerici testatur. Hæretico animo eum scripsisse non constat; quamvis non facile assentiamur illis qui eum inter sanctos martyres Ordinis S. Francisci recensent. Lullistæ tamen hæretici fuere, qui scilicet errores illos aliosque propugnarunt, doctrinam Lulli Spiritui Sancto tribuentes, eamque retinendam, quando tempore Antichristi omnes theologi a fide deficient, ut ipsi audacter prædicebant. De Trinitatis et Incarnationis mysterio, sicut et de aliis pluribus fidei doctrinis haud recte sentiebant Lullistæ.

Raymundus Neophytus de Terraga ex Rabbino Hebræorum, factus Christianus, plurimas hæreticas propositiones protulit, quas Gregorius XI damnavit. Inter cæteras docuit: "Qui victi suppliciis, Deum negant ore, sed corde adorant, non solum non peccare, immo remuneratione dignos

esse." Peccatorem omnem, dum peccat, voluntatem suam divinæ conformare: æque enim placere Deo bona et mala; æque Judæ desperationem, et Petri contritionem: Sectam Mahometis esse æque Catholicam ac fidem Jesu Christi."

Joannes Wickleff, theologus Anglus, a præfectura collegii Oxoniensis, quæ monacho ex præscripto Simonis Islepii archiepiscopi Cantuariensis, debebatur, dejectus Summi Pontificis sententia, anno 1375 hæresim spargere cœpit. Fatalem rerum omnium inducere satagebat necessitatem, cui et ipsum Deum subjici ausus est asserere. In Papam tamquam in Antichristum vehementius debacchatus est. Sacerdotibus et prælatis omnibus potestatem omnem abjudicabat, si forte reatu gravi tenerentur, eamque tribuebat piis laicis. Ad principes suam temeritatem extendit, ea prolata propositione: "Nullus est Dominus civilis, nullus prælatus, nullus episcopus, dum est in peccato mortali."[1] Eleemosynas monachis et sacerdotibus datas, onere precum vel Missarum imposito, simoniæ arguebat. Res temporales possidere Ecclesiæ nefas esse, Principesque debere eas sibi vindicare asserebat.[2] Plures de sacramentis errores propugnavit, transubstantiationem in eucharistia impugnans; utrum autem præsentiam realem admiserit, non satis compertum est. Purgatorium, et imaginum et sanctorum venerationem minime negavit. Errores suos in concilio Londinensi, dicto *concilio terræmotus*, a motu terræ dum celebraretur, ejuravit, simulato forsan animo, et in Ecclesiæ pace visus est mori; quapropter eum vel hypocritam, vel Catholicum, La Roque, Calvinianus licet homo, meritò pronuntiat.[3] Præter hoc concilium habitum anno 1382, aliud celebratum est anno 1396, a Thoma Arundellio Cantuariensi archiepiscopo, aliud Oxonii anno 1408, aliud Londini anno 1413, contra Wickleffianam hæresim, quæ, extincto auctore anno 1384, adhuc grassabatur. Joannes XXIII. in synodo Romana anno 1413 eam pariter damnavit; et in concilio Constantiensi anno 1415 ea damnatio renovata est.[4]

Joannes de Montesono, Hispanus gente, Ordinis Prædicatorum, et Theologus Parisiensis, 14 propositiones erroneas propugnavit anno 1387, quas cum tueretur Magister et Procurator Ordinis, vetando ne Dominicani earum damnationi subscriberent, ex Academia Parisiensi annos 25 manserunt omnes illius ordinis professores exclusi.

XV. Sæculo.

XV. Ineunte sæculo Hussitarum hæresis in Bohemia erupit, auctore Joanne ex villa Huss, Academiæ Pragensis Rectore. Hic articulorum

(1) xxvii. inter propositiones a Conc. Constantiensi damnatas.
(2) Vide ejus Trialogum l. iv. c. xvii. et seq.
(3) Hist. Euch. c. lxx.
(4) Sess. viii.

Wicleffi a Pragensi Academia damnationi subscripserat, errores tamen illos propugnare ausus est, tum in Academia, postquam, orto dissidio, Teutonici recesserant, tum in templo quod Bethleem nuncupabatur. Sectatores habuit clericos ære alieno vitiisque gravatos, nonnullos etiam doctrina claros, quos pigebat humili loco stare, dum alios nobiliores sibi, quamvis doctioribus, præponi viderent. Inter hos Hieronymus Pragensis et Jacobellus Misnensis fuerunt insignes. Petrus Dresdensis morem Ecclesiæ quo eucharistia sub panis specie, omisso calice, administrabatur, primus reprehendit, unde Hussitæ *Calixtini* vocati sunt. *Thaboritæ* dicti sunt a loco natura munitissimo, quem occupabant Hussitæ, armis jam certantes. Immania in sacerdotes et monachos facinora patrarunt, duce Zischa, qui bellum gessit acerrimum cum Sigismundo imperatore, post mortem Hussi hæreseos damnati. *Orebitæ* etiam, qui Hussi propugnabant placita, horrendam in ecclesiasticos viros crudelitatem exercebant. Horum exercitui præerat Bredricus, presbyter Moravus, qui uxorem duxerat. Mortuo Zischa, nonnulli e Thaboritis neminem qui ei succederet dignum putantes, *Orphanorum* sortiti sunt nomen, distinctumque constituerunt agmen, quod communi consilio regebatur.

Docuit Huss Ecclesiam solis prædestinatis constare, et prædestinatum semper manere membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis. Papæ negavit primatum, eumque Antichristum vocavit. Censuras Ecclesiasticas, et obedientiam parvi fecit. Indulgentias etiam impugnavit. Principes civiles ad auferenda bona temporalia ecclesiasticorum hortatus est.

Transubstantiationem confessus est Huss,[1] Confessionem partem esse pœnitentiæ docuit;[2] agnovit Extremam Unctionem, imo septem esse Sacramenta, quæ efficiunt quod figurant, et quorum tria imprimunt characterem. Purgatorium admisit,[3] sanctos invocandos fassus est.[4] Beatam Virginem laudibus extulit; imagines honore religioso non fraudavit.[5] Hæc fere omnia, aliaque Catholicæ doctrinæ capita, plerique Hussitæ tenuerunt, ut liquet ex Pragensi Hussitarum synodo anno 1421, et ex articulis 23 Hussitarum Pragensium contra Thaboritas, relatis a Cochlæo.[6] Præcipuus horum error respiciebat communionis sub utraque specie necessitatem, quapropter *Calixtini* dicti sunt, ut a Thaboritis multos errores propugnantibus distinguerentur. Post plura præjudicia Joannis Huss errores in concilio Constantiensi anno 1415 profligati sunt, ipseque in hæresi pertinax curiæ sæculari traditus, Concilio fatente se, præter pœnas ecclesiasti-

(1) Tract. de Sac. corp. et sang. Domini.
(2) Tract. de Pœnit.
(3) Serm. de Exequiis.
(4) In lucid. fidei suæ.
(5) L. de imag. adorat.
(6) L. v. hist. Hussit.

cas, nihil in eum posse. Imperator Sigismundus Ludovico Bavariæ Duci jussit ut igne periret, juxta leges tunc vigentes. Eum propterea incusarunt Bohemi violatæ fidei publicæ, dederat quippe Joanni Huss Salvum Conductum; sed a tanto crimine facile vindicatur, quum Salvus Conductus communi forma concessus solum efficeret ut ipse libere posset concilium adire, seque ab impactis erroribus vindicare, non tamen ut juste damnatus pœnam evaderet. Præterea, fuga sese proripere conatus, Joannes privilegium concessum amiserat, ejusque errores seditioni excitandæ erant accommodati.

Hieronymus de Praga Hussiticos errores in concilio ejuravit,[1] sed in hæresim relapsus in judicium vocatus est. Præter errores immania etiam in concionatores Catholicos crudeliaque facinora, et turbæ excitatæ ei objecta sunt, ipseque propterea damnatus, quum fateretur se metu impellente Hussi placita prius abjurasse, simulque se Transubstantiationis dogmati ex animo adhærere contra accusatores suos vehementer contenderet. Sæculari potestati traditus igne combustus est.

Fratres Bohemi dicti sunt quidam ex Hussitis, anno 1467, qui sese a Calixtinis separarunt, duce Kelesiski sutore, eos arguentes, quod, præter calicis usum, Romanis per omnia similes essent. Rejecerunt transubstantiationem, orationes pro defunctis, sanctorum cultum, et imprimis Papæ potestatem. Hodie vocantur *Moraviani*.

Secta *hominum Intelligentiæ* orta est auctoribus Guillelmo de Hildernissen Carmelitano et Ægidio Cantoris laico Belgis. Asserebat Ægidius se esse Salvatorem hominum, qui per ipsum Christum viderent, sicut per Christum Patrem; diabolum omnesque homines tandem salvandos; actus carnales sine peccato exerceri et ad Dei voluntatem referendos; aliaque tradebat principia perversa. Ejuravit errores suos Guillelmus anno 1411.

Adamitæ anno 1420, auctore Pikardo ex Gallia Belgica, orti sunt. Hi in Bohemia grassati insulam quamdam, amne Lusinicio cinctam, occuparunt, in qua et nudi incedere et promiscuam exercere libidinem non verebantur Eos. omnes, duobus tantum exceptis, Zischa Thaboritarum dux gladio delevit. Sæculo XVI. alii eadem labe inquinati apparuerunt, duce Adamo Pastore, matrimonium tamquam per se malum damnantes. Ex Anabaptistis quosdam "vidit nudos discursitare nostra Hollandia anno 1535" inquit Lindanus Ruremondensis episcopus.[2]

Joannes Parvus, theologus Parisiensis, propositionem de tyranni cæde protulit, quam Concilium Constantiense tamquam hæreticam damnavit: "Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramen-

(1) Sess. xix.
(2) Lib. Dubitantium dial. ii.

to, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato judicis cujuscumque."[1]

Matthæus Grabon, ex ordine Prædicatorum, in plures errores impegit, impugnando vitam communem, quam degebant quidam nullo Religionis voto adstricti. 25 illius propositiones damnatas ipse abjuravit.

Petrus de Osma, Theologiæ in urbe Salamanticensi professor, anno 1479, divinam confessionis sacramentalis institutionem negavit, aliosque propugnavit errores, quos post Toletanum Archiepiscopum Sixtus IV. damnavit.

Hermanus Ruissvich, anno 1499, Hagæ, Christum negavit, et Evangelium inter fabulas recensuit: animam asseruit esse mortalem; infernum nullum esse; aliaque a fide prorsus aliena docuit.

XVI. Sæculo.

Fossarii, anno 1501, in Bohemia grassati sunt, qui præter errorum portenta, scelera turpissima in fossis et speluncis patrabant.

Martinus Lutherus, Islebii in Saxonia, plebeis parentibus, anno 1483 natus, fulminis in sodalem immissi ictu perterritus, "terrore et agone mortis subitæ circumvallatus, emisit coactum et necessarium votum," ut ipse narrat,[2] et in Ordinem Eremitarum S. Augustini ingressus, Theologiæ Professor creatus est anno 1508. Quum Leo X. S. Petri templum, a Julio II. inchoatum, perficere cuperet, fidelium per orbem ad tantum opus largitiones solicitavit, propositis etiam indulgentiis, iis qui pio animi motu eas impertirentur. Alberto, Marchioni Brandeburgensi, et archiepiscopo Moguntino, injunxit pontifex, ut indulgentias per Germaniam promulgaret, qui Joannis Tetzelii Ordinis Prædicatorum Professoris, cæterorumque illius Ordinis Professorum opera ea in re usus est. Id Augustinianorum promovit invidiam, qui Dominicanorum, ut aiebant, abusus vehementer redarguere aggressi sunt, favente Staupitio, Vicario Generali in Germania Ordinis Eremitarum. Inter alios Lutherus scripsit epistolam ad Archiepiscopum, anno 1517, querens de immodicis illis laudibus quibus Dominicani indulgentiarum vim efferre dicebantur, et contra eas palam debacchari cœpit. Ad justificationem discutiendam progressus, eam in imputatione extrinseca justitiæ Christi, speciali fidei apprehensæ, constituit, sacramentorumque inhærentem vim denegavit. Veniæ certitudinem omnimodam haberi posse, quin tamen de cordis pœnitentia certi simus asseruit. Ad Papam delatis ejus erroribus, se paratissimum ad pontificia mandata excipienda simulavit, Christum in eo, ut aiebat, auditurus. A Leone 40 ejus errores damnati sunt 18 Junii 1520; quod cum accepisset Lutherus, pontificium diploma, una cum Juris Canonici Corpore, publice Wittembergæ combussit, 10 Decembris die; librumque scripsit *contra exe-*

(1) Vide Conc. Const. acta Sess. xv.

crabilem Antichristi Bullam, aliumque *de Captivitate Babylonica*. Exinde sese divinitus missum ad reformandam Ecclesiam jactabat, omniaque munia ecclesiastica pro lubito usurpans, Nicolaum Amsdorfium episcopum Naumburgensem constituere aggressus est. Landgravio Hessiæ indulsit ut secundam duceret uxorem, priore adhuc superstite. In pontificem principesque ei faventes vehementius invectus, plurimos maximosque motus in Germania excitavit, bellique incendium gravissimum. Scriptis suis plurima inseruit ridicula, obscœna, et turpia. Probavit, summisque celebravit laudibus, Leonardum Koppen, aliosque ejus asseclas, qui septem virgines nobiles ex monasterio Nimicensi rapuerunt, quarum unam, Catharinam de Borè nuncupatam, suo thoro sociavit, tresque ex ea reliquit filios. Obiit anno 1546, 17 die Februarii, Islebii noctu cum sero præcedenti opipare cœnasset, et facetiis pro more indulsisset.

Sacramentariorum error, negantium Christum in eucharistia adesse, propugnatorem habuit Andream Carolostadium, archidiaconum Wittembergensem, qui primus reformatorum sacerdotum uxorem duxit; sacrilegam nuptiarum umbram cæteris Missæ officia celebrantibus, ut Deo ob spretam cœlibatus legem gratias tribuerent. Huldricus Zuinglius, Tigurinus pastor, anno 1519, eundem errorem cum aliis quamplurimis prædicavit, peccatum originis, baptismi vim, purgatorium et Pontificis primatum impugnans. Obiit in acie adversus Catholicas Helvetiorum tribus, die 11 Octobris 1532. Joannes Œcolampadius, ab Ordine S. Birgittæ apostata, linguarum peritia clarus, eidem adhæsit errori, diversam tamen adhibuit verborum Domini explicandorum rationem. Dicitur Basileæ exanimis in lecto repertus anno 1531, a fœmina quam duxerat, ut nonnulli suspicati sunt, suffocatus. Philippus Melanchton, in Palatinatu natus, 24 annos natus Luthero comitem se adjunxit, anno 1521, plurimumque causæ illius inservivit, humaniorum literarum elegantia insignis. Augustanam conscripsit confessionem, in qua emollita sunt duriora Lutheri placita, quapropter *molles Lutherani* Confessionistæ dicti sunt. De eucharistia, sicut et de justificatione varie scripsit. Martinus Bucerus, Germanus, ab Ordine Dominicano apostata, Elizabethæ sanctimoniali matrimonii nomine junctus, subtilitate ac ambagibus verborum insignis, Sacramentariorum errorum propugnavit, verbis tamen ambiguis suam sententium sæpius obvelans. Gaspar Schvenkfeldius, nobilis Silesius, novam excudit explicationem verborum Christi, et docuit Spiritui Sancto interius illustranti mentem, non verò Scripturæ literæ esse attendendum. Joannes Brentius, Suevus, Wittembergensis canonicus et sacerdos, factus apostata, uxorem duxit, docuitque inter plures errores Corpus Christi vi hypostaticæ unionis esse ubique, specialem propterea negans in Eucharistia existendi rationem.

Protestantium nomen ortum est anno 1529, occasione protestationis editæ a nonnullis principibus et civitatibus Lutherana labe infectis, contra regulas in conventu Spirensi statutas ad pacem imperii inter tot dissidia servandam. Quum anno sequenti Carolus V. in comitiis Augustanis

edictum edidisset, Catholicis Principibus et Ordinibus consentientibus, quo omnes in prisca Religione permansuros absque ulla molestia sanciebatur, donec a concilio dissidia terminarentur, Protestantes fœdus Smalkaldæ inierunt anno 1531 ut sese armis tuerentur. Pax Norimbergensis inter Imperatorem et fœderatos, anno 1532, die 13 Julii coaluit, ea ratione ut nemini Religionis causa molestia usque ad futurum concilium inferretur.

Lutheranos inter et Sacramentarios, gravissimis dissidiis divisos, concordia inita est anno 1536, Wittembergæ edita formula, quæ ambiguitate verborum utrisque placeret, ad horum tamen errorem propius accedens. Eam sic explicatam a Bucero quum Helvetii recepissent, Lutherus ira excandescens vinculum pacis iterum abrupit, vehementiusque sacramentarios est insectatus.[1] Catholicos inter et Lutheranos, in comitiis Wormatiensibus et Ratisponensibus anno 1540, concordia frustra tentata est.

Suspensa ob morbum contagiosum Tridentina synodo, quæ die 13 Decembris anno 1545 inchoata est, imperator Carolus V. anno 1548, in Augustanis comitiis edictum promulgavit, in quo quid "*interim*" servandum foret Protestantibus in re Religionis præscripsit: unde nomen edicto. Libellum improbavit pontifex, Cæsaris in rebus Religionis sanctiones Ecclesiasticæ auctoritati noxias censens. Protestantes plerique eum quoque rejecerunt. Qui eum amplexi sunt, dicti sunt, *Interimistæ*, qui etiam *Lipsici*, *Cæsarei* et *Francici*, vocabantur, pro diversitate rationis qua eum servandum censebant. Cæsarei calicis usui, et sacerdotum connubio favebant.

Quum copiæ Protestanticæ, duce Mauritio Saxoniæ Septemviro, Oeni Ponte Carolum V. fuga sese proripere compulissent, pax in comitiis Passaviensibus, anno 1553, coaluit, et in Augustanis, anno 1555, confirmata est. Ad concordiam animorum inducendam plura habita sunt theologorum Catholicorum cum Lutheranis colloquia, absque ullo prorsus fructu. Inter Protestantes ipsos sæpius frustra tentata est concordia, editis fidei formulis admodum diversis. Cum Græcis etiam fœdus doctrinæ inire irrito conatu aggressi sunt anno 1576, Jeremia Patriarcha veterem fidem eorum commentis, pluribus epistolis, opponente.

Andreas Osiander, Brandeburgensis, schisma inter Lutheranos fecit, docendo hominem justificari non fide, sed eadem justitia essentiali qua Deus justus est. Paroxismo epileptico extinctus est anno 1552.

Matthias Flaccus Illyricus, Magdeburgensis Minister, rigidorum Lutheranorum dux, peccatum originis ipsam esse hominis substantiam docuit.

Anabaptistæ, anno 1522 orti sunt auctore *Nicolao Storkio*, seu Pelargo dicto, Silesio, qui a Luthero deficiens revelationes per Michaelem Archangelum jactabat. Plurimis rusticis ut Baptismum iterum reciperent persuasit, omnesque ei adversantes igne ferroque delendos docuit, sectatores

(1) Vide Hospinian par. 11. hist. Sacr. p. 263.

suos adhortatus ut in episcopos, pastores, monachos sævirent, eorumque ædes sacras diruerent. Ei adjutor accessit Thomas Muntzerus, sacerdos Catholicus olim, deinceps Lutheranus, qui rusticorum in Germania bellum plurimum promovit, ideoque capite plexus est, postquam tamen pœnitentiam professus susceperat sacramenta. Anno 1534 in civitate Westphaliæ Metropoli, Müntzer vulgo dicta, Joannes Matthias, pistor Harlemiensis, et Joannes Bockhold, sartor Leidensis, seditiones cædesque excitarunt, morte aut exilio mulctantes quicumque baptismum iterum suscipere nollent. Lutherum ipso Romano Pontifice deteriorem inclamabant. Principis Monasteriensis, qui et episcopus erat, auctoritatem abrogare aggressus, obsessa urbe, in eruptione Joannes Matthias occisus est. Regimen tunc capessivit Joannes Bockhold, qui ab enthusiasta fabro aurario rex conclamatus, "Rex justitiæ hujus mundi" appellari ipse voluit. In adulterio deprehensus, sexdecim sibi sumpsit uxores ad flagitii ignominiam velandam, se divino monitu polygamiam instaurare jactans. Præcipuus Anabaptistarum error infantium baptisma, quod nullatenus valere contendebant, respexit; sed et de polygamia, juratione nunquam licita, aliisque plurimis, errarunt. Septuaginta eorum sectæ olim enumerabantur, quorum aliqui nuncupabantur *Melchioritæ*, *Mennonitæ*, *Davidiani* seu *Georgiani*, *Libertini*. Eorum singulos errores recensere nimis longum esset. Mennonitæ hodierni in Pennsylvania infusione conferunt baptismum.

Baptistæ ante medium sæculum septimum orti sunt.[1] Immersionem solam esse validam baptizandi formam contendunt. In plurimas dividuntur sectas, quarum præcipuæ sunt *Baptistæ Generales*, seu *Arminiani*, qui a quodam Smith, olim Anglicanæ Ecclesiæ ministro, sæculo 17 ineunte, suam hauserunt doctrinam, quæ Pelagianis erroribus infecta dicitur; et *Baptistæ Particulares*, seu *Calviniani*, qui prædestinationis errorem ab hæresiarcha Calvino mutuantur. Sunt etiam *Baptistæ apertæ Communionis* (*open Communion Baptists*,) qui consortium Religionis et eucharistiam omnibus quacumque ratione baptizatis, indulgent; et *strictæ communionis* (*close communion Baptists*, vulgo dicti,) qui eos mensa sacra interdicunt qui immersi non fuerint. Sunt etiam *Baptistæ Christiani*, qui sectariorum nomina rejicientes, omnes sectas Christiano nomine appellandas volunt, eodemque frui consortio; quod cæteri tamen prorsus aversantur. Nonnulli omnem fidei formulam rejiciunt, Scripturam solam communionis tesseram habentes, *Anti-Credo Baptistæ* idcirco dicti; quum alii *Credo-Baptistæ* ob quasdam fidei formulas appellentur. Alexander Campbellus celebris in Virginia præco, qui versionem novi Testamenti a Georgio Campbello Edemburgensi concinnatam in usum deduxit novæ divisioni præbuit occasionem. Qui ea utuntur dicuntur *Campbellitæ*. Sunt etiam qui sabbatum judaicum servant "Seventh-day Baptists," idcirco dicti.

(1) Vide vol. iii. Tract. de Bapt. c. ii. n. 62.

Joannes Calvinus, seu *Chauvin*, Novioduni Veromanduorum, anno 1509 natus, aliquamdiu ecclesiasticis studiis, aliquamdiu etiam Juri Civili operam quum navasset, in errores Novatorum prolapsus est, quos in libro Institutionum, edito anno 1535, propugnavit. A Genevensibus jam hæresi infectis electus est anno 1536 Theologiæ Professor, etsi nullo sacro ordine insignitus. Summam auctoritatem sibi usurpavit, quando anno 1541, probante Senatu, disciplinæ leges numquam obrogandas tulit, Catechismum quoque edidit, et formulam precum ecclesiasticarum, et sacramentorum administrandorum. Mortuus est anno 1564, placidissime, si Bezæ credamus, sed inter voces horrendas execrationis et imprecationis, si Bolseco, ad Ecclesiam jam pœnitenti animo reverso, fides sit adhibenda. Fuit fere indefessus in studiis, in scriptis elegans et vehemens ; cæteroquin minime Theologus. Parum religiose de vocibus *consubstantialis*, *hypostaseos*, *Trinitatis*, sensit,[1] etsi Trinitatis mysterium adeo propugnaverit, ut Servetum illud denegantem morte mulctandum curarit. Christum etiam "quatenus æternus Dei sermo est" ab initio creationis fuisse Mediatorem docuit.[2] Christum "diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis" pertulisse impie asseruit.[3] Deum, etsi verbis id deneget, re tamen vera auctorem peccati facit. Hominem esse lapsum "quia decreto suo sic ordinarat" Deus, tradidit; homines, que Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinari : nec solum ad damnationem, sed ad eam quæ pro damnationis causa ostenditur, corruptionem Dei ordinatione reprobos prædestinatos.[4] Liberum arbitrium titulum esse sine re ; Deumque non ita voluntatem movere ut nostræ postea sit electionis motioni obtemperare aut refragari, aiebat. Concupiscentiam, etsi involuntariam, esse etiam in baptizatis verum peccatum docuit. Justificari quemque "dum ex Evangelii doctrina agnoscit se Deo reconciliatum" propugnavit, fide scilicet sola, quamvis contendat fidem ipsam justificantem solam non esse. Fidem ac justitiam electorum propriam esse, nec unquam amitti "inter gravissimos lapsus,"[5] contendit. Omne peccatum æternam mereri mortem, nec veniale dici, nisi quatenus electis ad mortem non imputatur, quia "nulla est damnatio iis qui sunt in Christo Jesu" statuit.[6] "Omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil esse nisi inquinamenta et sordes ;" et legis perfectam observationem esse impossibilem effutiit. Confessionem, Indulgentias, Purgatorium, Sanctorum invocationem, Romani Pontificis Primatum, conciliorum auctoritatem, Imaginum cultum, potestatem Ecclesiæ ferendi leges, cœlibatum sacerdotum, Vota, jejunia, Ordines Religiosos, acerrime impug-

(1) Inst. l. i. c. xiii. n. 6.
(2) Ad Polonos contra Stancarum.
(3) Inst. l. ii. c. xvi.
(4) Ibidem. l. iv. c. xxiv.
(5) Ibidem l. iii. c. ii. n. 11. 12.
(6) Ibidem l. ii. c. viii. n. 50.

nasit, Lutheri instar. Ordinationem duobus sacramentis quæ Lutherus admisit fere adjunxit.[1] Baptismum Christi ac Joannis eundem fuisse asseruit. Baptismum necessarium non esse ut filii fidelium salutem assequantur, affirmavit, eo quod, ut aiebat, Dei fœdere cum parentibus includerentur. Dogma Catholicum de substantiali Christi Domini in eucharistia præsentia negavit; ne tamen videretur *Sacramentariis* assentiri, qui panem et vinum eucharisticum mera esse symbola contendebant, docuit ipse "in cœnæ mysterio per symbola panis et vini Christum vere nobis exhiberi, adeoque corpus et sanguinem ejus in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis justitia adimplevit: quo scilicet primum in unum corpus cum ipso coalescamus; deinde participes substantiæ ejus facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque sentiamus."[2] Verbis tamen adeo magnificis nihil præter virtutem Christi corporis et sanguinis fide perceptam significare voluit. Mulieri quam deseruit maritus, cum scorto in locum ignotum abiens, nubendi facultatem concedit.[3] Matrimonii vinculum causa fornicationis solvi declarat. Ministri Calviniani eligebantur Genevæ a ministrorum collegio; penes Senatum tamen erat eos rejicere, populi verò erat si quid obstaret, eorum electioni objicere. Ministris seniores populi plurimis in rebus jungebantur, ut communi consilio et opera res procederent; et sic ministris et senioribus simul convenientibus Presbyteria, et Synodi eorum conflabantur, pari vi suffragiis singulorum tributa.

Calvini sectatores in Gallia vocabantur *Hugonotti*, a vocibus Helveticis quæ Fœderatos significant, ut nonnulli conjiciunt; in Scotia et Anglia *Puritani* eo quod, rejectis Ecclesiæ Anglicanæ cæremoniis, puritati cultus se studere jactarent; *Presbyteriani* etiam, desumpto vocabulo a cœtu seniorum. *Ecclesia Anglicana*, etsi episcopalem ordinem retineat, pluresque ritus Romanis haud absimiles, Calvinianam doctrinam fovet 39 articulis, 17° verò præcipue. *Ecclesia Scotica* (Anglice *The Kirk of Scotland*) Joannis Knox opera, anno 1560, Calviniana placita amplexa est, annoque 1689 episcopalem ordinem penitus abolevit. Qui ab Ecclesia Scotica dissentiunt, etsi Calvinum ducem agnoscant, *Seceders* vulgo vocantur a voce Latina *secedo*. *Independentes* unamquamque Ecclesiam particularem sui juris faciunt; *Congregationalistæ* idcirco nunc communius nuncupati. Joannem Robinson anno 1607 agnoscunt auctorem, quo duce Anglia relicta ad Bataviam commigrarunt; et ex iis plurimi anno 1620 ad Novam Angliam sese contulerunt. *Piscatoriani* a Joanne Piscatore, Argentinensi, Calvinianæ Theologiæ Professore, dicti, singulares sententias a Calvinianæ Theologiæ Professore, dicti, singulares sententias a Calvinianis discrepantes propugnarunt. Sed præ cæteris celebres sunt *Arminiani*, qui duce Jacobo Arminio, Theologiæ Professore Lugduni Batavo-

(1) Inst. l. iv. c. xviii. n. 19. 20.
(2) Ibidem. l. iv. c. xvii. n. 11.
(3) Ep. ad Valerian Pol. p. 110.

rum, Calvinianos errores de prædestinatione et necessitate fatali abjecerunt, in Pelagianorum tamen castra longius procedentes. Hi etiam *Remonstrantes*, a libello supplici quem Ordinibus Hollandiæ et Frisiæ Occidentalis obtulere, dicti sunt, et *molles* etiam *Calviniani*. *Rigidi* e contra *Calviniani* eorum adversarii vocabantur, sicut et *Gomaristæ*, a Francisco Gomaro ejusdem Academiæ Professore. Hi coacta synodo Dordracena Arminiana placita damnarunt anno 1619. Barnefeldus Ordinum Cancellarius, ob propugnatas Arminii sententias, capite plexus est, Hugo Grotius cum aliis duobus carceri mancipatus. Accusabantur tamen quod principi Arausicano faverent.

Antitrinitarii plurimi hoc sæculo orti sunt, agmen ducente Michaele Serveto, Hispano Medico, qui ea de causa Genevæ, curante Calvino, combustus est, anno 1553. Valentinus Gentilis, Neapolitanus, Georgius Blandrata, Alciatus, Bernardinus Ochinus, Gribaldus, Franciscus David, et Lismanius in eodem luto hæserunt. Valentinus idcirco capite damnatus est Bernæ in Helvetia, anno 1556; Alciatus ad Mahometanos defecit; Blandrata trucidatus est a cognato, qui suis bonis inhiabat; Gribaldus peste interiit; David domo ruente oppressus est; Lismanius in puteum præcipitem se dedit; Ochinus pœnitens obiit.

Sociniani eadem hæresi infecti auctorem agnoscunt *Lælium Socinum*, Senis oriundum, qui, medio sexto decimo sæculo, pestilentissimum virus effudit. Eum secutus est nepos Faustus Socinus, qui in Transylvania et Polonia hæresim propagavit, Joanne Crellio, aliisque faventibus. Docuerunt hi nihil credendum quod humani intellectus superet captum, proindeque mysterium trium in divina essentia personarum rejiciendum: Spiritum Sanctum esse meram efficaciam Dei, minime vero personam. Christum esse hominem, qui Dei filius ob mirabilem conceptionem sine viri opera, et ob dotes divinitus datas dicitur, eum nobis tradidisse sancta morum præcepta, optimumque præbuisse exemplum, quin tamen nostrorum peccatorum luerit pœnas. Peccatum originis negabant, omnemque baptismi necessitatem et vim sustulerunt. Fidei et gratiæ ad salutem necessitatem inficiabantur, prædicantes hominem naturæ viribus posse legem morum servare, et sic adipisci cælestem beatitudinem. Reprobos in æternum non esse cruciandos contendebant, sed post pœnas delictis æquales ad nihilum redigendos. Alia quamplurima tradidit sectatoribus suis Socinus fidei adversa. Apud nos *Unitarii* audiunt, ob unicam quam in Deo agnoscunt personam. Sectam hanc, quæ Deismum vere profitetur, quamvis Scripturas aliquatenus venerari se profiteantur, propagavit in Americæ fœderatis provinciis ab anno 1794 Anglus *Priestley*. Hodierni Unitarii Scripturarum divinam inspirationem vel omnino negant, vel quoad aliquas dumtaxat partes admittunt. Nonnulli Jesum, ex Josepho et Maria genitum contendunt; dæmones existere et nobis insidiari plerique denegant; animam humanam a corpore divulsam existere plures inficiantur, contendentes totum hominem simul surrecturum. Universalem

omnium, etiam impiorum, salutem post abstersas peccatorum maculas tradunt.

Michael Bajus, Lovaniensis Academiæ Professor, novas quasdam opiniones de libero arbitrio, statu primi hominis, operibus, et de rebus aliis propugnavit, quas Pius V. damnavit, 79 improbando propositiones solemni decreto, edito anno 1568. Acquievit ipse, errores tamen damnatos restaurarunt Jansenius et ejus sectatores, de quibus postea.

XVII. Sæculo.

Vanini, sacerdos in Apulia natus, in Galliam profectus, undecim sociis in varias Europæ provincias distributis, Atheismum propagare studuit ante annum 1619. Scripsit librum de miris naturæ arcanis.

Illuminati quidam in Hispania dicebantur, qui, sæculo decimo sexto exeunte, et initio sæculi sequentis, errores perniciosos de matrimonii usu, morumque principiis in Andalusia spargebant. Venia ab Inquisitore Generali pœnitentibus oblata, octo fere millia hominum errores abjecerunt, extinctaque est in Hispaniis secta. In Picardia iidem errores plurimos utriusque sexus sectatores nacti sunt. Regia auctoritate coercente, pestis hæc grassari desiit, anno 1623.

Jansenismus ad annum 1630 refertur, quamvis et in Baji erroribus et in Calvinianis prius extiterit. Eos renovavit *Cornelius Jansenius* episcopus Iprensis in Batavia, exarato libro, quem "Augustinum" appellavit, genuinam Sancti Augustini doctrinam de gratia, libero arbitrio et prædestinatione explicare se profitens. Anno 1638 in mortis discrimine constitutus librum post illius obitum edendum amicis fidis concredidit, præfatus se judicio Sedis Apostolicæ eum subjicere: quod tamen utrum ex animo fecerit gravis est ratio dubitandi. Librum e prælo vix prodeuntem damnavit Urbanus VIII. anno 1641; et quinque ex eo excerptas propositiones, quibus et præceptorum Dei servandorum impossibilitas, et insuperabilis gratiæ vis adstruebantur, sicut etiam mors Christi pro omnibus omnino hominibus tamquam Semipelagianus error rejecta est, damnavit solemni definitione anno 1653, Innocentius X. Plurimis dolis Pontificiam definitionem eludere conati sunt Jansenii sectatores, contendentes scilicet propositiones reprobatas libro Jansenii non contineri, easque Calvini sensu, non verò Jansenii, esse hæreticas; ad quæ tollenda effugia novæ a pluribus Pontificibus editæ sunt Constitutiones. Inter factionis antesignanos fuere Joannes Vergerius de Hauranne Abbas S. Cyrani, Antonius Arnaldus, vir eruditissimo, de perpetua Ecclesiæ circa eucharistiam fide, opere insignis, pertinaci tamen novitatis Jansenianæ defensione fœdatus; et Paschasius Quesnellus, Oratorii Berulliani presbyter. Hic virus spargere tentavit in opere "Observationum moralium in novum Testamentum" anno 1693 edito. Perniciosissimum librum reprobavit solemni decreto Clemens XI, damnatis 101 propositionibus ex eo desumptis, Constitutione

quæ incipit: "Unigenitus Dei Filius," anno 1731 edita. Bullæ Pontificiae restitit Cardinalis Noallius, archiepiscopus Parisiensis, qui librum antequam ederetur probaverat. Ab ea appellarunt futurum concilium 4 episcopi, quibus adhæsere Cardinalis Noallius, et 12 alii episcopi, cum pluribus Academiis per Regnum, Sorbona inclusa, quamvis Bullam pleræque jam antea, vivente Ludovico XIV. acceptassent. Cardinalis Noallius a communione fidelium remotus est ob pertinaciam, et episcopus Sanitiensis propter eandem causam suspensus ab omni ordine et officio. Tandem, anno 1728, Cardinalis Noallius jam provectæ ætatis pœnitenti animo Apostolicæ Sedis veniam petiit, Bulla simpliciter acceptata, quem imitatæ sunt Sorbona, et pleræque aliæ Academiæ et Communitates Religiosæ. Fraudes, mendacia, conatusque omnes Jansenianorum enarrare non suppetit animus. Latuerunt diu intra Ecclesiæ sinum, ejusque filios sese jactare non verebantur, etiam dum pertinaci animo Pontificias definitiones, toti Ecclesiæ probatas, impugnantes, ejus viscera factione, schismate, et hæresi lacerarent.

Edmundus Richerius Doctor Parisiensis, anno 1631, totam ecclesiasticam potestatem penes universam multitudinem, qua Ecclesia constat, esse contendebat, ab eaque ad Summum Pontificem, cæterosque præsules derivari. Libellus ea de re editus a conciliis duobus provincialibus, et a Sede Apostolica, damnatus est, ipseque duobus ante mortem annis suos retractavit errores.

Isaac de la Peyrere, Burdigalensis, Calvini sectae Præadamitarum hæresim excogitavit, homines longe ante Adam creatos asserens; quem tamen errorem, cæterosque omnes postea abjecit, Catholicam amplexus fidem Romæ coram Alexandro VII.

Quakerorum, seu Tremantium, secta anno circiter 1647 orta est, auctore Georgio Fox Anglo. In vitia hominum, et in ritus ministrosque Ecclesiæ Anglicanæ vehementius invectus est in ipsis eorum templis. Ex tremore quo, adveniente Spiritu, dicuntur concussi, vocabulum *Quakerorum* eis adhæsit. In unum conveniunt, silentiumque servant usque dum se spiritu afflatos sentiant, liberamque relinquunt omnibus utriusque sexus concionandi facultatem, prout Spiritus eis dederit. Enthusiastarum more per vicos publicos olim ferebantur, clamores minasque contra magistratus, et pastores ecclesiarum edentes. Margarita Fell, Foxi uxor, sese insignem concionibus suis effecit. Quidam Taylor nomine fustibus punitus est, eo quod turbas se sequentes habuerit, qui eum regem Israel, unicumque Dei filium conclamantes, "Hosanna filio David" iterato protulerunt. Fox ipse aliquando carceri mancipatus est. Gulielmus Penn, qui anno 1681, a Carolo II. obtinuit hanc Americæ Septemtrionalis provinciam, quæ ab ipso vocatur *Pennsylvania*, sectam amplexus est et fovit. Statuunt *Quakeri* Scripturas esse quidem Dei verbum et regulam fidei, sed secundariam dumtaxat, quum interiori, Spiritus illustrationi primus locus tribuendus sit: Baptismum aquæ rejiciunt, baptismo Spiritus, ut ajunt, tan-

tum agnito; dicunt scilicet aquam in Joannis baptismate tantum usurpatam, id ad tempus institutum. Eucharistiam pariter denegant omnino, ne umbra quidem illius retenta, sed corpus et sanguinem Christi Spiritu percipienda docent. Juramenta nunquam licere propugnant: arma gerere detrectant, bella omnino vetita habentes: omnes honoris titulos, ipsasque usitatas salutandi formulas, "Domine" aut "Domina," damnant tamquam illicitas, sicut etiam omnes ludos recreationis nomine usurpatos. Vestes peculiares induunt. A principiis moribusque majorum suorum recentiores in America Quakeri sensim recedere noscuntur.

Quietistæ, auctore Michaele Molinos, sacerdote Hispano, Italiam ea circa tempora infestarunt. Perfectionis statum esse docuit summam indifferentiam, adeo ut anima perfecta nec de cœlis nec de inferis foret ullatenus solicita; nec ægre ferret gravissimas tentationes, nec aliquid a Deo unquam peteret. Turpissima flagitia velare hac ratione studuit, ea tamquam dæmonis tentationes æquo animo ferenda, asserens. 68 propositiones Molinosi damnatæ sunt ab Inquisitione Suprema, probante Innocentio XI., anno 1687; ipseque carceri mancipatus ubi pœnitens obiit. Semiquietismusa, Fenelon archiepiscopo Cameracensi propugnatus, a Sede Apostolica anno 1699 rejectus est, sedente in ea Innocentio XII., qui 23 propositiones ex libro 'de sanctorum principiis' desumptas reprobavit. Decretum Pontificium suscepit egregius præsul summa reverentia, et a sententiis illis de perfectione recessit, quas eximius in Deum amor peperat: in eo scilicet versabatur illius error, quod censeret habitualem dari perfectionis statum, in quo anima charitate adeo flagraret, ut de inferno, aut de Paradiso, nil curaret.

Laxiora morum principia damnata sunt ab Innocentio XI., anno 1679. Probabilium opinionum usus rejectus est, quando de valore Sacramentorum agitur, vel in rebus cæteris si tenuissima sit probabilitas. Imo in judiciis necesse est ut judex probabiliorem sententiam sequatur; et in rebus ad salutem necessariis debet unusquisque tutiorem eligere partem, quapropter damnata est opinio infidelem excusandum qui opinionem sequitur minus probabilem, ideoque rejicit fidem sibi propositam.

Severiora morum principia, ex auctoribus Jansenianis decerpta, solemni decreto Alexandri VIII., anno 1690, reprobata sunt. Impugnabant scilicet hi novatores præsentem Ecclesiæ disciplinam de administrandis sacramentis eucharistiæ et pœnitentiæ; asserebant ea quæ ignari patramus, aut inviti patimur, nobis imputari ob causam voluntariam, Adæ scilicet lapsum; omnia peccato inquinari, quæ ex Dei amore non procedunt; et affirmabant, non licere sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.

XVIII. Sæculo.

Duncari, orti sunt anno 1724, auctore Conrado Peysal, Germanus natione, qui, mundi pertæsus, ad solitudinem quinquaginta mullibus passuum Philadelphia dissitam recessit. Capitis capillos aut barbam nun-

quam radunt. Hominum mulierumque nullum permittunt consortium, præterquam in solemnibus quibusdam occasionibus, in quibus in unum conveniunt, et carnibus ovium, non verò aliorum animantium vescuntur. Aliis temporibus a carnibus omnino abstinent, oleribus tantum vescentes. Nullum sexuum commercium, etiam nomine matrimonii, indulgent. Peccatum originis denegant, sicut et æternas impiorum pœnas, omnes ad salutem aliquando perducendos contendentes.

METHODISTÆ, sic dicti a methodo quam in exercitiis Religionis servaret, orti sunt anno 1729, auctoribus Joanne et Carolo Wesley, Anglicanæ Ecclesiæ ministris. Hi plerique agnoscunt mortem Christi pro omnium omnino salute, ideoque *Arminiani* apud alios Calviniano errore infectos audiunt. Justificationem fide contingere docuit Joannes Wesley, ea scilicet animi persuasione qua quisque Christum pro se mortuum credit: quo temporis momento Deum ei peccata condonare asseruit. Hanc fidem ait Deum concedere nullo nostro merito, sed sola sua misericordia, iis omnibus qui peccata et pravitatem suam plene sentiunt. Pœnitentia, juxta ipsum, fidem præcedit: bona opera sequuntur. Rationem qua suam adoptionem a Deo quisque ex Spiritus interiori testimonio novit, explicare non est aggressus, sed eam adeo fideli justificato manifestam, ut luce meridiana sit clarior, contendit. Perfectionem tantam se assequi posse jactant Methodistæ ut peccati nullo amore amplius irretiantur; sed ad suum consortium recipiunt omnes qui iram venturam se fugere velle declarant: quos tamen si in graviora delicta labantur, ex suis cœtibus pellunt. Ex numero quodam cœtuum fit *Circuitus*, ut aiunt, quem scilicet duo aut tres præcones, quorum unus *superintendens* dicitur, per annumaut ad summum per duos annos, visitant. Ex numero quodam circuituum fit "*Districtus*," seu territorium quod peculiari solicitudine regit præco a *cœtu annuo* (*annual conference*) designatus titulo "Senioris Præsidentis" (*Presiding Elder.*) Singulis trimestribus hic invisit cœtus suæ curæ concreditos, collationesque habet cum cæteris præconibus hortatoribus, aliisque minorum graduum officialibus. Præter annuas collationes cœtus quidam solemnior singulis quadrienniis congregatur, dictus "generalis collatio" ("*general conference*,") in quo delegati ex annuis collationibus conveniunt. Tres episcopos in fœderatis provinciis, quorum unus collationibus præsidet, habent. Cœtus alios habent minus solemnes, quos "*Class-Meetings*," "*Band-Meetings*," "*Watch-nights*," "*Love-Feasts*," et "*Prayer-Meetings*," Anglice vocant. Classis quæque ex duodecim aut pluribus infra viginti personis utriusque sexus constat, quæ semel in hebdomade conveniunt, præside quodam ex illis designato "*Class-Leader*," hymnos canunt, preces effundunt, monitaque singuli a præside accipiunt. *Sociorum Cœtus* (*Band-Meetings*) tribus vel quatuor ejusdem sexus, ætatis, et conditionis, constat, qui similia exercitia peragunt. *Vigiliæ Nocturnæ*, (*Watch Nights*) fiunt semel in anno, tribus aut quatuor præconibus cum magna turba convenientibus vespere intra horam

octavam aut nonam P. M. Ex iis unus concionatur, cæteri preces effundunt, hortantur, hymnos canunt usque ad mediam noctem. *Festa Amoris, (Love Feasts)* fiunt singulis trimestribus. Cœtus solis sectæ asseclis constat, incipitque cantu et precibus. Postea panis frustula una cum aqua omnibus in signum mutuæ charitatis distribuitur. *Orationis Cœtus (Prayer Meetings)* frequenter fiunt, in quibus sæpe aliquis hortationem effundit. In omnibus cœtibus sæpe adstantes testantur quid in se effecerit Spiritus, *suam experientiam*, ut aiunt, *præbentes* (*giving in their experience.*)

Methodistæ Calviniani, seu Whitfieldiani a cæteris anno 1741 discesserunt, duce Whitfield, qui Calvini placita de prædestinatione propugnabat. Recentiores duritiem illam aliquando emolliunt, pluresque Ricardo Baxter ministro Presbyteriano, seu Puritano, assentiuntur, qui omnibus gratiam communem dari contendit, cui si obediant gratiam salutarem assequentur, quamvis nonnullorum decernatur salus absque ulla meritorum prævisione.

Kilhamitæ, seu novæ Unionis Methodistæ, (*Kilhamites* or *New-Connexion Methodists*,) anno 1797, cæterorum deseruerunt consortium, regimen sibi constituentes Reipublicæ ad instar, in quo scilicet ministrorum et populi partes suæ forent.

Swedenborgiani, seu Ecclesia novæ Hierosolymæ auctorem habent Baronem Swedenborg, qui anno 1743 se arcana mundi spirituum, Deo revelante, didicisse dicebat. Distinctionem personarum in Deo denegavit, Christum ipsum esse Jehovam, ejusque assumptam naturam, divinam ex unione effectam, esse Filium, ejusque divinam virtutem esse Spiritum Sanctum dictitans. Christum Redemptorem luisse nostrorum scelerum pœnas inficiabatur, docens eum nos tantum redemisse, quatenus victoriis suis dæmones nobis insidiantes procul disjecit. Asseruit etiam Swedenborg unumquemque hominem cum spiritibus semper communicationem servare, qua deficiente, nec cogitare, nec aliquid efficere posset aliquis.

Rationalistæ in Germania orti sunt medio sæculo decimo octavo, Semlero auctore, qui Scripturas ad normam solius rationis interpretandas docuit. Eas ex Spiritus Sancti speciali inspiratione conscriptas negavit, humanæ industriæ et ingenio eas tribuens. Quæ in ea traduntur mysteria rejecit, rationis principiis accommodans. Quæ referuntur miracula mythum esse vel allegoriam, vel visionem, vel ægræ mentis somnium, vel rem imaginibus orientalibus ornatam docuit. Prophetiam penitus subvertit, vates Judæos nonnisi poetico quodam ornatu adjecto, veritates naturales tradidisse affirmans. Pestis hæc qua miracula, mysteria, vaticinia tolluntur, fere omnes theologos Protestanticos in Germania infecit, et has etiam invasit provincias.

Saltatores (Anglice *Jumpers*) anno 1760 in Vallia (*Wales*) orti sunt. Divino spiritu se agitatos putant, dum saltant, vociferantur, aliaque indecora gaudii indicia edunt, "*Gogoniant*," i. e. "gloriam" inclamantes.

Qui SHAKERS, seu *Shaking Quakers*, dicuntur a Tremantium secta discesserunt, auctoribus Jacobo Wardley, Anglico sartore, et uxore illius, sed præcipue agmen ducente Anna Lee, quæ mater omnium agnita est, anno 1774 ad littora Neo-Eboraci appulerunt, et in Albania urbe hujus provinciæ sedem fixerunt. Docent Annam novum regnum spirituale fundasse, regno Christi perfectius, eamque filiam Spiritus Sancti prædicant. Ipse Spiritui genus fœmineum tribuunt: mysterium Trinitatis repudiant: Jesum natum e Josepho et Maria asserunt, ipsumque a Christo, qui unctio divinitus in Jesum immissa ab iis habetur, distinguunt. Sexuum commercium ad procreandam sobolem omnino damnant, quamvis mulieres et homines in iisdem homibus habitent, et in templis aliisque locis conveniant. Saltant ordinibus duobus mulierum et vivorum constitutis, Deumque sic dicunt coli. Totam Societatem mulier gubernat "MATRIS" nomine insignita, cui assidet vir potestate ei secundus.

SANDEMANIANI seu GLASSITÆ (*Sandemanians* or *Glassites*) auctorem habent quemdam Sandeman nomine. Docent fidem qua justificamur esse merum assensum revelatæ veritati. Singulis Dominicis Cœnam Eucharisticam faciunt, et inter matutinas et vespertinas preces convivium amoris (*love-feast*) celebrant, in quo omnes se invicem osculantur, quod et faciunt quotiescumque aliquis eorum societatem amplectitur, Apostolica verba nimis ad litteram intelligentes. Mortuus est auctor Sectæ in Nova-Anglia, quo ex Europa migrarat, anno 1771.

JEMIMA WILKINSON, mulier Americana, asseruit se anno 1776 mortuam esse, et ad cœlos conscendisse, postea verò vitæ restitutam, et futurorum jam præsciam, cordis arcanorum consciam, morborum curandorum potestate præditam sese jactabat, sectatores invenit nonnullos.

HOPRINSIANI (*Hopkinsians* or *Hopkintonians*) vocati sunt a Samuele Hopkins, præcone, qui primam ecclesiam Congregationalistarum in loco vulgò dicto "Newport, Rhode Island" regebat. Calvinistarum doctrinam de prædestinatione tenent, ideoque Hopkinsiani Calvinistæ dicuntur. Asserunt eos qui Deum non amant nihil perficere dum Religionis officia exterius complent. Adæ lapsum esse tantum occasionem cur Deus posteros ejus peccato inquinatos in mundum inducat, causam verò nequaquam affirmant.

HICKSITÆ, auctore Elia Hicks, e Quakerorum secta ante paucos annos orti sunt. Scriptam fidei formulam, et prædicandi tempus statutum vindicant; Deismum tamen christiano nomine dicuntur profiteri. Magnum exarsit in secta dissidium, et de domibus et rebus cæteris temporalibus gravissimæ lites coram tribunalibus civilibus in Statu Neo-Jersææ agitatæ sunt; nec pax composita est, nisi scissa secta. Quakeri igitur ab Hicksitis jam distinguuntur, et separatos celebrant conventus.

MORMONITÆ ante paucos annos orti sunt, auctore Josepho Smith, qui librum magni pretii se invenisse dicebat, quem MORMON appellabat. *Hunc historiam* dicunt esse, et religionis codicem, scriptum a quibusdam

Israelitis, qui in dispersione duodecim tribuum ad Americam appulerunt, a quibus Indi traxerunt originem.[1] Novissime ediderunt fidei expositionem Washingtonopoli, urbe fœderatarum provinciarum principe, die 9 Februarii anno currente. Se vocant sanctos novissimorum dierum; LATTER-DAY SAINTS.[2] In Deum et Filium ejus Jesum Christum se credere profitentur, quem Mediatoris apud Deum munere fungi dicunt, de ejus divintate silentes. Scripturas se excipere obvio quem ferunt sensu, explicandas scilicet eadem qua alius quilibet liber ratione; mystico sensu, et privata, quam dicunt, interpretatione rejecta. Dispensationem Evangelicam docent revelasse unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, unum Spiritum Sanctum, unum religionis systema, et unam Ecclesiam, seu cultorum cœtum in doctrina conjunctorum, et in veritate fundatorum: nec Deum systematum inter se contrariorum esse auctorem. Ideo ab omnibus sectis se habent alienos, ut pristinam fidem sanctis semel traditam restituant. Fidem in Evangelium, peccatorum pœnitentiam, et immersionem in peccatorum remissionem cuilibet injungi dicunt, baptismo infantium rejecto. Neminem nisi rite missus fuerit quodlibet sacrum munus peragere posse, cum emphasi quadam tradunt; legati ab Anglia ad fœderatas provincias missas, usi exemplo, hic enim mandatum sibi munus, litteris exhibitis, debet probare. Manus imponunt, ad munus Spiritus Sancti impertiendum, cujus dona jactant, prophetiam, linguarum scientiam, visiones, revelationes. Panem et vinum cujuslibet hebdomadæ prima die in memoriam corporis fracti, et sanguinis fusi sumunt, et ægrotantes seniores accersunt, ut hi pro iis orent, et manus iis imponant, *vel* eos oleo inungant in nomine Domini, ut sanentur. De millennio similia cæteris ejus patronis tradunt, cauti tamen ne annum secundi adventus Christi definiant, prius enim Hierosolymas ædificandas dicunt, Judæis illuc congregatis: tempus autem imminere credunt.[2]

(1) We have implicit confidence in the "Book of Mormon." not, however, as a new Bible to exclude the old, as some have falsely represented. We consider the "Book of Mormon" as a historical and religious record, written in ancient times by a branch of the house of Israel, who peopled America, and from whom the Indians are descended. The Book of Mormon corroborates and confirms the truth of the Scriptures, by showing that the same principles were revealed and enjoyed in a country and among a people far remote from the scenes where the Jewish bible was written.

The Book of Mormon opens the events of ancient America. It pours a flood of light upon the world on subjects before concealed—upon the history of a nation whose remnants have long since dwindled to insignificance in midnight darkness, and whose former greatness was lost in oblivion, or only known by the remains of cities, palaces, temples, aqueducts, monuments, towers, fortifications, unintelligible inscriptions, sepulchres, and bones. The slumber of ages has now been broken. The dark curtain of the past has been rolled up. The veil of obscurity has been removed as it regards the world called new. The ancient events of America now stand revealed in the broad light of history, as far back, at least, as the first peopling of the continent after the flood.

(2) Vide ipsum documentum: "An address by Judge Higbee and Parley P. Pratt,

Hæreses, schismata, et portenta errorum recensuimus, ut humani ingenii et superbiæ figmenta, quæ divinæ veritati adversantur, innotescerent evitanda, et magisterii a Christo instituti utilitates magis magisque, eorum erroribus qui eo carent patefactis, commendarentur: "Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex, vice Christi cogitatur," uti optime animadvertit Cyprianus.[1]

Ministers of the Gospel of the church of Jesus Christ of Latter-day Saints." Washington, February 9, 1840.

(1) Ad Cornel. l. i. ep. iii.

APPENDIX II.

CONCILIORUM ŒCUMENICORUM

NOTITIA.

Conciliorum Œcumenicum I. Nicææ, in Bithynia, Asiæ provincia, habitum est anno 325, Sylvestro sedem Petri, Constantino Magno imperii habenas, tenente. In eo Arii, presbyteri Alexandrini, hæresis damnata est, et antiqua fides de Christo Deo speciali voce designata, qua ὁμοούσιος seu *consubstantialis* Patri declaratus est: Apostolico symbolo nonnullis aliis additionibus enucleatius proposito. *Quartodecimani* etiam qui Pascha, Judæorum more, in die quartodecima, seu in plenilunio post vernum æquinoctium celebrabant, reprobati sunt, decreto edito ut in Dominica plenilunium sequente semper et ubique celebraretur. *Meletii* Lycopoleos in Ægypto episcopi schisma, contra S. Petrum Alexandrinum qui eum ob scelera gradu amoverat, est repressum. Anno 347 Sardicense concilium habitum est, quod tamen Niceni appendix censetur, quum nullus novus error in eo fuerit damnatus, sed quidam disciplinæ canones editi. Sardicense concilium hoc sub Julio I. celebratum est, Constante imperium regente. Sedulo distinguendum est ab alio hoc nomine insignito, quod tamen Philippopoli, (quæ urbs interjectu montis a Sardica separatur) celebratum est, Arianis episcopis in unum convenientibus.

Concilium Œcumenicum II. numeratur Constantinopolitanum I., anno 381, Theodosio seniore imperium tenente. In eo Macedonii episcopi Constantinopolitani, qui Spiritum Sanctum Deum esse negabat, error est damnatus. Cœtui huic episcoporum Orientalium 150, accessit Romani concilii sub Damaso auctoritas, unde œcumenici concilii vim obtinuit.

Concilium III. Œcumenicum, Ephesi celebratum est anno 431 S. Cæestini Pontificis assensu, 200 Episcopis in unum convenientibus, juxta Theodosii junioris placitum. Nestorius episcopus Constantinopolitanus, qui duas in Christo distinguebat personas, et Virginem Deiparam esse negabat, Christi matrem eam tantum appellandam contendens, Sede de-

vestrum' erro.

ectus est, damnatis ejus erroribus, juxta mandatum Cælestini. Concilii auctoritati obstiterunt Joannes patriarcha Antiochenus, Theodoretus Cyrensis, aliique plurimi episcopi Orientales, Nestorio plus æquo addicti, quamvis ab ejus errore alieni. Postea tamen quæ temere egerunt retractarunt, pace cum S. Cyrillo inita, et Ephesinis decretis agnitis.

Concilium IV. Œcumenicum, Chalcedone est habitum anno 451, S. Leonis Papæ et Marciani imperatoris opera, ut *Eutychetis* error de unica in Christo natura radicitus evelleretur. Dioscorus Alexandrinus patriarcha, qui conciliabulo cuidam Ephesino contra fas omne præfuerat, sede dejectus est, reprobatis *Latrocinii* illius actis. Leonis pontificis summis plausibus excepta est dogmatica ad Flavianum epistola, qua duas in Christo naturas " inconfuse, incommunicabiliter, indivise, inseparabiliter, in unum personam atque subsistentiam concurrere" definitum est. Theodoretus Cyrensis, et Ibas Edessenus inter Patres sederunt, postquam " anathema Nestorio" protulerant. Concilii hujus decreta de fide confirmavit S. Leo, rescisso canone, quo episcopo Constantinopolitano honor post Romanum pontificem secundus, contra Antiocheni et Alexandrini patriarcharum jura in Nicæno concilio agnita, tributus est.

Concilium V. Œcumenicum, Constantinopoli anno 553 habitum est, 165 episcopis Orientalibus Justiniani senioris imperatoris jussu convenientibus, ad sedandas turbas de *tribus capitulis* ortas. Damnata sunt hæc opera una cum Origenianis erroribus, quin tamen Theodoreto, vel Ibæ, quos Chalcedonenses patres exceperant inureretur nota. Restitit, diu Vigilius pontifex concilii celebrationi, eique rogatus noluit adesse; ejus tamen decreta, utpote veritati et *Judicato* suo consona, postea sua auctoritate munivit: unde œcumenici concilii auctoritatem obtinuerunt, frustra reluctantibus Occidentalibus episcopis quamplurimis.

Concilium VI. Œcumenicum, Constantinopoli anno 681 celebratum est, 289 convenientibus episcopis, S. Agathonis Papæ auctoritate, et Constantini Pogonati opera. Damnarunt patres Monothelitarum, qui unicam in Christo statuebant voluntatem, hæresim.

Concilium VII. Œcumenicum, anno 787, Nicææ in Bithyniæ congregatum est, 350 episcopis, Hadriani I. Papæ consensu, et Constantini et Irenes ejus matris opera, convenientibus. In eo damnatus est Iconomachorum error, vindicata sacrarum imaginum, juxta receptum Ecclesiæ morem, veneratione.

Concilium VIII. Œcumenicum, anno 869, Constantinopoli coactum est, sub Hadriano II. Papa, et Basilio imperatore. Ejus auctoritate S. Ignatius patriarcha in sedem Constantinopolitanam restitutus est, Photio invasore depulso. Hæc in Oriente, cætera quæ sequuntur in Occidente habita sunt concilia.

Concilium IX. Œcumenicum Lateranense dictum est, eo quod in Ecclesia S. Joannis a Laterano, Romæ, habitum sit. Coactum est *Calixto* II. anno 1123, conveneruntque episcopi 300. Investituram p

baculum et annulum Henricus IV. imperator in eo concilio dimisit, quum hi spiritualis potestatis sint indicia; retinuit tamen potestatem fructus beneficiorum conferendi, per sceptri contactum. De bello sacro pro Palæstina recuperanda etiam actum est; concilia enim nonnumquam comitiorum Reipublicæ Christianæ universæ, in communibus omnium negotiis, speciem gerebant.

Concilium X. Œcumenicum, Lateranense II., anno 1139, ab Innocentio II. convocatum est. In eo hæreses Petri de Bruis, et Arnaldi de Brixia damnatæ sunt; et Antipapæ Petri Leonis, qui Anacletum II. se designabat, rescissa sunt acta.

Concilium XI. Œcumenicum, Lateranense III., cui adfuere 300 episcopi, ab Alexandro III. coactum est anno 1179. Antipapæ Octaviani, qui et Victor IV. appellabatur, acta irrita declarata sunt; et hæreses Waldensium, qui *Pauperes de Lugduno* vocabantur, et Albigensium aliorumque Manichæorum sunt damnatæ. Ad schisma in posterum vitandum, statutum est duas ex tribus Cardinalium partes requiri ad electionem Pontificis.

Concilium XII. Œcumenicum, Lateranense IV. ab Innocentio III., anno 1215, convocatum est, eique adfuerunt episcopi 412, inter quos extiterunt de præcipuis patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus et Ierosolymitanus: Antiochenus verò et Alexandrinus miserunt Procuratores. Liber Abbatis Joachim in eo damnatus est, sicut et impia placita Almerici de Bena. Pro recuperanda Palæstina, et Albigensium sorde delenda plura statuta sunt, quorum nonnulla comitiorum civilium decreta sapiunt: quæ proinde ex consensu supremorum principum, qui per Legatos adfuerunt, lata censentur.

Concilium XIII. Œcumenicum, Lugdunense I., habitum est anno 1245, ab Innocentio IV., ut Friderici II. imperatoris causa discuteretur, et consilia pro Palæstinæ recuperanda adhiberentur. Adfueruntplures cardinales, tres patriarchæ, 140 episcopi, et Balduinus Constantinopolitanus imperator, cum oratoribus plerorumque principum. Tyrannis sceleraque omnia Friderici coram patribus exposita sunt; ipseque, præsente sacro concilio, Summi Pontificis selemni decreto solio dejectus est, juxta illius temporis recepta principia et jus publicum.

Concilium XIV. Œcumenicum, Lugdunense II., anno 1274, a Gregorio X. congregatum est. Adfuerunt mille patres, inter quos cardinales 15, patriarchæ duo, Constantinopolitanus scilicet et Antiochenus, archiepiscopi 70, episcopi 500. In eo Græci Latinis consenserunt, definientibus Spiritum Sanctum ex Patre Filioque, tamquam ex uno principio, procedere.

Concilium XV. Œcumenicum, Viennæ in Galliis, anno 1311, a Clemente V. convocatum est. Adfuerunt cum pontifice præside duo patriarchæ, Alexandrinus et Antiochenus, et episcopi 300. Templariorum ordo, qui annis 184 floruerat, ob crimina, quorum accusabantur,

extinctus est. Fratricelli, Beguardi, Beguinæ, et Dulcinistæ damnati sunt. Expeditio etiam nova pro terra sancta recuperanda decreta est. Ecclesiastica disciplina sanctissimis statutis est munita in eodem cœtu.

Concilium XVI. Œcumenicum, Constantiense, coactum fuit, anno 1414, ad extinguendum schisma inter Balthassarem Cossam qui Joannes XXIII. appellabatur, Petrum de Luna, qui et Benedictus XIII. vocabatur, et Angelum Corarium, qui Gregorius XII. nuncupabatur. Balthassar Cossa, pontificatu, quem sibi tamquam Successor Alexandri V., in consessu Pisano electi, vindicabat, patrum sententia dejectus est, enumeratis quamplurimis ejus criminibus. Sententiæ ipse acquievit: Gregorius autem suo se jure abdicavit ob Ecclesiæ pacem : Petrus de Luna depositus omnium consensu est, omnique juris specie spoliatus. Sic Sede vacua, dubiis remotis pontificibus, Martinus V. electus est, qui omnia et singula decreta *in materiis fidei* sua auctoritate confirmavit, ea scilicet quæ errores Joannis Huss et Hieronymi de Praga spectabant. Cætera quæ *conciliariter*, seu conciliorum more, facta non sunt, sed cœtuum civilium instar, nationum, potiusquam singulorum episcoporum, exquisitis suffragiis, pontificia caruerunt confirmatione: pontifex scilicet " ipsa sic conciliariter facta approbat et ratificat, et non aliter, nec alio modo;" quapropter declarationes de conciliorum in Pontificem auctoritate, præsertim si extra casum schismatis extendantur, inter fidei definitiones recensendæ non sunt.

Concilium XVII. Œcumenicum, Florentinum, habitum est ab Eugenio IV., absolutumque anno 1439. Basileæ coegerat concilium Martinus V., quo interim defuncto successor ejus Eugenius IV. illud haberi voluit præside legato ejus Juliano Cardinali. Præsulibus plura aggredientibus pontificiis privilegiis et consuetudinibus adversa, solvit concilium pontifex, legato revocato. Perstiterunt episcopi, præside Ludovico Alemanno, Cardinali et Arelatensi episcopo, minasque depositionis Eugenio intentarunt; qui tempestati aliquatenus cedendum ratus, concilium legitime continuatum fuisse agnoscere consensit, dummodo quæ adversa suo juri patrata erant revocarentur. Postea tamen Sessione XVIII. iterarunt præsules decretum de concilii præ pontifice præstantia ; quapropter solvit iterum concilium Eugenius, illudque Ferrariam transtulit, anno 1437 ; inde autem anno sequenti Florentiam, peste Ferrariam vastante. Caput secuta sunt pleraque concilii membra, paucis manentibus Basileæ, qui, omni jure conculcato, dejicere solio legitimum certumque pontificem aggressi sunt, antipapa Amadeo, Duce Sabaudiæ, nomine Felicis V. electo, qui paulo post inani pontificis titulo se abdicavit. Florentino concilio præfuit Eugenius IV., decessores suos imitatus, qui cæteris omnibus in Occidente habitis conciliis Œcumenicis præfuerant ; legatis suis in Orientalibus conciliis vices suas plerumque obeuntibus. Ex Occidentalibus præsulibus adfuere 8 cardinales, 51 episcopi, ex Orientalibus Josephus patriarcha Constantinopolitanus, Basilius patriarcha Jerosolymitanus, Vicarii patriar-

charum Alexandrini et Antiocheni, multique archiepiscopi et episcopi. Adfuit etiam ipse imperator Græcorum, Joannes Palæologus. In hoc concilio Græci concordiam cum Latinis inierunt, pontificiæ definitioni de rebus antea controversis subscribendo: Marcus tamen Ephesinus episcopus pertinax mansit, et in patriam reversus concordiæ vinculum abrumpendum curavit.

XVIII. Concilium Lateranense V. Œcumenicum ab Italis aliisque propugnatur, Gallis præsertim dissentientibus. Convocavit illud anno 1512 Julius II., ut cardinalibus quibusdam in conciliabulo Pisano schisma molientibus iret obviam. Illud continuavit Leo X., Julio morte abrepto. Adfuerunt cardinales 18, patriarchæ Orientales duo, Antiochenus scilicet et Alexandrinus, aliique episcopi numero tamen haud insigni; præsules enim omnes 114 numerabantur, Gallis plerisque a rege qui conciliabulum Pisanum fovebat, ne iter Romam aggrederentur impeditis. Reprobatum est in concilio Lateranensi conciliabulum Pisanum: Pontificis in concilia omnia præstantia verbis amplissimis declarata est, quæ tamen definitionis formam et vim non habent: *Pragmatica sanctio* de beneficiorum collatione, Basileensibus præsulibus probata, abrogata est, concordato inter Leonem X. et Franciscum I. Regem Galliarum ei substituto.

XIX. Concilium ultimum Œcumenicum, Tridenti habitum est ab anno 1545 usque ad annum 1563, variis interpositis sessionum intervallis, ob bella civilia quibus Germania flagrabat, et principum simultates. 25 sessionibus absolutum est: subscripserunt ejus decretis, quibus et fides et disciplina validissime est munita, 26 cardinales, 3 patriarchæ, 25 archiepiscopi, 168 episcopi. Fidei decretum nullum latum est nisi summo omnium consensu: disciplinæ leges ex longe majoris numeri patrum suffragiis latæ sunt. Vide genuinam ejus historiam a Cardinali Pallavicini scriptam, ut fraudes et mendacia exponeret Patris Pauli Sarpi, Venetæ Reipublicæ Theologi, qui Calvinianus corde magna cum arte texuit historiam concilii, quam nomine *Petri Suavis* evulgavit.

Concilia quædam reprobata a Pontificibus.

Mediolanense concilium anno 355, habitum a 300 episcopis, in quo damnatus est Athanasius. *Ariminense* 400 episcoporum, anno 359, in quo vox *consubstantialis* e symbolo deleta est fraude Ursacii et Valentis: dogma tamen ea voce enuntiatum rejectum non est. *Seleuciæ* sub idem tempus convenerunt episcopi Semiariani 200, qui conciliabulum celebrarunt. Reprobavit Liberius Pontifex Mediolanense concilium, eaque de causa in exilium in Thraciam delatus est. Ariminensia acta postea damnavit.

Ephesinum latrocinium seu prædatoria Synodus, anno 449 habitum est, Theodosio Juniore imperante. In eo Dioscorus Alexandrinus præfuit, denegato S. Leonis M. legatis loco primæ Sedi debito, qui etiam in fugam

acti sunt. Eutychetis error confirmatus est, rescissis concilii Constantinopolitani 30 episcoporum actis, qui cum S. Flaviano, episcopo Constantinopolitano, Eutychetem damnaverant. Ipse Flavianus in conciliabulo adeo male tractatus est a tumultuantibus hæreticis, ut mors ejus indesit secuta.

Trullanum concilium, a forma cubiculi in palatio in quo habitum est, nomen sortitum, Constantinopoli anno 688, aut 692, ab episcopis Orientalibus habitum est. Quinisextum etiam vocatur eo quod præsules sibi proposuerint quinti et sexti synodorum defectum supplere, canones de disciplina edendo. Iis qui sacros susceperant ordines matrimonii quod prius contraxerant usum, quibusdam appositis conditionibus, permiserunt; episcopis tamen continentiæ omnimodæ lege adstrictis. Alia etiam eorum decreta reprobanda visa sunt Sergio I Papæ.

Constantinopolitanum alterum conciliabulum, anno 730, imperatoris Leonis Isaurici jussu habitum est, in quo cultus imaginum rejectus est, dissentiente tamen S. Germano patriarcha Constantinopolitano, qui idcirco sede est pulsus. Constantinopolitanum alterum conciliabulum anno 754, imperante Constantino Copronimo congregatum est, præside Pseudo-patriarcha Constantinopolitano. In eo etiam sacræ imagines cultu haud dignæ censebantur. Reprobatum est a Stephano III.

Basileense conciliabulum anno 1431 habitum est. Ejus in Pontificem gesta, actaque omnia a Sessione 25 usque ad 45 universus orbis Catholicus, cum Eugenio IV. reprobat. De prioribus sessionibus Galli multi contendunt eis vim decretorum œcumenici concilii inesse, præsertim quum ipse pontifex agnoverit illud esse legitime continuatum. Non ita cæteris plerisque placet, quum pontifex numquam decreta illa probaverit; sed potius constanter jusserit ut quæ ejus auctoritati adversa forent, retractarentur. Nobis ita videtur.

Francofordiense concilium, anno 794, celebratum, præsentibus legatis Hadriani I. Papæ, reprobatum est, quatenus rejecit concilii Nicæni II. decreta de imaginibus: ex versione haud accurata, persuasum habens Orientales idololatrico vel superstitioso cultu prosequi imagines. Synodi Nicæni auctoritatem explicuit Hadrianus, quin tamen eam solemni more confirmaret, ne forsan schismatis foret occasio Occidentalibus plerisque, quibus mores Orientalium in venerandis imaginibus haud admodum placuerunt. In retinendis cum honore imaginibus consenserunt omnes; ideoque error de sensu Nicænorum decretorum, quæ tamquam synodi nationalis Orientis habebantur, tolerandus opportuna œconomia visus est. Ea de causa forsan siluerunt, vel frustra reluctati sunt pontificii legati, præconcepta invalescente opinione de Orientalium moribus. Francofordiensis concilii decreta contra Felicem et Elipandum, qui negabant Christum esse Filium Dei naturalem, Ecclesiæ probata sunt. Nationale fuit illu concilium, ex Germaniæ, Galliæ, et Italiæ episcopis coactum, nemine e Oriente evocato.

Concilium Pisanum anno 1409 habitum est, præside Cardinali Pictaviensi, ut jura contendentium de papatu determinarentur, Angelus Corarius enim, Gregorius XII. dictus, et Petrus de Luna, assumpto Benedicti XIII., nomine, pontificatum sibi vindicabant. Aggressi sunt præsules utrumque jure prætenso spoliare, et certum pontificem eligere Philaretum, qui Alexander V. vocatus est; sed inde auctum est schismatis malum; ipso enim electo, perrexerunt alii duo auctoritatem pontificiam adhuc exercere, adeo ut tres de papatu contenderent. Alexander post annum obiit; eique Balthassar Cossa suffectus est, Joannes XXIII. deinceps vocatus, qui ad schisma finiendum Constantiæ habuit concilium, Sigismundo imperatore operam suam præstante.

APPENDIX III.

ROMANORUM PONTIFICUM

SERIES.

Sæculo I.

1. "Petrus annis viginti quinque, mense uno diebus novem. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Julii;"[1] anno 66, vel juxta alios 67 a Christo nato.

2. "Linus annis duodecim, (juxta Pagium undecim) mensibus quatuor, diebus decem." Censetur fere totum tempus administrasse Ecclesiam vicaria a Petro potestate, nec plusquam annum ei supervixisse. "Martyrio coronatur." "Sepultus est in Vaticano VIII., Kal. Octobris."[2] Anno 67.

3. "Cletus annis sex, mensibus duobus, diebus septem. Martyrio coronatur."

4. "Clemens annis novem, mensibus undecim, diebus duodecim sedit. Martyrio coronatur. Hic fecit septem regiones, et dividit notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum solicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquireret, et fecit duas epistolas: quarum prima est celeberrima, ad Corinthios scripta nomine Ecclesiæ Romanæ, ut eos ad debitam obedientiam sacris ministris, et ad animorum concordiam revocaret. Obiit martyr. Cessavit episcopatus dies xxi.

5. "Anacletus annis duodecim, mensibus decem, diebus tribus." Anno 95 martyr obiisse dicitur. "Cessavit episcopatus dies quindecim.

(1) Liberii Chronicon.
(2) Chronicon Felicis iv.

6. "Evaristus annis tredecim, mensibus septem, diebus duobus." "Martyrio coronatur;" anno 108. "Cessavit episcopatus dies novemdecim."

Sæculo II.

7. "Alexander annis octo, mensibus duobus, die uno." "Martyrio coronatur." Obiit anno 116. "Cessavit episcopatus dies 37."

8. "Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno." "Martyrio coronatur. Hic constituit, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a ministris." Obiit anno 126.

9. "Telesphorus annis undecim, mensibus tribus, diebus tribus." "Martyrio coronatur. Hic fecit, ut natali Domini nostri Jesu Christi noctu Missæ celebrarentur, et in ingressu sacrificii hymnus diceretur angelicus: Gloria in excelsis Deo, etc. tantum noctu Natalis Domini. Sepultus est IV. nonas Januar. et cessavit episcopatus dies sex." Anno 137 obiit.

10. "Hyginus natione græcus, ex philosopho de Athenis, sedit annos quatuor,[1] dies tres, menses sex." "Sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano III. Kal. Januarii, et cessavit episcopatus dies tres." Obiit anno 141.

11. "Pius, natione italus, ex patre Rufino, frater Pastoris de civitate Aquileia, sedit annos octodecim, menses quatuor, dies tres. Sepultus est V. idus Julii, cessavit episcopatus dies 14."[2] Annos tantum decem eum sedisse Gravesonius ostendit ex consulatus notis. Obiit anno 151.

12. Anicetus, natione syrus, sedit annos undecim, menses quatuor, dies tres. Sepultus est XII. Kal. Maji, et cessavit episcopatus dies sex." Decem annos ei tribuit Gravesonius.

13. "Soter annis novem mensibus tribus." Anno 170 obiisse creditur.

14. "Eleutherius, natione græcus, de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos." "Hic accepit epistolam a Lucio, Britanniæ rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum." "Sepultus est juxta corpus B. Petri VII. Kal. Junii: cessavit episcopatus dies septemdecim." Mors ejus anno 185 adsignatur.

15. "Victor, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Hic constituit, ut Pascha die dominica celebraretur, sicut Pius: martyrio coronatur." Duodecim annos alii ei adsignant, eum obiisse dicentes anno 197.

(1) Juxta Liberii chronicum XII., sed auctius chronicon Felicis habet, IV. cui concordat Codex Palatino-Vaticanus, et Eusebius.

(2) Juxta Liberii catalogum XII.

(3) Variant catalogi, quorum plures Pio Anicetum præponunt. Irenæi sequimur auctoritatem, qui Pium priorem facit. De numero annorum etiam reperitur varietas. Chronici Felicis IV. supputationem adoptavimus.

16. "ZEPHYRINUS, natione romanus, sedit annos septem, menses sex, dies decem."[1] Novemdecim annos ei tribuit Gravesonius, qui Pagium sequitur, eumque obiisse dicit 10 Julii die, anno 217.

SÆCULO III.

17. "CALLISTUS, natione romanus, sedit annos quinque, menses duos, dies undecim. Hic martyrio coronatur. Sepultus est pridie idus Octobris;" anno 222.

18. "URBANUS sedit annos tres, menses decem, dies duodecim. Confessor temporibus Diocletiani. Hic sua traditione multos convertit ad baptisma, etiam Valerianum sponsum S. Cæciliæ, et multi martyrio coronati sunt per ejus doctrinam. Sepultus est XIV. Kal. Junii, et cessavit episcopatus dies 30." Annus obitus 230, juxta quandam supputationem habetur, eum scilicet septem annos sedisse censent.

19. "PONTIANUS annos quinque, menses duos, dies septem." Ipse "et Hippolitus presbyter exules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam," in qua obiit. IV. Kal. Octobris, anno 235.

20. "ANTEROS mense uno, diebus decem. Dormit III. Nonas Januarii. Martyrio coronatur," anno 236.

21. "FABIANUS sedit annos quatuordecim, mensem unum, dies decem." Post passionem ejus supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Novatianum et quosdam Confessores. Mortem pro Christo sustinuit 20 Januarii anno 250. Vacasse sedem annum unum dicit Gravesonius.

22. "CORNELIUS annos duos, menses tres, dies decem" sedit. "Sub episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma. Post hoc Centumcellis expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit." Obiisse creditur 4 die Septembris anno 252. Gravesonius unum annum pontificatui ejus detrahit.

23. "LUCIUS annos tres, menses octo, dies decem" sedisse, in catalogo Liberii dicitur. "Hic exul fuit, et postea metu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est. Decessit 3 Nonas Martii." Pearsonius et Pagius nonnisi quinque menses eum sedisse censent ideoque, obiisse anno 253.

24. "STEPHANUS annos quatuor, menses duos, dies viginti unum." "Martyrio coronatur. Sepultus in cœmeterio Callisti, via Appia, tertio nonas Augusti; cessavit episcopatus dies 22." Anno 257 obiisse cre-

(1) Quum plures reperiantur varietates in annorum numero quos quidam regnarunt pontifices, haud facili negotio temporum ratio definitur: cæterum ipsa successio manet inconcussa, quum vetustissimi sint testes, et monumenta indubia. Varietates ex litterarum quibus numeri designantur similitudine vel deletione, et aliis pluribus ex capitibus ortæ sunt. Vide opus cui titulus: "Origines de l' Eglise Romaine par les Membres de la Communaute de Solesmes t. i. Paris MDCCCXXXVI.

ditur. Eo sedente gravissima de baptismo ab hæreticis administrato controversia orta est, Cypriano enim et Afris aliis baptismum iterato ministrantibus Stephanus restitit; antiquæ traditionis fidelis custos.

25. "Xistus, natione græcus, annis duobus, mensibus undecim, diebus sex." "Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani et Decii. Post passionem B. Xisti, post tres dies passi sunt Laurentius ejus archidiaconus," aliique. Juxta Gravesonium, menses undecim et dies sex tantum sedit.

26. Dionysius ex die XI. Kal. Augusti, anno 259, per annos decem, menses quinque, et dies quatuor, sedit. Hic presbyteris ecclesias dedit, et cœmeteria et parochias diœcesis constituit."

27. "Felix annis V., mensibus XI., diebus XXV. Martyrio coronatur. Hic constituit super sepulchra martyrum Missas celebrari. Sepultus est in cœmeterio suo via Aurelia, milliario secundo, III. Kal. Junii." Annum unum detrahit Gravesonius, et Felicem obiisse dicit anno 274.

28. "Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus." "Hic constituit fruges super altare benedici. Hic per loca 362 martyres sepelivit." Fuit temporibus Aureliani III. et Marcellini usque in diem IV. Idus Decembris, Caro II. et Carino Consulibus." Anno 283 obiisse dicitur.

29. "Cajus annis XII., mensibus IV., diebus VII." Fuit natione Dalmata, et ex genere Diocletiani imperatoris ex patre Gaio. Hic fugit persecutionem Diocletiani in cryptis habitans, confessor quievit." Sepultus est in cœmeterio Callisti via Appia, X. Kalendas Maji.

30. Marcellinus annis octo, mensibus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani et Maximiani, ex die pridie Kalend. Julias, a Consulibus Diocletiano VI. et Constantio II. usque in consulatum Diocletiani IX. et Maximiani VIII. Quo tempore fuit persecutio, et cessavit episcopatus annos VII."[1] Dicitur thurificasse "et post paucos dies pœnitentia ductus ab eodem Diocletiano propter fidem Christi cum Claudio, et Quirino, et Antonino capite sunt truncati, et martyrio coronatur." Sed thurificationis crimen jam ab Augustino explosum est.

Sæculo IV.

31. "Marcellus anno I, mensibus VI., diebus XX." Vetustissimus, tamen codex Lucensis chronici Damasi, ante mille annos exaratus, quinque annos ei adsignat. Juxta quorumdam supputationem creatus est pontifex 27 Junii 308, obiit 16 Januarii 310.

32. Eusebius menses IV. dies XVI. a XIV. Kalendas Maii usque in diem XVI. Kalendas Septembris.

33. "Miltiades, seu Melciades, natione Afer, annis tribus, mensibus

(1) Alii codices III. habent, quæ lectio viris chronologiæ peritis probatur.

sex, diebus octo, usque in III. Idus Januarii." Ab eo Donatistæ damnati sunt in concilio Romano anno 313.

34. "SYLVESTER annis viginti uno mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini." "Hujus temporibus factum concilium cum ejus consensu in Nicæa Bithyniæ." Sepultus est pridie Kalendas Januarii, anno 336.

35. "MARCUS menses VIII. dies XX. ex die XV. Kalend. Februar. usque in diem Nonarum Octobrium."

36. "JULIUS annos quindecim, mensem unum, dies undecim." Sepultus est pridie idus Aprilis anno 352. Catholicæ fidei et S. Athanasii contra Arianos egregius fuit vindex. Duæ ejus supersunt epistolæ, una ad Eusebianos, alia ad ecclesiam Alexandrinam.

37. LIBERIUS a 21 Junii 352 ad 23 Septembris 366 pontificatum tenuit. Ei in exilium a Constantio, Ariano, acto, suffectus est Felix, qui, licet ab Arianis designatus, fidem tamen Catholicam propugnasse refertur. Hunc inter pontifices plures recensent; sed non videmus quomodo possit legitimus haberi pontifex, intrusus enim est ab Arianis cum Liberii injuria. Plerique censent hunc sibi libertatem et reditum ad sedem comparasse ambiguæ subscribendo formulæ, et communionem Arianis episcopis indulgendo: quam culpam pœnitentia deinceps dicunt diluisse. Nobis, post Theodoretum, placet sentire Constantium precibus Romanarum matronarum reditum indulsisse Liberio, nulla labe admissa. Concilii Ariminensis acta auctoritate B. Petri irrita pronuntiavit.

38. DAMASUS a I. die Octobris 366 per annos octodecim, menses duos, dies decem sedit. Schisma conflare studuit Ursicinus diaconus, qui Gratiani imperatoris auctoritate in exilium est missus. Quatuor synodos Romæ habuit Damasus, et concilii Constantinopolitani gesta contra Macedonium probavit. Eo favente S. Hieronymus veteres Scripturas Latine reddidit, et versionem novi Testamenti emendavit. Concilium Aquilejense anno 381, eo adhuc in vivis habitum est. Obiit sanctus pontifex 10 Decembris 384.

39. SIRICIUS per annos tredecim, menses undecim, dies quinque sedit. Quatuor reliquit epistolas magni pretii, quibus vetus disciplina vindicatur et fides.

40. ANASTASIUS a 5 die Decembris 398 ad 14 Decembris anno 401 sedit. Origenistas tumultuantes repressit.

SÆCULO V.

41. INNOCENTIUS I. natione Albanensis, annos quindecim, menses duos, dies viginti sedit, defunctus 12 Martii 417. Concilia Carthaginense et Milevitanum contra Pelagianos Apostolica munivit auctoritate, et Pelagium Cælestiumque damnavit. Eum appellavit S. Joannes Chrysostomus, ab episcopis in synodo dicta *ad Quercum* injuste damnatus.

42. ZOSIMUS, natione Græcus, a die 17 Martii ejusdem anni ad diem 26

Decembris 418 cathedram tenuit. Artibus Pelagii et Cælestii, et dolosa fidei professione deceptus, hæsit aliquamdiu; sed brevi epistolam suam *Tractoriam* ad universos episcopos direxit, qua eos damnavit.

43. Bonifacius annos tres, menses octo, dies sex sedit, a 29 Decembris anno 418 ad 4 Septembris anno 422. Schisma conflavit Eulalius, archidiaconus, quod brevi extinctum est.

44. Cælestinus die 10 ejusdem mensis consecratus est, seditque annos novem, menses decem, dies novem, et obiit die 18 Julii anno 432. Nestorii hæresim damnavit, jubens ut et ipse anathemati subjaceret, nisi eam intra decem dies retractaret: quod, a concilio Ephesino executioni demandatum est. Hiberni, Patritii opera, eo pontifice ad fidem conversi sunt.

45. Sixtus III a 24 Julii die 432 ad 11 Augusti 440, rexit Ecclesiam.

46. Leo Magnus a 22 Septembris die anno 440 usque ad 4 Novembris anno 461, per annos viginti unum, mensem unum, dies tredecim sedit, plurimis nominibus gloriosus. Ejus litteras, quibus Eutychetis error damnatus est, excepit magno cum plausu concilium Chalcedonense, in quo insonuit illa omnium vox: "Petrus per Leonem locutus est." Plurima sui zeli et ingenii monumenta reliquit, homilias præsertim quas habuit ad plebem, et epistolas de disciplina ecclesiastica.

47. Hilarus, natione Sardus, sedit annos sex, menses tres, dies decem, et obiit die 21 Februarii anno 468, acer canonum vindex.

48. Simplicius, sedit a die 25 Februarii 468, per annos quindecim et dies sex, obiitque die 1 mensis Martii anno 483. Eo pontifice extinctum fuit imperium Occidentis, Augustulo ultimo imperatore ab Odeacro Herulorum rege devicto, qui regnum Italiæ, capta Roma, instituit. Zenonis imperatoris Orientis decretum de fide, *Henoticon* dictum, rejecit, et Timothæum Ælurum, et Petrum Mongum, Alexandrinam Ecclesiam errore Eutychiano inficere studentes, et Petrum Fullonem, Antiochenam sedem invadentem, Ecclesiæ communione privavit.

49. Felix III. a 6 die Martii anno 483 sedit annos octo, menses undecim, dies octodecim, ad 24 Februarii diem anno 492. Damnavit *Henoticon*. Legatos suos Vitalem et Misenum Constantinopolim missos, qui Zenoni morem gesserunt, sacerdotio et commmunione privavit. Petrum Mongum, Alexandrinum episcopum, et Acacium Constantinopolitanum anathemate percussit, et ad Zenonem scripsit, ut Petrus Fullo Antiochena pelleretur Ecclesia.

50. Gelasius I., ex Africa oriundus, a 1 die Martii anno 492, ad 19 Novembris anno 496 sedit. Constantinopolitanum episcopum Euphemium, et alios Orientis episcopis, sua communione dignari noluit, nisi Acacii nomine e sacris diptychis deleto. Misenum episcopum anathemate absolvit in synodo Romana anno 495. Gentilitiam Lupercalium superstitionem sustulit. Imperatorem Anastasium gravissima epistola monuit

ut nomen Acacii damnaret, pontificiæ potestati debita præstita reverentia. Sanctissima edidit decreta ad disciplinam muniendam, et plurima gloriose patravit.

51. Anastasius II. a 24 Novembris 496, ad 17 Novembris 498 sedit. Reconciliationem Ecclesiæ Orientalis cum Romana tentavit, ea tamen conditione ut nomen Acacii taceretur. Eo sedente Clodoveus Francorum rex baptismum suscepit.

52. Symmachus, sedit a 22 Novembris die 498 ad 19 Julii 514. Festi, Romani senatoris, Anastasio imperatori faventis, opera schisma conflatum est, quod tres annos duravit, Laurentio antipapa creato. Theodoricus rex sese dirimendæ liti ingessit, misso visitatore, et synodo coacta ex Symmachi consensu, qui criminibus sibi impactis immunis agnitus est, et legitimus pontifex habitus. Anastasium imperatorem Acacii memoriæ faventem anathemate percussit. Sanctissime rexit Ecclesiam.

Sæculo VI.

53. Hormisdas a 27 Julii die 514 ad 6 Augusti 523, Ecclesiam gubernavit, et Orientales ad pacem et unitatem revocavit. Eo sedente Africani episcopi ab exilio, quod viginti septem annos duraverat, revocati sunt. Scythas monachos repressit, nullo tamen decreto de propositione quam propugnabant edito.

54. Joannes I. 13 Augusti die anno 523 regimen suscepit, sancteque tenuit ad 18 diem Maji anno 526. In orientem iter aggressus cœco visum dedit, aliaque patravit miracula, et ab imperatore Justino summo honore exceptus est. A Theodorico Arianorum rege in carcerem conjectus obiit ærumnis confectus.

55. Felix IV. (verius III.) 12 Julii die 526 consecratus vita cessit 13 die Septembris 1529. Omnibus effulsit virtutibus.[1]

56. Bonifacius II., a 21 Septembris die anno 539 ad 16 vel 17 Decembris 531 rexit Ecclesiam. Schisma factum est a Dioscoro antipapa, qui tamen intra paucos dies defunctus Bonifacium absque æmulo reliquit. In synodo Romana, anno 531, Vigilium diaconum successorem sibi statuit; sed deinceps, altera synoda congregata, rescidit decretum, quod sacris canonibus adversabatur. Synodum Arausicanam II., in qua errores Semipelagianorum damnati sunt, apostolica confirmavit auctoritate.

57. Joannes II., cognomento Mercurius, die 20 aut 22 Januarii 532 electus ad diem 26 Maji 535 sedit. Acœmetas monachos, negantes Unum de Trinitate passum esse carne, damnavit in Synodo Romana: aliaque sancte et præclare gessit.

58. S. Agapetus, die 13 Junii 535 pontificatum suscepit. Iter Con-

(1) Omnes quos hucusque recensuimus pontifices sancti habentur, plerique martyrii gloria illustres. 33 priores ab Ethnicis passi sunt. Qui inter sequentes sanctorum honores ab Ecclesia recipiunt distinguemus nota apposita.

stantinopolim instituit, Theodoto rege Gothorum rogante, ut imperatorem Justinianum induceret ad revocandum exercitum, qui, duce Belisario, Siciliam ceperat, in Italiam brevi invasurus. Anthimum, Eutychianum, sede Constantinopolitana dejecit, et in ejus locum Mennam ordinavit, "consecrans eum manu sua in basilica Sanctæ Mariæ."[1] Constantinopoli obiit 22 Aprilis 536.

59. S. Sylverius in Agapeti locum suffectus est die 8 Junii 536. Vigilius, Agapeti diaconus, qui Constantinopoli versabatur, favente imperatrice Theodora, ambiit sedem Apostolicam, et in eam Belisarii opera intrusus est. Sylverius in exilium actus est Pataram civitatem Lyciæ, et iterum in Palmariam insulam, ubi inedia confectus est, die 20 Junii anno 538.

60. Vigilius, cleri Romani consensu legitimus factus est pontifex post Sylverii obitum, et statim rescidit quæ minus recte scripserat, vel egerat, ut Theodoræ, Eutychianæ hæreseos patronæ, gratificaretur. Constantinopoli postea versans dum de tribus capitulis ageretur, eorum damnationi obstitit ab initio, sed deinde ea ipse judicato suo damnavit, quod tamen deinceps supprimi voluit: verens ne Occidentales offensionem inde paterentur. Concilio Constantinopolitano rogatus noluit adesse, cujus tamen gesta tandem probavit. In hoc negotio merito hærebat anceps, ne concilii Chalcedonensis auctoritati vulnus videretur illatum. Rediens Romam, obiit in Sicilia septimo Idus Junias anno 554.

61. Pelagius I., Vigilio suffectus, cathedram tenuit usque ad mortem, quæ contigit 1 vel 2 Martii die anno 560, (juxta alios 559). Magnum posuit studium ut Quintum concilium a Gallis exciperetur.

62. Joannes III., per tredecim annos tenuit sedem, defunctus 13 Julii 573 (juxta alios 572).

63. S. Benedictus I. successit, et usque ad 30 Julii anno 578 (juxta aliam supputationem 577) sedem tenuit.

64. Pelagius II. gubernavit Ecclesiam usque ad obitum, die 8 Februarii anno 590. Gregorium, diaconum, Apocrisiarium suum constituit, et Constantinopolim misit, qui Eutychium patriarcham ad rectam de carnis resurrectione sententiam traduxit. Synodum a Joanne Constantinopolitano habitam, in qua titulum Œcumenici sibi vindicavit, in irritum misit.

65. S. Gregorius Magnus, post sex mensium et viginti quinque dierum intervallum, ad pontificatum invitus evectus est, quem magna cum laude tenuit per tredecim annos, menses sex, et decem dies, usque ad 12 Martii 604. Curam posuit in reducendis trium capitulorum defensoribus ad Ecclesiæ unitatem; consilium, quod diu animo foverat, Anglos a dfidem traducendi feliciter executus est, Augustino monacho cum aliis sacris ministris misso, quem et archiepiscopum Cantuariensem constituit, et plena instruxit potestate in episcopos Britonum, eique demandavit curam omnes res ecclesiasticas componendi per totam insulam. Joannis Constantino—

(1) Liberatus in Breviario c. xxi.

politani et Cyriaci qui ei successit, repressit superbiam, nomenque Œcumenici, quod affectarunt, vehementer improbavit. Plurima in Ecclesiæ et reipublicæ etiam civilis utilitatem præclare gessit pontifex æterna memoria dignus.

Sæculo VII.

66. Sabinianus a 13 Septembris anni 604 ad 22 diem Februarii anno 606 sedit, juxta nonnullos; aliis anno 605 eum obiisse tradentibus.

67. S. Bonifacius III., post intervallum undecim mensium et viginti sex dierum creatus est. A Phoca imperatore impetravit edictum, quo Œcumenici episcopi titulus soli episcopo Romano vindicatus est. Obiit 10 Novembris 607.

68. Bonifacius IV. 25 Augusti die anno 608 sedem occupavit. Domum suam in monasterium erexit: *Pantheon* templum expurgavit, et Deo sub Virginis Deiparæ et omnium sanctorum martyrum invocatione consecravit. In epitaphio laudatur quod "sancti Gregorii monita et exempla vita, opere, ac dignis moribus secutus sit." Obiit 7 Maji 615.

69. Deusdedit post quinque menses et duodecim dies electus est, 17 die Octobris 615, obiitque die 8 Novembris 618 (juxta alios 617). Leprosum osculo sanasse refertur.

70. S. Bonifacius V. successit post unius mensis et aliquot dierum intervallum, (aliis annum intercessisse æstimantibus). Plures ejus epistolas describit Venerabilis Beda,[1] ad Justinum Cantuariensem, ad Eduinum regem, et Edelburgam. Justinum pallio donavit, eique de regis Edbaldi conversione gratulatus est. Decessit mansuetudinis laude clarissimus, 22 Octobris 625.

71. Honorius I., 27 die Octobris 625, successit, et magnum posuit studium in Anglorum negotiis promovendis. Honorium et Paulinum, archiepiscopos Cantuariensem et Eboracensem, pallio donavit, facultate eis facta, ut qui ex eis superstes foret successorem in locum defuncti ordinaret. Litteras ejus Beda plures refert.[2] Eum a Sergio Constantinopolitano deceptum, intempestive præcepisse ut silentium servaretur de unius vel duarum in Christo voluntatum, plerique concedunt: sed hæreseos crimen illi impactum omni caret specie. Obiit 12 Octobris 638.

72. Severinus, post annum unum, menses septem, dies quindecim, consecratus, brevi ad superos transiit 1 die Augusti 640. Ecthesi Heraclii imperatoris, quæ Monothelismo favebat, subscribere recusavit, et egregia præbuit virtutum specimina.

73. Joannes IV., Dalmata natione, post paucos menses successit, 24 Decembris anno eodem. Synodo Romæ coacta hæresim Monothelitarum

(1) Hist. Eccl. gentis Angl. l. ii.
(2) Ibidem.

damnavit, una cum Ecthesi. Apologiam pro Honorio contexuit. Ejus, epistolam de Paschatis controversia refert Beda. Plurimis illustris rebus gestis et animi virtutibus decessit 11 Octobris 642.

74. S. Theodorus die 25 Novembris ejusdem anni suffectus est. Pyrrhum, Constantinopolitanum patriarcham, hæresim Monothelitarum ejurantem pace Ecclesiæ donavit, sed, fictione detecta, eum solemni ritu et tremendo damnavit. Paulum etiam alterum patriarcham anathemati subjecit. Stephano Dorensi episcopo vices suas in Hierosolymitana Ecclesia a Monothelitis tuenda commisit. Obiit 13 Maji 649.

75. S. Martinus I. 5 Julii die eodem anno electus, synodum habuit Romæ, ut damnaret Monothelitarum hæresim, Ethesim Heraclii, et *Typum* Constantis. Joanni episcopo Philadelphiæ vices suas in oriente commisit, amplissimis datis facultatibus, ut episcopos in omnibus ecclesiis ordinaret, et lapsos donaret venia. Paulum, Thessalonicensem episcopum, ob hæresim anathemate percussit. Clericos impudicos severe puniendos jussit. Constantis jussu actus in exilium ærumnis confectus occubuit 16 Septembris 655.

76. S. Eugenius I. post Martini abductionem gubernavit Ecclesiam, sed vicaria veluti potestate.[1] Mortuo pontifice ejus locum tenuit ad obitum usque 1 die Junii anno 657.

77. S. Vitalianus a die 30 Julii ejusdem anni ad 17 Januarii 672 sedit. Oswi rex Northumbrorum ad fidem conversus legatos ad eum misit, ipseque regi gratulatus est. Theodorum, monachum Græcum, eruditione insignem, archiepiscopum Cantuariensem ordinavit, et plura alia gessit præclare.

78. Adeodatus, beneficentia erga peregrinos et affabilitate insignis, a 22 Aprilis 672 ad 26 Junii 676 sedit.

79. Donus I. a 1 die Novembris 676 ad 11 Aprilis 678 sedit.

80. S. Agatho a 27 Junii 678 ad 10 Januarii 682 sedit. In synodo Romana Monothelitarum damnavit hæresim; et concilio œcumenico VI. per legatos præfuit. Ejus epistola ad concilium summo plausu excepta est, patribus conclamantibus: "Petrus per Agathonem locutus est." Eo regnante Australes Saxones Sancti Wilfridi, Eboracensis archiepiscopi, prædicatione ad fidem traducti sunt.[2] Hunc injuria depositum sedi restituit.[3]

81. S. Leo II. successit, sancteque gubernavit Ecclesiam usque ad diem 3 Julii 683 (juxta alios 684). Concilium Œcumenicum VI. confirmavit.

82. S. Benedictus II., 20 Augusti, eodem anno, successit, sanctitate et Scripturarum scientia illustris. Obiit 7 Maji 685.

(1) Censet Mansi eum suo nomine egisse, Martino deposito, vi licet et injuria. Vide notas ad Gravesonium hist. Eccl. Sæc. vii.

(2) Beda hist. Eccl. gentis Anglorum l. iv. c. xiii. et xvi.

(3) Willelmus Malmesburiensis l. *iii.* de gestis Pontificum.

83. Joannes V., natione syrus, successit. Obiit 2 Augusti 686, post regnum unius anni, et undecim dierum.

84. Conon a 21 Octobris 686 ad 21 Septembris 687 (juxta alios 13 Octobris) gubernavit Ecclesiam S. Kilianum, monachum Hibernum, episcopali auctum dignitate, ad Franconiorum conversionem misit.

85. S. Sergius I., syrus natione, post dissidia per duos menses, populo in duas scisso factiones, quarum una Theodoro archidiacono, altera Paschali diacono favebat, electus est. Cessit Theodorus sua sponte Sergio, Paschalis invitus. A 15 Decembris 687 die usque ad 7 Septembris 701 sedit. Ceaduallam, Occidentalium Saxonum regem, qui regno nuntium miserat, suis manibus Romæ baptizavit, Petri nomine ei imposito.[1] S. Willebrordo, quem episcopum consecravit, et sociis ejus munus demandavit prædicandi Evangelium apud Germanos, Frisones, Danos.[2] Synodi Trullanæ canones rejecit. Quum Zacharias, imperatoris Protospatharius, eum vellet vi abducere Constantinopolim, a militia Italiæ pontifex est periculo liberatus, qui et Zachariæ incolumitati consuluit.[3] Statuit ut in Missa: "Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis," ter a clero et populo, dum hostia frangeretur, decantaretur. Postea ob calamitates bellorum contigit ut: *dona nobis pacem* tertia vice diceretur.[4]

Sæculo VIII.

86. Joannes VI., natione græcus, 28 Octobris 701 electus sedit usque ad 9 Januarii 705. Tiberius imperator Theophylactum exarcham misit, pontifici molestiam creaturus, sed exercitus restitit, exarcham sublaturus, nisi intercessisset Joannes. Captivos, quos Guisulphus dux Beneventanus in Campaniam incursans fecerat, redemit pontifex humanissimus. Ei patrimonium Alpium Cottiarum dono dedit Arepertus, Longobardorum rex, ut referunt Beda, Ado Viennensis, Anastasius Bibliothecarius, et Paulus Diaconus.

87. Joannes VII., græcus gente, 1 die Martii successit. Ad eum Justinianus Rhinotmetus imperator misit legatos ad componendam controversiam de canonibus concilii Trullani, rogans, ut, habita synodo, quos probandos censeret, quos vero rejiciendos, declararet: sed noluit aliquid decernere, imperatoris animum optime noscens. S. Wilfridum, archiepiscopum Eboracensem sedi suæ restituendum jussit.[5] Obiit 17 Septembris (Octobris juxta alios) anno 707.

88. Sisinnius, syrus natione, a 18 Januarii die 708, dies tantum viginti

(1) Beda l. v. hist. Eccl. gentis Anglorum c. 7.
(2) Ibidem c. xiv.
(3) Anastasius Bibliothec. in vita Sergii i.
(4) Innoc. lii. l. vi. de mysteriis Missæ c. vi.
(5) Beda hist. Eccl. Angl. l. v. c. xx.

regnavit, morte repentina sublatus, dum de restaurandis Urbis mœniis cogitaret. Constanti animo dicitur fuisse, licet podagra corpus conficeretur.

89. CONSTANTINUS, syrus, sancte gubernavit Ecclesiam a 24 Martii 708 ad 8 Aprilis 715 (juxta alios 9 Aprilis 714). A Justiniano imperatore invitatus Constantinopolim se contulit, ut controversiam de canonibus Trullanis componeret, qua occasione ipsi imperatori, (qui summo honore eum exceperat, pedes sacros exosculatus,) eucharistiam suis manibus ministravit. Suibertus apud Saxones felici successu, eo sedente, laboravit. Ab episcopo Constantinopolitano Joanne, qui eum CHRISTIANI SACERDOTII CAPUT designavit, rogatus misit Michaelem Apocrisiarium Constantinopolim, qui episcopos quosdam restitueret Ecclesiæ communioni, quam damnando concilium VI. amiserant. Pauperibus erat pater.

90. S. GREGORIUS II., sanctitate, doctrina, et plurimis præclaris dotibus effulsit, pontifex a die 19 Maji, anni supra dicti, ad 11 Februarii anno 731. Cumanum Castrum, quod Longobardi eripuerant Romanæ Ecclesiæ, ducis populique Neapolitani ope recuperavit. Corbinianum ad Frisingenses fide imbuendos episcopi dignitate auctum misit. Bonifacius, Anglus, post labores apostolicos apud Frisios et Cattos, Saxonibus conterminos, episcopus consecratus est a Gregorio ipso, juramento pro more prius præstito de obedientia sedi Apostolicæ præstanda. Synodo Romæ coacta anno 726 Iconoclastarum damnavit hæresim. Eum a Leonis Isauri, per satellites suos, vi Romani et Longobardi defenderunt. Plures sanctissimas edidit sanctiones.

91. S. GREGORIUS III., syrus, a 18 Martii 731 ad 28 Novembris 741 sedit. Bonifacium pallio donavit, archiepiscopi dignitate collata. Synodum Romæ habuit anno 738, Bonifacio præsente, in qua de Germanorum negotiis præcipue actum est. Carolum, Majorem-Domus regiæ Francorum, bis, missis legatis, rogavit ut Longobardos reges Luitprandum et Hildebrandum, res S. Petri in exarchatu Ravennate et ducatu Romano, diripientes, reprimeret; quem, re peracta, PATRITII dignitate auxit.

92. S. ZACHARIAS, græcus, a 30 Novembris die 741 ad 14 Martii 752 sedit. Luitprandum plus semel flexit, et quatuor civitatum restitutionem ab eo impetravit. Rachi ejus successori, Perusiam obsidenti, pacis consilia commendavit, adeo felici successu, ut abdicato regno monasticam amplexus sit vitam. Galliæ proceres, eo sedente, a Childerico III., postremo ex Merovingiorum stripe, ad Pipinum nomen regium transtulerunt; quum hic jam totam auctoritatem consueverit exercere. Id factum esse Zacharia probante referunt scriptores plerique, quos tamen Natalis Alexander falli contendit. Bonifacii res gestas probavit, tresque ab eo erectos episcopatus in Germania confirmavit. Virgilium presbyterum, trium criminum delatum, synodo habita, si probarentur, severius tractandum decrevit. Eum tamen omni suspicione purgatum inferunt plerique ex designato Virgilio Salizburgensi episcopo, qui post mortem in album sanctorum est relatus.

Hunc ab alio distinguendum P. Le Cointe in annalibus Francorum contendit, quam sententiam amplectitur P. Perrone.

93. Stephanus II. electus est, sed "tertio die subito obmutuit, et sequenti die defunctus est."

94. Stephanus III. a 26 Martii 752 ad 24 Aprilis 757 pontificatum tenuit. In Gallias se contulit rogaturus Pippinum, ut Longobardos qui civitates Romanæ Ecclesiæ usurpaverant reprimeret: qua ex occasione Pippinum regem inunxit. Litteris deinceps imploravit opem, cum Aristulphus rex Longobardorum Romam obsedisset: "Sanctam Dei Ecclesiam et nostrum Romanorum reipublicæ populum commisimus protegendum." Votis respondit Pippinus, et de Longobardis victor viginti civitates Stephano tradidit. Desiderio favit ut Aristulpho defuncto succederet, promissione prius accepta restituendas urbes quas contra pacta Aistulphus detinuerat. Pontifex fuit plurimis nominibus illustris.

95. S. Paulus I. a 29 Maji 757 ad 28 Junii 767 Sedem Apostolicam tenuit. Decessoris sui, cui et frater germanus erat, virtutes imitatus est, Pippini contra Longobardos et Græcos opem pluries expetivit, plurimis a Longobardis, Desiderio duce, illatis injuriis.

96. Stephanus IV. a 7 Augusti anno 768 ad 2 diem Februarii 772 sancte gubernavit Ecclesiam. Post Pauli obitum Constantinus, laicus, armata manu in sedem pontificiam intrusus fuerat, opera Totonis, fratris sui ducis Nepesini, et episcopus consecratus, a Georgio episcopo Prænestino. Per annum et mensem tenuit sedem, quo adhuc sedente, Philippus presbyter, factione quadam favente, nomen pontificis usurpavit; sed uterque pseudo-pontifex ejectus est Stephano electo. Habuit synodum Romæ, anno 769, in qua Constantinus deprecatus est veniam. A Longobardis passus molestias, Carolum et Carolomannum, Francorum reges, obtestatus est ut suppetias illi ferrent, et *justitias S. Petri*, civitates scilicet quarum jus sedi Apostolicæ erat, curarent restituendas. Gravissimis minis intentatis, ne alteruter, uxore repudiata, filiam Desiderii sibi copularet, contra Evangelicam legem, eos monuit; eam enim Berta eorum mater secum duxerat ex Italia eo consilio ut alterutri nuberet.

97. Hadrianus I. die 10 Februarii suffectus est. Desiderius, Longobardorum rex, civitatibus pluribus injuste usurpatis, Urbem ipsam obsidere paravit, sed pontifice excommunicationem minante, Viterbio in Longobardiam recessit, unde factum ut pleræque civitates sponte se Hadriano subjicerent. Concilio Nicæno II. per legatos præfuit: Felicianam damnavit de Christi adoptione hæresim; et alia plurima sancte peregit, die 25 Decembris 795 ad superos tandem translatus.

98. S. Leo III. statim successit, summo omnium consensu. Carolus magnus ei, missa legatione, gratulatus est, et Patritiatus sui firmitatem expetiit, in cujus indicium misit ad eum pontifex claves confessionis S. Petri, scilicet ex sepulchro ejus desumptas, et vexillum urbis Romæ. A nefariis hominibus sanctus pontifex vulneratus est, lingua excisa, et oculis erutis,

miraculo tamen loquelam visumque recuperavit.[1] Die natali Christi anno 800 (juxta alios 801) coronavit Carolum in Ecclesia S. Petri qui IMPERATOR a Romanis salutatus est. Inde revixit Occidentis imperium. Anno 809 orta controversia de additione symbolo vocum illarum: "Filioque;" noluit eam probare, sed symbolum Latine et Græce duabus tabulis argenteis insculptum ad confessionem S. Petri affigendum jussit, omisso additamento. Obiit 11 Junii 816.

SÆCULO IX.

99. STEPHANUS V. post decem dies successit virtutibus et beneficentia populo Romano charissimus. Obiit sanctitate et miraculis illustris 24 Januarii 817.

100. S. PASCHALIS I. post biduum successit virtutibus illustris. "Captivos innumeros redemit, incendium immane precibus extinxit."[2] Obiit sanctissime 10 Februarii die 824.

101. EUGENIUS II. post dies quatuor electus sancte gubernavit Ecclesiam, ad diem usque 11 Augusti 827. Synodum Romæ habuit die 15 Novembris anno 826, in qua triginta octo canones editi sunt. Pauperum amore claruit optimus pontifex.

102. VALENTINUS vir sanctissimus nonnisi quadraginta dies pontifex vixit.

103. GREGORIUS IV. sanctitate clarus per annos sexdecim gubernavit Ecclesiam. Iter in Gallias instituit ut pacem inter Ludovicum Pium et filios ejus conciliaret, unde orta est suspicio eum filiis perduellibus favere, qua dissipata episcopi Galli et rex ipse eum summa exceperunt reverentia. Obiit VIII. Kalendas Februarias anno 844.

104. SERGIUS II., pulso Joanne quodam qui sedem invaserat, iv. Idus Februarii summo omnium consensu electus est. Sancte gubernavit Ecclesiam usque ad obitum die 27 Januarii 847.

105. S. LEO IV. electus 11 Aprilis die eo anno, ad diem 17 Julii 855 sedem tenuit. Sanctitate et miraculis claruit. Saracenis ad urbis direptionem properantibus, copias Ostiam misit, quæ cum Neapolitanis aliisque conjunctæ navali certamine hostes depulerunt. Anno 853, die 8 Decembris synodum 67 episcoporum in basilica S. Petri habuit. Ludovicum unxit imperatorem anno 850; et Ælfridum, quem pater Ethelvulphus Occidentalium Saxonum in Anglia rex, secum Romam duxerat, regem coronavit.

Leoni IV. successisse Joannam mulierem annis duobus, mensibus 5, diebus 4, putidissima est fabula, quam explodunt omnia genuina historiæ

(1) Ita referunt Anastasius Bibliothecarius, aliique coævi vel suppares scriptores quos videsis apud Natalem Alexandrum Hist. Eccl. Vol. xi. Art. x.

(2) Anastasius Bib.

monumenta, uti Blondellus, Calvinianus licet minister, ex professo demonstravit. Vide Dissertationem hac de re Natalis Alexandri tomo XII. hist. Eccl. Sufficiat hic animadvertere temporum supputationes nullum locum fabulosæ Papissæ relinquere.

106. Benedictus III., 22 Julii anno 855 invitus electus unanimi consensu, 29 Septembris consecrationis munus suscepit. Imperatorum Lotharii et Ludovici legati faverunt Anastasio, qui sedem invasit, sed brevi agnoverunt Benedictum. Sancte gubernavit Ecclesiam ad 8 diem Aprilis 858.

107. S. Nicolaus I., 24 die ejusdem mensis, invitus ad sedem Apostolicam evectus est. S. Ignatii, patriarchæ Constantinopolitani, jura contra Photium sedis suæ invasorem strenue vindicavit, et Gregorium Syracusanum, qui Photium ordinaverat, in perpetuum exauctoravit. Zachariam et Rhadoaldum episcopos, quos legatos Constantinopolim miserat, in Synodo deposuit ob munus proditum. Joannem, archiepiscopum Ravennatensem, ob jura læsa Sedis Apostolicæ, et subditos oppressos, necnon contumacem, excommunicatione percussit, quem veniam suppliciter deprecantem postea absolvit. Suscepta legatione a Michaele Bulgarorum rege, quæsitis eorum respondit, eos de pluribus christiani hominis officiis et disciplinæ capitibus edocens. Aliis plurimis præclare gestiis obiit Idibus Novembris anno 867, orbi christiano deflendus.

108. Hadrianus II. post mensem successit, sanctitate et pauperum amore insignis, quibus quum denarios viritim distribueret, miraculo multiplicata pecunia refertur. Photium in synodo Romana anathemate percussit. Synodo Œcumenicæ viii. per legatos præfuit. Theutbergam reginam ad Lotharium redire jussit, et Waldradam pellicem pœnitentiam simulantem communione Ecclesiæ donavit, ea tamen imposita conditione, ne ad Lotharii consortium rediret. Lotharium ipsum pœnitentiam professum absolvit. Post ejus mortem suam adhibuit auctoritatem, ut Ludovici, fratris defuncti imperatoris, jura servarentur, excommunicatione proceribus regni intentatis si ab eo deficerent. Proceres regni Caroli Calvi pariter monuit, ut eum ab invadendo regno quod Ludovico hæreditario jure debebatur deterrerent. Carolum Calvum filium suum Carolomannum acerbius tractantem placare studuit, filio Apostolicam auctoritatem implorante. Obiit II. Kal. Novembris anno 872.

109. Joannes VIII., 14 Decembris 872, suffectus est. Die Nativitatis Dominicæ anno 875 Carolum Calvum imperatorem Romæ coronavit. Dum hic regno abesset, frater ejus Ludovicus rex Germaniæ illud depopulabatur, quod audiens pontifex episcopis in regno Ludovici sub anathema te jussit, ut regi saniora consilia suaderent et injungerent. Formosum, Portuensem episcopum, ambiendæ sedis Apostolicæ reum in synodo Romana deposuit. Anno 878 in Gallias veniens synodum Trecis habuit III. Idus Augusti, in qua sententia in Formosum et alios confirmata est. Obiit die 15 Decembris anno 882.

110. Marinus, virtutibus præclarus, suffectus damnavit Photium, Formosum vero donavit indulgentia, relaxato vinculo juramenti quo se invitus obstrinxerat, Joanni VIII. promissione facta se semper in laica communione mansurum. Obiit mense Majo anno 884.

111. Hadrianus III. sedit annum unum, menses quatuor, defunctus anno 885. Basilio imperatori veniam Photio deprecanti noluit morem gerere, constantis animi pontifex.

112. Stephanus VI. sanctitate et in pauperes beneficentia illustris successit, his scilicet paterna bona distribuit. Locustas agrum Romanum depascentes signo crucis expulit. Plurimis præclare gestis per sex pontificatus annos sancte obiit mense Majo 891.

113. Formosus, quem supra memoravimus ambitus a Joanne VIII. damnatum, successit, et per quatuor annos mensesque septem sedem tenuit, defunctus 4 Aprilis 896. Sergius a factione quadam electus, expulsus est urbe. Condemnationem Photii confirmavit; episcopos et presbyteros ab eo ordinatos, nonnisi pœnitentes, excepit: ad Angliæ episcopos de rebus ecclesiæ Anglicanæ afflictis ex Danorum incursione, scripsit; aliâque pontifice digna gessit, ipse a Luitprando commendatus ob vitæ integritatem et Scripturarum scientiam. Eum etiam plurimis laudat Auxilius coævus scriptor.

114. Stephanus VII. successit, expulso Bonifacio qui sedem invaserat. "Hunc antipapam Bonifacium expulit Stephanus septimus intrusum videlicet intrusus, sed accedente cleri consensu, legitimus deinde pontifex habitus, ne schismate Ecclesia scinderetur." Ita Gravesonius. In Formosi memoriam inhumane sæviit, ejusque ordinationes irritas habendas declaravit. "Conversationis error fuit, non prædicationis," judice Natali Alexandro. Post annum unum et mensem unum in carcerem ab æmulis trusus strangulatus est ante Septembrem 897. Recolenda sunt verba S. Leonis Magni de Petro loquens: "cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit."[1]

115. Romanus, post Stephanum, quatuor menses gubernavit Ecclesiam, et post rescissa inique gesta decessoris obiit anno 898.

116. Theodorus II. dies tantum viginti sedit.

117. Joannes IX. medio Julii anno 898 consecratus est Pontifex, annosque duos et dies quindecim sedit. Acta Stephani contra Formosum rescidit, et tria habuit concilia.

(1) Serm. ii. de assumpt. ad Pontif.

SÆCULO X.

118. BENEDICTUS IV. 30 Augusti die anno 900 sedere coepit, ad annum 903, mense Octobris, pontifex. De eo apud Flodoardum scriptorem decimi sæculi, legitur :

> " Prætulit hic generale bonum lucro speciali,
> Despectas viduas, inopes, vacuosque patronis,
> Assidua ut natos proprios bonitate fovebat."

119. LEO V. per mensem unum et dies viginti sex sedem tenuit, a Christophoro presbytero, qui sedem invasit, in carcerem deinde detrusus. Hic post septem menses monasticum habitum induit cogente Sergio III., qui Alberici marchionis opera, sedem occupavit, quam, Formoso sedente, olim invaserat.

120. SERGIUS III., anno 904, sedit æmulis depulsis. Ejus memoriam Luitprandus, Ticinensis primum diaconus, postea episcopus Cremonensis, denigravit, quem secuti sunt plerique recentiores. Huic tamen fidem non facile tribuendam in iis quæ respiciunt pontifices, quum e partibus Leonis VIII. antipapæ steterit, monet Muratorius.[1] Flodoardus Sergium populo acceptum esse notat, ait enim coævus ille scriptor : " Profugus latuit septem volventibus annis : tunc populi remeans precibus sacratur honore pridem assignato, quo nomine tertius extitit antistes."[2] Epitaphium ei in Vaticanis ædibus olim positum, quod refertur in Romani Canonici libro, qui Mallii nomine vocatur; sæculo duodecimo scripto, hæc habuit : " Suscipitur Papa, sacrata plebe recepta gaudet. Amat pastor agmina cuncta simul." Sedit ad usque annum 911. Dicitur prædixisse S. Uldarico electionem ejus ad episcopatum Augustanum.

121. ANASTASIUS III. successit, sedemque tenuit annos duos et duos menses, mortuus anno 913. Eo pontifice Normanni ad fidem sunt conversi.

122. LANDO, 16 Octobris 913 creatus, 26 Aprilis 914 decessit.

123. JOANNES X. statim successit. Saracenos Romæ imminentes repulit et devicit : Berengarium coronavit imperatorem, et plura alia egit in Ecclesiæ utilitatem. Dicitur tamen Hugonem puerum quinquennem, Heriberti comitis filium, archiepiscopum Rhemensem designasse, ut patri morem gereret. In carcerem detrusus anno 928, " vel vi, vel actus angore defunctus est," anno sequenti, ut refert Flodoardus. Eum " sive sacrosanctæ summæ dignitatis majestatem, vel ejus præclare acta omni Italiæ

(1) In ea infelici rerum conditione qui e partibus imperatorum stabant, pro pontificibus ab ipsis designatis pugnantes, contra veros pontifices, omni arte studebant æmulorum et aliorum adversarum partium denigrare famam. Eminuit Luitprandus inter auctores illos maledicos.

(2) Carm. de Rom. Pontif. apud Muratorium Annal. Ital. t. v. ad annum 904.

hoc tempore salutifera spectemus, hoc nequaquam exitu dignum," pronuntiat Rubeus.[1] Luitprandus, maledicus satis auctor, eum ante pontificatum moribus haud purum asserit, eumque, Theodora favente, evectum.

124. Leo VI. septem menses dies quinque sedit, 3 Februarii 929 defunctus, æmulorum factione oppressus.

125. Stephanus VIII. religione et mansuetudine insignis, per duos annos, unum mensem, et duodecim dies rexit Ecclesiam. Dani, eo sedente, Unni archiepiscopi Hamaburgensis prædicatioue plurimum profecerunt.

126. Joannes XI. Alberici marchionis filius, uti testatur Ostiensis, et anonymus Salernitanus scriptor undecimi sæculi, non Sergii, uti Luitprandus, famam mendacem secutus, refert, successit. Ab Alberico patricio, fratre suo, conjectus in carcerem, obiit initio Januarii 936. Pontifex "gloriosæ idolis" a Ratherio Veronensi designatur.

127. Leo VII. piissimus pontifex suffectus est, qui 18 Julii 939 obiit. A Flodoardo describitur:

"Deditus assiduis precibus, speculamine celsus,
Affatu lætus, sapiens, atque ore serenus."

128. Stephanus IX., Othonis regis opera, ad Sedem evectus est Romanorum suffragiis, sed Cardinalibus neglectis. Eum Germanum fuisse, vel fœde vulneratum a factione Alberici negat Mansi, Martini Poloni, quem plerique secuti sunt, fidem haud firmam esse contendens, utpote alias turpiter hallucinati. Romanum fuisse plerique catalogi testantur. Suam operam felici successu posuit in Galliarum proceribus ad obedientiam Ludovico IV. revocandis. Obiit initio Decembris anno 942.

129. Marinus II. suffectus templorum restaurationi, disciplinæ emendationi, et pauperum levamini egregiam impendit operam. Obiit ante medium mensem Junii 946.

130. Agapetus II. optimus pontifex successit, et annos decem sedem tenuit, defunctus anno 956. Eo sedente Haraldus, Danorum rex, baptizatus est, et fides apud Danos propagari perrexit. Præfuit pontifex synodo Romanæ anno 949.

131. Joannes XII., Octavianus ante dictus, duodeviginti annos natus, Alberici Romæ tyranni filius, pontificatum invesit. Ottonem imperatorem Romæ coronavit, qui anno sequenti Romam cum exercitu hostili regressus est. Pontifex interim Alberico faverat, ideoque fuga elapsus est, in cujus locum Otto curavit Leonem VIII. in conciliabulo sufficiendum; quem tamen post duos menses Romani expulerunt.[2] Reversus Joannes synodum habuit,

(1) L. v. hist. Ravennat.

(2) Frequentia quæ decimo præsertim sæculo contigerunt schismata ad civilia studia haud immerito referuntur: quum imperatores suam potentiam et gratiam adhiberent ad

qua antipapa et ejus sectatores damnati sunt. Plura quæ de vitiis ejus et fine infausto narrat Luitprandus, caute sunt excipienda, quum antipapæ fuerit addictus. Joanni tamen atram notam inurit Baronius. Decessit 25 Maji 964.

132. Benedictus V. sanctitate et meritis conspicuus electus est, sed antipapa brevi ab Ottone est iterum intrusus, Benedicto in Germaniam abducto, ubi anno sequenti mortuus est. Eodem anno antipapa est extinctus.

133. Joannes XIII. deinde cathedram tenuit. Ottonem juniorem coronavit imperatorem. Eo sedente Poloni ad fidem conversi sunt, et fidei præcones in Wandaliam missi. Obiit 8 Idus Septembris 972.

134. Benedictus VI. sub finem Decembris electus est, sed post annum unum et menses tres in carcerem trusus et strangulatus est, a Francone, cardinali nequissimo, anno 974.

135. Donus II. successit, brevi ad superos transferendus, anno 975.

136. Benedictus VII. ante diem 25 Martii electus, sedit annos novem, et menses aliquot, defunctus 10 Julii 984. Sergium, metropolitam Damascenum a Saracenis expulsum perhumaniter excepit. Synodo habita damnavit antipapam Bonifacium.

137. Joannes XIV. successit, sed ab antipapa detrusus est in carcerem, ubi obiit anno 985. Bonifacius pariter eodem anno obiit morte repentina perculsus.

138. Joannes XV. mense Decembris 985 ordinatus est pontifex. Legatum misit ut concordiam conciliaret inter Ethelredum Angliæ regem et Ricardum Normannorum ducem: quod feliciter ei successit. Obiit anno 996.

139. Gregorius V., antea Bruno nuncupatus, plurimis insignis virtutibus duos annos, menses octo, dies sex sedit. Crescentius, Romæ tyrannus, Joannem Placentinum episcopum antipapam creavit, quem ludibrio circumduci jussit Otto imperator, Crescentio capitis damnato. Coronavit Ottonem III. imperatorem pontifex. Nuptias quas Robertus Galliarum rex cum Berta consanguinea sua contraxerat, rescidit, utpote incestas. Obiit 18 Februarii 999.

140. Sylvester II., antea Gerbertus, Galliis oriundus, humili loco, prius archiepiscopus Remensis, deinceps Ravennatensis, tandem pontifex creatus est, Ottone favente. Liberalium artium, quas in Galliis suscitavit,

pontificem sibi addictum creandum, Romani virum sibi utilem et acceptum quærebant, ideoque facile contingebat ut quæque factio pontificem designaret. Ex quo Patricii dignitas familiæ Carolvingiæ tributa est, et imperialis majestas deinceps agnita, jura quædam ei competebant, quæ tamen non satis erant definita, et ab invitis plerumque extorquebantur. Qui igitur graviora mala quibus oppressa jacuit ea ætate Ecclesia cogitat, debet civilium rerum conditionem præ oculis habere, et rerum cognoscere causas.

peritia, locum dedit vulgi suspicioni eum magiam callere. Stephano, Hungarorum regi, cujus insigni studio Pannonia ad fidem traducta est, indulsit, ut crucem in pectore gestaret. Obiit 11 Maji 1003.

Sæculo XI.

141. Joannes XVII. dictus, antea Sicco, successit, et post quinque menses defunctus est sub finem anni 1003.

142. Joannes XVIII., antea Fasanus, 26 die Decembris eodem anno suffectus est. Bambergensem episcopatum, ab Henrico Germaniæ rege in synodo Francofordiensi erectum confirmavit. Bellicolense monasterium "sub tuitione et defensione Apostolorum et Sanctæ Sedis pontificum posuit, interdixitque omnibus episcopis ne quam ibi jurisdictionem exercerent." S. Elphego, Cantuariensi archiepiscopo, Romam profecto, pallium dedit. S. Brunonem ad Russos misit Apostolum, qui martyr obiit. S. Bonifacius pariter occubuit apud eosdem, martyrio coronatus. teste S. Petro Damiani. Post quinquennium obiit pontifex anno 1009.

143. Sergius IV., antea Petrus Bucca Porci nuncupatus, 28 Septembris die eo anno electus est, tenuitque sedem ad annum 1012. Eo sedente Judæi Occidentales et Saraceni Hispaniæ impulerunt Hakemum Calipham Ægypti ad evertendum basilicam sepulchri Christi Domini; sed eam dirutam Christianis permissum est iterum ædificare, adeo prodigia inclaruerunt Saracenis.

144. Benedictus VIII. successit, et Henrici regis Germaniæ ope implorata, expulit Gregorium antipapam. Ipsum sanctum regem, cum conjuge Cunegunda, imperii corona ornavit. Saracenos littora infestantes devicit: Græcos in Apulia versantes debellavit; aliasque temporalia jura vindicavit. Imperatore suadente jussit ut symbolum in Missa caneretur Romæ, quod antea non consuevit, quum fides Romana semper mansisset integra. Duo concilia Romanum et Ticinense habuit. Obiit postquam annos fere duodecim sederat, anno 1024.

145. Joannes XIX., frater defuncti pontificis, successit, seditque annos novem, defunctus anno 1034.

146. Benedictus IX., juvenis, (sed decem annos longe superans ætate, de eo enim scribit S. Petrus Damiani "miserabilis ille ab ipso funesti pontificatus sui primordio usque ad finem vitæ in luxuriæ cœno versatus est,"[1]) in sedem Apostolicam patris sui Alberici Tusculani comitis factione intrusus est. Eo sedem tenente, Poloni, ob difficilem regni conditionem petierunt, ut Casimiro, monacho jam et diacono, liceret ad sæculum regredi, quum hæres foret regni. Votis annuit Benedictus. Pulsus est Urbe a Romanis, qui intruserunt Joannem episcopum Sabinensem, nomine Sylvestri III., anno 1044.

(L. i. ep. ix. ad Nicolaum ii

147. Gregorius VI., antea Gratianus dictus, persuasit utrique, numerata pecunia, ut pontificatu cederet in ejus favorem, sed in synodo Sutriensi anno 1046 se munere abdicavit: agnovit scilicet "se non posse juste honorem tanti sacerdotii administrare, ac semetipsum pontificalibus indumentis exuit." In eorum locum electus est Suidgerus, natione Saxo, episcopus Bambergensis, qui Clemens II. deinceps est vocatus.

148. Clemens II. ab anno 1046 die Natali Domini ad tertium Idus Octobris anni sequentis præclare rexit Ecclesiam. Concilia celebravit ad extirpandam simoniam, sed morte abreptus sancta consilia non potuit executioni demandare. Sedem vacantem invasit Benedictus IX. et per octo menses tenuit.

149. Damasus II., antea dictus Poppo, Brisinensis episcopus, successit die 17 Julii 1048, sed viginti dies tantum vixit in pontificatu.

150. S. Leo IX. antea Bruno, episcopus Tullensis, 2 Februarii die 1094 electus est, doctrina et sanctitate illustris. Vitæ austeritate, beneficentia in pauperes, et omnibus optimi pontificis dotibus effulsit. In Normannos in Apulia insolenter se gerentes duxit exercitum, sed infelici successu, nam victus captusque est: ipsi tamen victores sese subjecerunt, miro reverentiæ erga sacram majestatem indicio. Obiit anno 1054 die 9 Aprilis; post obitum miraculis clarus.

151. Victor II., antea Gebehardus, Aistetensis episcopus, post anni intervallum successit die 13 Aprilis 1055. Ad hæresim Berengarii profligandam nonnulla celebravit concilia. Obiit sanctus pontifex die 28 Julii 1057.

152. Stephanus X., antea Junianus Fridericus, Lotharingus natione, electus est 2 Augusti die 1057. Flagravit fidei et disciplinæ studio, et plures tulit leges sanctissimas, qua clerici incontinentes plecterentur. Refert S. Petrus Damiani, ab ipso creatus cardinalis, presbyterum qui hujus pontificis decretis noluit sese subjicere, repentina morte fuisse percussum.[2] Obiit sanctus pontifex die 29 Martii 1058, miraculisque post mortem claruit.

153. Nicolaus II., antea Gerardus, 28 Decembris 1058 electus est. Joannes Mincius episcopus Velitrensis in sedem Apostolicam intrusus fuerat vi et armis, Benedicti X. assumpto nomine; sed in concilio Romano 113 episcoporum, quod habuit Nicolaus anno sequenti, damnatus cessit. Plura fecit egregie tum ad fidem contra Berengarii hæresim tuendam, tum ad mores clericorum emendandos. Continentiam ut efficacius injungeret, vetuit "ne quis concubinarii presbyteri aut subintroductam mulierem habentis, Missam audiret." Obiit anno 1061, quum in pontificatu vixisset annos duos, menses sex, dies viginti quinque.

154. S. Alexander II. antea Anselmus de Badagio, episcopus Lucensis post tres menses successit. Sedes invaserat Cadolaus Palavicinus, epis-

(1) L. iv. ep. iii. ad Cunibertum episcopum Taurinensem.

copus Parmensis, Honorii II. nomine assumpto, qui et suorum armis suas sustinere partes, magna edita strage, tentavit, sed repulsus et devictus est, Gottofredi ducis Tuscorum opera. Sedit Alexander annos decem, sex menses, dies viginti unum, defunctus 12 Aprilis 1073. Doctrina, sapientia, sanctitate claruit, et diligentiam omnem in moribus clericorum emendandis adhibuit.

155. S. Gregorius VII., Hildebrandus antea dictus, 21 Aprilis die anno 1073 electus est. Celsis effulsit animi dotibus, et vi penitus invicta in extirpandis vitiis, præsertim simoniæ, et incontinentiæ clericorum, laboravit. Hæresim Berengarii etiam damnavit. Insidiis petitus et in turrim captivus adductus, nocte ipsa natalitia Dómini Nostri, sed a populo liberatus, sceleris pepercit auctori, ei tantum imposita conditione, ut itinere Hierosolymas suscepto, illud expiaret. Henricum IV. regem Germaniæ, III. hujus nominis imperatorem, plurimis conatus est a tyrannide, in subditos, simonia, et jurium Ecclesiæ violatione deducere. *Investiturarum* controversia eminuit ea occasione, noluit enim pontifex imperatorem annulum et baculum pastoralem episcopis tradere, quum sacræ potestatis sint indicia: imperator e contra pergebat jus ad res temporales episcopatus ea ratione tradere se profiteri. Saxones rebelles Henrico conciliare studuit Gregorius; sed quum conatus ejus omnes ad imperatorem emendandum frustra evasissent, post monita et minas, eum plexit anathemate, et regno et imperio deposuit, missa ad Rodulphum, Sueviæ ducem, quem Saxones elegerant, corona. De jure quo egerit videndus est Le Maistre, in opere: "Du Pape." Plerique jam videntur illud jus publicum illius ætatis agnoscere. Id exploratum est sanctissimum pontificem purissimo studio egisse, cujus vindicias Voigt, scriptor Protestanticus, haud ita pridem pertexuit, vita ejus conscripta. Plura habuit concilia Gregorius, plurimaque in morum emendationem sanxit, ob disciplinam sacri cœlibatus vindicatam et restitutam, et alia egregia facinora, æterna memoria dignus. Obiit 25 Maji 1085. Contra eum fecit antipapam Guibertum impius imperator.

156. Victor III., antea Desiderius, abbas Cassinensis electus est pontifex, sed per annum renuit onus suscipere. Victoria insigni de Saracenis reportata claruit ejus Pontificatus. Obiit 16 die Septembris 1087, sanctus humilisque Petri successor.

157. Urbanus II., antea Otto, episcopus Ostiensis, natione Gallus, electus est, vir sanctimonia et doctrina præstans, anno 1088 et annos per undecim, menses quatuor, dies octodecim præclare gubernavit Ecclesiam. Plurima tenuit concilia, inter quæ illud imprimis celebre, quod ad Clarum Montem in Galliis habitum est anno 1095, episcopis 225 convenientibus. De expeditione Hierosolymitana actum est, pontifice auctore: indeque bella cruce—signatorum habuerunt initium. Obiit 29 Julii 1099.

SÆCULO XII.

158. PASCHALIS II., antea Raynerius, abbas Cassinensis et cardinalis, invitus assumptus est. Sancte gubernavit Ecclesiam, sed ab imperatore Henrico V., quem ipse paulo antea coronaverat, in carcerem trusus, vi cessit, et jus relaxavit investiturarum, quo se abdicare ipse imperator juratus promiserat. Obiit 21 Januarii 1118, quum annos octodecim, menses quinque, dies septem sedisset.

159. GELASIUS II. antea Joannes, ex monacho cardinalis, 25 Januarii 1118 electus est, sed a schismaticorum factione in carcerem trusus, nonnisi 10 die Martii consecratus, postquam a populo ereptus fuerat. Fuga se subduxit, Henrico Imperatore Romam adveniente, qui Mauricium Burdinum, archiepiscopum Bracarensem, in sedem intrusit, nomine Gregorii VIII. Sanctus pontifex in Gallias se contulit, ubi morbo correptus, obiit Cluniaco, in proprio monasterio, 29 Januarii anno 1119.

160. CALLISTUS II., antea Guido, archiepiscopus Viennensis, 1 Februarii electus, sancte functus est supremo munere ad obitum usque 13 Decembris 1124. Mauricium Burdinum antipapam repressit; habuit et concilium Œcumenicum Lateranense, in quo *de investituris* actum est.

161. HONORIUS II., antea Lambertus de Fagnano, episcopus Ostiensis 21 Decembris anno 1124 consecratus, sedit ad 14 usque Februarii 1130. Theobaldus cardinalis prius electus, se munere abdicavit ipso electionis die, ne locus foret schismati, quod modestiæ exemplum imitatus est Lambertus. Inde factum ut cardinales hunc deprecarentur ad sumendum onus, et sic vitium electionis sanarent. Strenue gessit munus. Conradum et Fredericum Lothario Germaniæ regi rebelles anathemate plexit, et Anselmum archiepiscopum, qui coronaverat Conradum : per eam scilicet ætatem mos obtinuit ut Ecclesiæ potestas adhiberetur ad jura civilia tuenda, censuris ob eorum violationem latis.

162. INNOCENTIUS II., antea Gregorius de Paparesciis, electus est 15 Februarii 1130. Fortiter suaviterque gubernavit Ecclesiam, plusquam tredecim annos, ad 24 usque Septembris 1143. Eximiis effulsit virtutibus, et plura præclare gessit: ab antipapa Petro Leone, qui Anacleti II. nomine assumpto Romam occupavit plura passus. Sanctus pontifex in Gallias se contulit, unde anno 1138 reversus, cum Lothario imperatore, hunc Romæ coronavit. Iterum a factione antipapæ exulare coactus est, sed hujus morte brevi contingente, in urbem est reversus. Alius antipapa Gregorius nomine, qui Victor IV. vocari voluit, successit, sed intra paucos dies sese subjecit legitimo pontifici. Concilium Lateranense II. anno 1139 habuit Innocentius.

163. CŒLESTINUS II., antea Guido de Castello, 26 Septembris 1143 electus, 9 die Martii 1144 defunctus est. Dignissimus fuit pontificatu ob egregias dotes.

164. Lucius II., antea Gerardus Caccianimicus, post triduum electus, plurima ab Arnaldistarum factione passus, vivere desiit 25 Februarii anno 1145.

165. Eugenius III., ante Petrus Bernardus, abbas, S. Bernardi discipulus, electus est 27 Februarii 1145. Ob Arnaldistarum tumultus exulare coactus est, in Gallias profugus. Sanctissimam vitam miracula post mortem probarunt. Obiit 7 Julii 1158.

166. Anastasius IV., antea Conradus de Suburra, episcopus cardinalis, post biduum suffectus. Beneficus in pauperes et sui muneris solicitus laudem præclaram meruit. Obiit 2 Decembris 1154.

167. Hadrianus IV. Anglus, humili loco natus, ingenio et virtute profecit, Legati munere apud Dacos et Novegos functus, cum magno animarum lucro, ad summum pontificatum tandem evectus est. Sedit annos quatuor, menses octo, dies viginti novem, obiitque 1 Septembris 1159. Fridericum imperatorem coronavit, cum quo tamen gravia deinceps habuit dissidia. Quum Hadrianus beneficii nomine coronæ imperialis collationem designasset, excanduit Fridericus, putans feudatarium se dici, sed pontificis explicationi acquievit. Henrico II. facultatem tribuit Hiberniam invadendi, insulas omnes ad fidem conversas ad B. Petri jus pertinere affirmans, nixus, uti videtur, supposititio instrumento donationis Constantini. Eum humanis rationibus ductum fuisse non est temere dicendum, quum alias virtus ejus eximia innotescat: mirum autem non est eum falso deceptum instrumento, vel communem ea ætate secutum esse de potestate pontificia notionem.

168. Alexander III., antea Rolandus Bandinella, cardinalis, electus est 20 Septembris 1159. Octavianus, cardinalis, favente imperatore Friderico, schisma fecit, seque Victorem IV. appellavit. Pseudo-pontifice anno 1164 defuncto, alter electus est Guido, Cremonensis, qui Paschalis III. vocari voluit. Huic anno 1168 suffectus est Joannes, abbas Strumiensis, Callistus III. a suis dictus, qui post decennium subjecit se Alexandro. Schismatici tamen Landum Sitinum nomine Innocentii III. substituerunt, qui anno 1180 in exilium actus est et sic extinctum est schisma, quod viginti unum annos duraverat. Anno 1177 reconciliatio inter Fridericum et Alexandrum effecta est Venetiis. Pontifex Henricum II. Angliæ regem, necis S. Thomæ archiepiscopi Cantuariensis reum, anathemate percussit, sed juramento emisso a rege se haud fuisse consilii nefandi conscium, eum deinceps absolvit. Regnum diuturnum morte clausit Alexander 30 Augusti 1181.

169. Lucius III., antea Hubaldus Allucingolus, cardinalis episcopus Ostiensis, 1 die Septembris suffectus est. Sancte rexit Ecclesiam prudentia innocentiaque insignis. Obiit die 24 Novembris 1185. In ejus electione cardinales soli tulerunt suffragia: qui mos deinde obtinuit, clero populoque excluso.

170. Urbanus III., antea Lambertus Cribellus suffectus est, et ad mortem usque, 19 Octobris die 1187, Ecclesiam gubernavit. Gravia habuit cum imperatore Friderico dissidia, cui excommunicationem intentavit ob violata Ecclesiæ jura, sed intra minas se continuit.

171. Gregorius VIII., antea Albertus, monachus Benedictinus, vir plane et sapientia et vitæ sinceritate conspicuus. Magno flagrabat studio opem ferendi christianis in Palæstina oppressis, sed brevi ad immortalem coronam avolavit, 17 Decembris eodem anno.

172. Clemens III., antea Paulinus, cardinalis Prænestinus die 19 ejusdem mensis electus, pie et sancte rexit Ecclesiam. Christianis in Palæstina ut subveniretur laboravit. Obiit 28 Martii 1191.

173. Cælestinus III., Hyacinthus de Ursinis, post biduum suffectus est, annos jam natus 85. Expeditionem Sacram promovit; Leopoldo Austriæ duci, sub anathemate jussit ut Richardum, Angliæ regem, quem ceperat e Palæstina redeuntem, liberum dimitteret. Post plura sancte peracta obiit 8 Januarii 1198, virtutibus commendabilis.

Sæculo XIII.

174. Innocentius III., antea Lotharius Signia, cardinalis diaconus, annos natus 37, invitus electus est 7 Januarii die 1198, et sedit annos octodecim, menses sex, dies novem, defunctus 16 Julii die 1216. Doctrina, pietate et animi magnitudine claruit. Philippum II. Galliarum regem omni qua valuit ratione compulit ad recipiendam suam Inseburgim uxorem, dimissa quam secum retinebat concubina. Ottonem coronavit imperatorem, postquam juramento spoponderat se Ecclesiæ jura sancte servaturum: quem manifesto reum spreti juramenti et fracti, anathemate ligavit, soluto pariter subditorum erga eum vinculo. Joannem dictum *sans terre* Angliæ regem jura ecclesiastica violantem plexit anathemate, qui regnum suum pontifici fecit feudatarium, ut iram deprecaretur. Albigensium hæresim damnavit in magno concilio Lateranensi; Armenos, Bulgarosque Ecclesiæ conjunxit, et plurima alia gessit.[1]

175. Honorius III., antea Cencius Sabellus, presbyter cardinalis, altera ab obitu decessoris die electus est, nec regnare desiit ante 15 Kal. Aprilis anno 1227. Sacram expeditionem promovit, hæresim Albigensium delere sategit, ordines religiosos Fratrum Prædicatorum, Minorum, et Eremitarum B. Mariæ de Monte Carmelo probavit, et plurima alia sancte præclareque fecit.

176. Gregorius IX., Ugo seu Ugolinus Signia, antea dictus, episcopus Ostiensis, suffectus est, et sedit annos quatuordecim, menses quinque, defunctus fere centenarius anno 1241. Pacem inter principes conciliare summopere studuit; sed Frederici II. perfidia in causa fuit ut anathemate

(1) Ejus vitam nuper descripsit, et magnis ornavit laudibus scriptor Protestanticus Hurter.

feriretur, et omni jure imperii prolapsus haberetur; violavit enim jusjurandum quod ante coronationem præstiterat, et fœdus cum Sultano iniit, cum cæterorum principum, et reipublicæ christianæ injuria. Litteris impense favit insignis pontifex, fideique propagationi consuluit, missis præconibus ex ordine Dominicano præsertim, in barbaras gentes.

177. Cælestinus IV., antea Gaufridus Castilionæus, eximiis ornatus dotibus, tantum septemdecim dies in Summa Sede eminuit, ad superos translatus.

178. Innocentius IV., antea Sinibaldus de Filisco, cardinalis S. Laurentii, post intervallum anni unius, mensium octo, et dierum quindecim, electus est; imperatore cardinales carcere antea detinente. Imperatorem Fridericum sacra omnia jura conculcantem, et juramenta quæ per se vel per oratores præstiterat violantem, in concilio Œcumenico Lugdunensi, anno 1245, depositum a Deo declaravit pontifex, ipseque pro jure quod in eo tunc agnoscebatur, eum deposuit. Magno flagrabat fidei propagandæ studio, quod ex sacris præconibus in Prussiam, Norvegiam, Græciam, Bulgariam, Æthiopiam, Indiam missis liquet. Sapientissimus pontifex passim audiebat, 'Pater juris, et Pater veritatis.' Obiit "vir sacer et rectus" 7 Decembris die anno 1254, quum annos quatuor, menses quinque, dies quatuordecim, sedisset.

179. Alexander IV., antea Raynaldus, sive Reginaldus Signia, paucis post diebus electus est, seditque annoss ex, menses quinque, dies quinque, defunctus 8 Kal. Junii 1261. Orandi studio, abstinentia, et mansuetudine singulari insignis plura fecit, tum ad Albigensium hæresim evellendam, tum ad fidem dilatandam.

180. Urbanus III., Gallus natione, antea Jacobus Trecensis, patriarcha Hierosolymitanus, 4 Septembris 1261 electus, obiit 6 Nonas Octobris 1264. Festum instituit Corporis Christi: et alia plura zeli et pietatis dedit argumenta, virtute ex humillimo loco, (filius quippe sutoris veteramentarii fuit,) ad summum fastigium evectus.

181. Clemens IV., antea Guido, Gallus origine, qui ex legitima uxore duas genuerat filias, ea defuncta ad sacros ordines et ad episcopatum deinceps evectus est, denique pontifex electus, postquam sedes quinque menses vacaverat. Vir erat in pauperes effusus, propinquis autem admodum parcus. Omnia optimi pontificis implevit munera, defunctus post tres annos, novem menses, et viginti quinque dies, 29 Novembris 1268.

182. Gregorius X., antea Thealdus, seu Theobaldus Placentinus, archidiaconus Leodiensis, absens electus est, 1 Septembris die 1271, in Syria enim cum exercitu christiano versabatur. Duo anni, menses novem, et dies duo post Clementis obitum jam lapsi erant, et sex alii menses ante ejus consecrationem fluxerunt. Felici successu Græcorum cum Ecclesia conjunctionem tentavit, habito concilio Lugdunensi anno 1274. Obiit 10 Januarii 1276, miraculisque post mortem claruit.

183. Innocentius V., antea Petrus de Tarentasia, ex ordine prædicato-

rum, sanctitate, doctrina, aliisque eximiis dotibus insignis, sextum mensem in pontificatu implere non potuit, ad superos translatus 22 Junii 1276.

184. Hadrianus V., Ottobonus, patria Genuensis, mensem in pontificatu non implevit, 18 Augusti 1276 defunctus.

185. Joannes XX., Lusitanus natione, dictus antea Petrus Juliani, successit, eximiæ eruditionis in physicis præsertim et in medicina, et doctorum hominum patronus. Pro principum pace, christianorum in Palæstina levamine, et reipublicæ christianæ salute strenue laboravit, sed contignatione suæ cameræ soluta, oppressus est, dies tantum sex superstes. Obiit mense Majo 1277.

186. Nicolaus III., antea Joannes Cajetanus, post sex menses electus est, prudentia, gravitate, æquitate, et animi fortitudine commendabilis. Pacem inter principes populosque conciliare studuit. Firmandæ concordiæ cum Græcis in concilio Lugdunensi initæ strenue laboravit : Judæorum conversioni studuit, demandato Fratribus Prædicatoribus munere illis Dei verbum annuntiandi. Pluribus egregie patratis obiit 22 Augusti anno 1280, quum annos duos, menses fere novem, minus scilicet duobus diebus sedisset. Gallorum strages in Sicilia facta est eo sedente ; sed nefandum consilium illi non innotuit.

187. Martinus II., qui tamen IV. dicitur, post sex menses electus est. Simon de Bria antea vocabatur, natione Gallus, et jam ad cardinalatum evectus. 22 Februarii 1281 electus, obiit miraculis clarus 29 Martii 1285. Petrum Aragoniæ regem, ob partem quam habuit in Gallorum cæde dicta *Vesperis Siculis*, regno depositum pronuntiavit; Aragoniæ autem rex Petrus II. ab Innocentio III. coronatus anno 1204, regnum suum B. Petro Apostolorum principi obtulerat.

188. Honorius IV., antea Jacobus Sabellus, 2 die Aprilis suffectus est. Jacobum, Aragoniæ regem ejusque matrem Constantiam anathemate percussit, ob tyrannidem et crimina alia. Ladislao, Hungariæ regi, eandem pœnam intentavit, nisi dimissis pellicibus, legitimam exciperet uxorem. Obiit 3 die Aprilis 1287.

189. Nicolaus IV., antea Hieronymus Asculanus, ex Ordine S. Francisci, inter cardinales jam cooptatus, electus est pontifex post menses decem, dies octodecim, die 22 Februarii 1288, seditque ad 4 Aprilis diem 1292. Magno studio, felicique successu fidem inter Saracenos, Tartaros, Bulgaros, Sclavos prædicandam curavit, missis præconibus ex ordinibus Dominicanorum et Franciscanorum.

190. S. Cælestinus V., antea Petrus de Murone, Eremita et auctor congregationis Cælestinorum, post intervallum annorum duorum, trium mensium, et unius diei electus, post quinque menses et octo dies cessit pontificatu, cui se imparem agnovit, quum totum poneret studium in cælestium rerum contemplatione. Obiit in arce Fumonis, quo eum incluserat Bonifacius ejus successor, ne schismati foret locus, pravis hominibus sancti viri simplicitate forsan abusuris.

191. Bonifacius VIII., Benedictus Cajetanus, antea dictus, presbyter cardinalis doctus et sagax, sed si auctoribus sit fides, ambitione abreptus, die 24 Decembris 1294 electus est. Regem Galliarum, Philippum Pulchrum, Ecclesiæ conculcantem jura, et Legatum Pontificium, contra jus gentium, custodiæ tradentem, anathemate percussit, et regio jure spoliatum pronuntiavit et totum regnum sacris interdixit, ut aliorum damno rex commoveretur. Inde secuta est contra pontificem conjuratio nefanda, ipseque captivus factus Anagniæ, et deinceps liberatus, post paucos dies obiit ærumnis obrutus, anno 1303, quum sedisset annos octo, menses novem, dies octodecim. Primus publicavit Jubilæum.

Sæculo XIV.

192. Benedictus XI., verius X., antea Nicolaus Bocasinus, ex ordine Prædicatorum, humili loco natus, virtute summo muneri par evasit. Matrem pulchris ornatam vestibus noluit agnoscere; sed pro more vilibus indumentis tectam cum amoris et honoris indiciis excepit. Paci reipublicæ christianæ ut consuleret, rescidit decessoris sui in regem regnumque Galliarum acta. Præfuit Ecclesiæ octo tantum menses, dies undecim, defunctus 4 Julii die 1304, miraculis post mortem clarus.

193. Clemens V., antea Bertrandus de Agutis, archiepiscopus Burdigalensis, post undecim menses electus est, gratia Philippi Pulchri, si famæ sit fides. Hic primus Avenione sedit. Plurima in Ecclesiæ utilitatem patravit, missis fidei præconibus in Tartarorum imperium, et concilio Œcumenico Viennensi celebrato. Templarios haud injuria damnatos censent nonnulli post Ferretum Vicentinum, pontificum minime laudatorem: "Nec putandum est tam salubrem tam Deo gratum pastorem, odio vel prece corruptum a justitia declinasse, nam omnia bene, et sapienter ab eo gesta nemo mentis integer ambigit."[1] Obiit 20 Aprilis anno 1314, quum sedisset annos octo, menses decem, dies quindecim.

194. Joannes XXII., verius XXI., antea Jacobus de Ossa, Gallus gente, ex patre sutore veteramentario natus, electus est post intervallum annorum duorum, mensium trium, dierum septemdecim. Cum Ludovico Bavaro, rege Romanorum, grave habuit dissidium, quem et depositum solio pronuntiavit ob gravissima facinora. Pseudo-pontifex Petrus Raynalduccii de Corbaria, Franciscanus, qui Nicolai nomine intrusus est a Ludovico, brevi deposuit vestes pontificales. Fidei puritati invigilavit Joannes; sed in quæstione orta de visione divinæ essentiæ ante diem judicii, in opinionem propendit eorum qui docuerunt sanctos cum Christo quidem interim versari, et beatitudine frui, nec tamen ipsam essentiam divinam intueri. Præcones Evangelicos in Armeniam misit, et alias optimi pontificis implevit partes, annos novemdecim; defunctus 4 Decembris die 1334.

(1) Hist. l. iii.

195. Benedictus XII., antea Jacobus de Furno, natione Gallus, patre molitore, monachus quondam Cisterciensis, deinde cardinalis, electus est pontifex 20 Decembris eodem anno, et sancte gubernavit Ecclesiam usque ad obitum 25 Aprilis 1342. Definivit controversiam de animarum beatitudine ante diem judicii: religiosorum ordinum disciplinam promovit: se præstitit integerrimum in sanctissimi muneris exercitio, et ab omni propinquorum studio alienum. Sanctitate et miraculis claruisse refertur.

196. Clemens VI., antea Petrus Rogerius, natione Gallus, ex monacho Benedictino per honoris gradus ad pontificatum tandem evectus est 7 Maji die 1342. Plurima fecit præclara undecim annos quos tenuit Petri cathedram. Flagellantium sectam damnavit; pacem principum promovit; christianis a Turcis oppressis subveniendum jussit; Græcos ad unitatem studuit revocare, Armenosque scripta ad *Consolatorem* Armeniæ Catholicum epistola edocuit, vere maximus pontifex. Sancte obiit 4 Decembris 1352.

197. Innocentius VI., Gallus, antea Stephanus Alberti, electus 18 Decembris die per decem fere annos sedit, defunctus 12 Septembris 1362. Statuit beneficia conferenda, doctrinæ et pietatis ergo, non generis. Hæreses delere sategit, plurimaque egregie peregit.

198. Urbanus V., antea Guillelmus Grimoaldus, natione Gallus, electus est 23 Septembris die eodem anno. Eo coram Joannes Paleologus, imperator Græcorum, ejuravit schisma. Ad restaurandam disciplinam ecclesiasticam totas exseruit vires optimus pontifex. Romam rediit anno 1367, a qua aberant ab initio fere hujus sæculi ejus antecessores. Mortuus est Avenione, quo negotiorum causa iverat, 9 Decembris 1370, miraculis post mortem clarus.

199. Gregorius XI., natione Gallus, antea Petrus Rogerius, Clementis VI. ex fratre Guillelmo, comite Belfortio, nepos, consecratus est 5 Januarii 1371. Sedem Romæ restituit 27 Januarii 1377. Fidei studio flagravit, et Ecclesiæ jura strenue vindicavit, excommunicatione lata in Florentinos ob ea violata. Pie obiit 17 Martii 1378.

200. Urbanus VI., antea Bartholomæus Prignanus, patria Neapolitanus, et archiepiscopus Barensis, 8 die Aprilis electus est, et ad 15 diem Octobris anno 1389 vixit. Indolis asperioris dicitur fuisse, qua re exculcerati sunt cardinalium Gallorum animi.

Dum conclave haberetur ad successorem Gregorii designandum, irruerunt Romani, inclamantes Romanum, vel Italum saltem eligendum, verebantur enim ne Gallus eligeretur qui Avenionem se conferret. Metu facta electio rata haberi visa est, cardinalibus per quatuor menses Urbano obtemperantibus; sed deinceps tredecim aufugerunt Anagniam, et vim sibi illatam prætexentes, ad novam electionem, quæ libera foret, procedendum duxerunt. Die igitur 21 Septembris anno 1378 Robertus Gebennensis, nomine Clementis VIII., designatus est. Gravissima controversia, et di-

rum schisma inde traxit initium, nonuisi post quinquaginta annos extinctum.

201. Bonifacius IX., antea Petrus Thomacellus, cardinalis Neapolitanus, gravitate morum et integritate insignis, die 2 Novembris anno 1389, in Urbani locum suffectus est. Obiit 1 Octobris 1404, mori malens quam jacturam castitatis facere.

Obiit Clemens VIII., uti apud suos audiebat 16 Octobris 1394, et in ejus locum Petrus de Luna suffectus est, Benedicti XII. seu XIII. nomine.

Sæculo XV.

202. Innocentius VII., antea Cosmatus de Melioratis, Sulmonensis patria, doctrina et moribus commendabilis, 17 die Octobris 1404 electus est pontifex. Plurima passus a factionibus Romanis, et Ladislao rege Neapolitano, hostes suos tandem compescuit. In simoniacos severissimas statuit leges. Obiit 6 Novembris 1406.

203. Gregorius XII., vir prisca sanctitate reverendus, Angelus Corario hactenus vocatus, die 31 Augusti anno 1406 electus est pontifex. Eum et Benedictum XIIII. concilium Pisanum tentavit deponere, ut finis foret schismati, quod tamen auctum est electo Petro Philargo, seu Philareto, qui Alexandri V. nomine die 7 Julii 1409 consecratus est. Pisana acta nihili habuit Gregorius, qui suo munere fungi perrexit usque ad concilium Constantiense, in quo se per Legatum suum abdicavit, 14 Julii 1415. Alexandro 4 Maji 1410 demortuo suffectus est a suis Balthassar Cossa, qui Joannes XXIII. vocari voluit. Hic concilium Constantiense convocavit, in quo tamen 29 Maji 1415 depositus est omni jure prætenso pontificatus, ipseque sententiæ depositionis sese subjecit. Benedictus XIII. etiam die 26 Julii depositus est, sed ad mortem usque anno 1424 perstitit, jura pontificia sibi vindicans. Ægidius Sancius Munio, nomine Clementis VIII. assumpto, hujus occupavit locum, sed 26 Julii 1429 vana auctoritatis umbra carere tandem voluit.

204. Martinus V., antea Odo de Columna, Romanus, in concilio Constantiensi, 11 die Novembris 1417, electus est. Moderatione animi, acumine judicii, fidei et disciplinæ studio insignem se præbuit, defunctus 20 Februarii die 1431.

205. Eugenius IV., antea Gabriel Condulmerius, 3 Martii die eodem anno electus, 23 Februarii 1447 obiit. Pauperum amore, et cultus divini studio illustris extitit, testante S. Antonino. Eum deponere aggressi sunt Basileenses, sed pseudo-pontifex, postquam decennium nomen usurpaverat, inanem tandem dimisit titulum.

206. Nicolaus V., antea Thomas Sarzanensis, post exequias Eugenio per novem dies celebratas, electus est, Pacis studio, liberalitate in pauperes, aliisque virtutibus clarus diem clausit extremum 24 Martii 1455.

207. Calixtus III., antea Alphonus Borgia, Hispanus, septuagenario

major electus est 8 Aprilis die 1455. Optimus fuit pontifex; culpatus tamen a posteris, quod nepotem e sorore Rodericum Lenzolium Borgiam in Cardinalium numerum cooptaverit. Obiit 6 Augusti 1458.

208. Pius II., antea Æneas Sylvius, consecratus est 19 Augusti 1458. Quæ in inferiori gradu egerat vel scripserat, pontificiæ potestati adversa, occasione concilii Basileensis, speciali Bulla retractavit, et anathemate percussit appellantes ad futurum concilium. Vir fuit magnus, ingenioque clarus. Obiit 14 Augusti 1464.

209. Paulus II., antea Petrus Balbus, post novemdialia Pio II. peracta electus est. Plurima optime fecit ad extirpandam hæresim Hussitarum, ad abolendam simoniam, et in pauperum levamen. Calumnias ei a Platina impactas cardinalis Quirini dissipavit in vita Pauli II. quam conscripsit. Plures tamen eum arguunt quod recesserit aliqua ex parte a conditionibus in conclavi impositis futuro pontifici, quas una cum cæteris cardinalibus juratus promiserat se servaturum. Obiit ex apoplexia, ex comestione ad cœnam peponum, pisciumque cum aquæ frigidæ potu, 16 Julii 1471. De mortis occasione fabulose calumniantur hæretici.

210. Sixtus IV., antea Franciscus a Ruvere, ex ordine Minorum ad pontificatum assumptus. Doctrina, et studio fidei conservandæ et propagandæ claruit, sicut et Bibliotheca Vaticana constructa et ditata. Infensus Medicæis, qui reipublicæ Florentinæ gubernacula tenebant, noscitur fuisse, sed minime conscius cædis quam conjurati parabant. Obiit 13 Augusti anno 1484, quum tredecim annos sedisset.

211. Innocentius VIII., antea Joannes Baptista Cybo, per annos septem, menses decem, dies viginti septem, rexit Ecclesiam, ad mortem usque 25 Julii 1492. Eo sedente Ferdinandus et Isabella de Mauris triumpharunt, everso regno Granatensi, et Judæis ex Hispania pulsis. Propagata est fides in regno Congitano, et apud Jolophos, Æthiopiæ Occidentalis populos, et in Benii regno.

212. Alexander VI. antea Rodericus L. Borgia, Hispanus, electus est 11 Augusti 1492. Vitiis præclaras animi dotes fœdavit: quod autem de mortis occasione ex testimonio Guicciardini narratur, a Voltairio ipso rejicitur veluti fabulosum, nec enim credi potest pontificem septuaginta quatuor annos natum auri cupidine mortem veneno parasse cardinali. Ex medici testimonio constat eum ex febri tertiana decessisse. Eo sedente novus Orbis patuit Columbo: rogantibus autem regibus Hispaniarum et Lusitaniæ, limites designavit Alexander quibus contineretur cujusque ditio in regionibus quas forsan detegerent, et quas præconum evangelicorum opera ad sacra christiana perducerent. Bullam hanc, quam irridere consueverunt scriptores, laudat Le Maistre,[1] utpote qua paci principum et populorum saluti consulitur: pontifex scilicet, dum munus divinitus ma

(1) Du Pape.

datum edocendi omnes gentes implendum curat, arbiter fit inter principes, ne jurgiorum nascatur occasio.

SÆCULO XVI.

213. PIUS III., antea Franciscus Todeschinus, vir eloquio, prudentia, religione insignis, electus est, sed post viginti sex dies morte sublatus die 18 Octobris 1503.

214. JULIUS II., antea Julianus Ruvereus, electus post justa pontifici defuncto persoluta, ad 21 Februarii 1513 vixit. Militari gloria claruit plus quam pontificem decuit: quem tamen ob temporum necessitatem, et jura sacri imperii læsa excusat Ciaconius. Dissidia habuit gravissima cum Galliarum rege, quem in sui auxilium accersitum ex Italia expellendum deinceps curavit, ne nimis gravesceret Gallorum potentia. Templum S. Petri erigere cœpit, quæ res animi consilia amplissima prodit. Religiose perceptis sacramentis diem clausit extremum.

215. LEO X., antea Joannes Medicæus, Florentinus, annos natus triginta octo electus est 15 Martii die 1513. Ingenio, artium liberalium patrocinio, animi magnificentia, suavitate, constantia, liberalitate, castitate, pietate, virtutibusque plurimis, enituit. Severioris autem indolis quum non esset, studia theologica virosque theologiæ laude ornatos non adeo coluit, et animi oblectamenta nimio studio quærebat, a vitiis cæteroquin longissime abhorrens. Ipse Lutherus nihil in ejus moribus culpandum invenit: Erasmus autem plurimis eum ornavit elogiis. Anno 1517 Lutheri propositiones damnavit Bulla: Exurgat Dominus. Obiit 1 Decembris 1521.

216. ADRIANUS VI., Batavus, humili genere ortus, virtute ac doctrina ad summos pervenit honores. Magno studio in morum emendationem incubuit, sed austerioris visus est virtutis quam temporum conditio ferret, adeo ut ipse omnium judicio imperio dignus visus fuisset, nisi regnasset. Obiit vir optimus 14 Septembris 1523.

217. CLEMENS VII., antea Julius Medicæus, 19 Novembris 1523 suffectus est. Gravissima passus est a Germano exercitu, a Carolo V. misso ad ulciscendam injuriam quam sibi illatam æstimabat, fœdere a pontifice cum Gallis aliisque pro libertate Italiæ inito. Ipse obsessus est in arce S. Angeli, nec libertatem pacemque nisi durissimis conditionibus impetravit. Henrico VIII. Angliæ regi, Catharinam uxorem repudiare volenti restitit, pœnasque ecclesiasticas irrogavit. Inde schismatis Anglicani origo, rege furibundo libidine exigente ut ipse caput supremum Ecclesiæ Anglicanæ agnosceretur, pontificia auctoritate rejecta. Obiit Clemens 26 Septembris 1534, optimi pontificis laudem promeritus.

218. PAULUS III., antea Alexander Farnesius, 13 Octobris 1534 assumptus pontificatum tenuit ad 10 Novembris 1549, plurimaque gessit feliciter et præclare. Ut concilium Tridentinum celebraretur maxime adlaboravit. Henricum VIII. anathemate percussit, regnoque delapsum pronuntiavit, *receptis per* plura sæcula de potestate pontificia principiis inhærens.

Munia omnia summi principis et optimi pontificis implevit magna cum laude; in eo tamen reprehensus quod filiis ex occulto matrimonio, uti dicit Fellerus, natis ante ordines sacros susceptos, nimis consuluerit.

219. Julius III., antea Joannes Maria de Monte, episcopus Prænestinus, 8 Februarii 1550 electus est. Syros in Ecclesiæ gremium excepit: concilium Tridentinum promovit; imperatorem cum Galliarum rege conciliare studuit. Anglos, regnante Maria, Ecclesiæ restituit unitati, Cardinali Polo, tamquam ejus Legato, Parlamentum totum et nationem solemniter censuris solvente. Obiit plurimis rebus gestis illustris 23 Martii 1555.

220. Marcellus II., antea Marcellus Cervinus, cardinalis S. Crucis electus est 9 Aprilis 1555. Sanctitate aliisque dotibus eminuit, sed vigesimo secundo die pontificatus ad superos est translatus.

221. Paulus IV., antea Joannes Petrus Carafa, Clericorum Regularium, qui dicuntur Theatini, institutor, 23 Maji electus, fere octogenarius, plusquam quatuor annos sedit, die 17 Augusti 1559 defunctus. Magno fidei integritatis studio flagravit, quo contigit ob temporum iniquitatem ut de virorum eximiorum orthodoxia male suspicaretur. Plurima fecit et sanxit ad emendandos mores, austerus virtutum cultor.

222. Pius IV., antea Joannes Angelus Medicæus, post menses quatuor et dies quatuor electus est. Concilium Tridentinum ad finem perduxit pluraque edidit sanctissima decreta. Obiit 10 Decembris 1565, susceptis devote sacramentis a S. Carolo Borromæo ejus nepote, quem summis honoribus auxerat.

223. S. Pius V., antea Michael Ghislerius, ex ordine Prædicatorum, 7 Januarii 1566 electus est. Sanctissime rexit Ecclesiam, omni studio laborans ut hæresis radicitus deleretur. Praecibus ejus de Turcis victoria relata est ad Echinadas insulas in sinu Corinthiaco, loco vulgo dicto *Lepanto*, quam ipso temporis momento quo contigit novit et enuntiavit. Elizabetham omni jure ad Angliæ regnum carere pronuntiavit, quod ex legitimo matrimonio non esset orta, et quod in Ecclesiæ et reipublicæ detrimentum abuteretur potestate, in communem omnium ordinum utilitatem concredita: secutus hac in re receptam per plura sæcula de pontificia potestate in juribus regiis definiendis notionem. Obiit miraculis clarus 1 Maji 1572.

224. Gregorius XIII., antea Hugo Boncompagnus, 13 Maji eodem anno electus, ad 10 Aprilis 1588 vixit. Mirum quot quantaque egerit ad urbis decus augendum, ad disseminandum litteras, fidem, pietatem ubique gentium, erectis collegiis, missis fidei præconibus, ex societate Jesu præsertim, ad Japonios, Indos, aliosque populos. Kalendarium emendari jussit, novamque Juris Canonici editionem mendis purgatam fieri.

225. Sixtus V., antea Felix Perelli, de Montealto, genere humili, ex Franciscanorum familia, electus est 24 Aprilis eodem anno. Magna vi animi et justa severitate populum sibi subditum rexit, arctioribus decretis vitia ubique terrarum compescere studens. Elizabeth Angliæ [illegible]

Mariæ Stuartæ, Scotorum reginæ sanguine recens maculatam, solio dejicere tentavit, fulmine apostolico vibrato, quod tamen in leves abiit auras. Obiit 27 Augusti anno 1590.

226. Urbanus VII., antea Joannes Baptista Castanea, vir castitate, religione, aliisque dotibus præclarus, electus est pontifex, sed die duodecimo obiit, coronatione haud peracta, die 27 Septembris 1590.

227. Gregorius XIV., antea Nicolaus S. frondatus, castitatis et modestiæ laudibus ornatus successit. Plurima edidit decreta utilissima, sed morte abreptus est die 15 Octobris 1591, anno pontificatus haud expleto.

228. Innocentius IX., antea Joannes Fachinettus, morum integritate et eruditione spectatissimus, suffectus est, sed post duos menses obiit 30 Decembris die.

229. Clemens VIII., antea Hippolytus Aldobrandinus, 30 Januarii 1592. Ruthenos aliosque ad Catholicam Ecclesiam redeuntes excepit; Henricum IV., Galliarum regem, ad fidem conversum, a censuris absolvit: Vulgatæ versionis accuratissimam editionem fieri curavit; plurimaque alia præclare gessit, defunctus tandem 3 Martii die 1605.

Sæculo XVII.

230. Leo XI., antea Alexander Octavianus Medicæus, electus die 2 Aprilis 1605, die 10 coronatus, die 27 ejusdem mensis obiit. "Ægiotans suasionibus plurimorum adduci non potuit, ut nepotem suum, modestissimum adolescentem, quem penes se educaverat, et unice diligebat, crearet S. R. E. Cardinalem." Ita Baronius refert.[1]

231. Paulus V., antea Camillus Burghesius 16 Maji 1605 electus est. Fidem apud Indos, Persas, Sinas, missis evangelicis præconibus propagavit. Liberalitate, religione, litterarum patrocinio, multisque de Ecclesia et republica meritis ornatus, sancte clausit vitam, dicens: "Cupio dissolvi et esse cum Christo," 28 Januarii 1621.

232. Gregorius XV., antea Alexander Ludovisius, 9 Februarii 1621 electus est. Pietate, studio fidei propagandæ, benignitate, aliisque virtutibus claruit. Congregationem Cardinalium de propaganda fide instituit. Obiit 8 Julii 1623.

233. Urbanus VIII., antea Maphæus Barberinius, 6 die Augusti 1623, electus est. Sacra instauravit ædificia, novaque erexit: collegium de Propaganda Fide extruxit: librum Jansenii damnavit, plurimisque peractis operibus, obiit 29 Julii 1644.

234. Innocentius X., antea Joannes Baptista Pamphilius, annos natus septuaginta duo, 15 Septembris die 1644 electus est. Jansenii quinque propositiones damnavit: reprobavit pacem *Monasteriensem*, quam Phillippus II. cum Batavis et Belgis, et Ferdinandus imperator cum Germaniæ et Sueciæ principibus hæreticis inierat, et conditiones rejecit utpote iniquas et juribus Ecclesiæ adversas. Sancte obiit 7 Januarii 1655.

235. Alexander VII., antea Fabius Chisius, 6 die Aprilis 1655 renuntiatus est pontifex. Fidei Catholicæ studio flagrabat, vehementerque litterarum studiis delectabatur. Ludovico XIV. injuriarum Legato suo illatarum a turmis Corsicis, quæ ad Pontificis personam custodiendam tunc destinabantur, pœnas reposcenti satisfecit. Jesuitas in Rempublicam Venetam, ex qua, occasione dissidii inter Paulum V. et Venetos de Ecclesiastica immunitate, ejecti erant, iterum recipiendos curavit. Plurimis aliis præclare gestis obiit 22 Maji 1667.

236. Clemens IX., antea Julius Rospigliosus, 20 Junii 1667 electus, obiit 9 Decembris 1669, plurimis relictis fidei beneficentiæ, charitatis et mansuetudinis documentis.

237. Clemens X., antea Æmilius Alterius, 29 Aprilis 1670 electus, invitus plane et coactus onus ætate sua majus, octogenarius quum esset, subiit. Studio fidei, liberalitate, animo a suis ditandis alieno claruit. Obiit 22 Julii 1676.

238. Innocentius XI., antea Benedictus Odeschalchus, 21 Septembris 1676 electus, omnibus sancti pontificis dotibus claruit. Grave habuit cum Ludovico XIV. dissidium, quum hic vellet *jus Regaliæ* in quasdam ecclesias eo antea immunes extendere, et Lavardinus regis orator, ovantis instar Romam ingressus fuisset, haud absque majestatis pontificiæ dispendio. Clerus Gallicanus regi morem gerens comitia habuit anno 1682 in quibus de pontificiæ potestatis limitibus actum est. Obiit pontifex 31 Julii 1689.

239. Alexander VIII., antea Petrus Ottobonus, 6 Octobris 1689 electus, prudentiæ, sapientiæ, et fortitudinis laudibus jam insignis. Propediem moriturus, die scilicet 30 Januarii 1691 publicavit Bullam, jam a 4 die Augusti 1690 subscriptam, qua irrita declaravit acta Cleri Gallicani in comitiis anni 1682. Obiit 1 Febuarii 1691.

240. Innocentius XII., antea Antonius Pignatellus, post quinque menses electus est, die 13 Julii 1691. Summa cum prudentia Ecclesiam rexit: composuit dissidium cum Ludovico XIV., Gallis episcopis scripto profitentibus se de comitiorum illorum actis dolere, rege autem declarante se revocasse quæ ea de re regia auctoritate sancita fuerant. Obiit 26 Septembris 1700.

Sæculo XVIII.

241. Clemens XI., antea Joannes Franciscus Albani, invitus creatus est 23 Novembris 1700. Sanctissime functus est supremo munere, præclaris datis humilitatis et pietatis exemplis. Constitutione quæ incipit: "Unigenitus," 101 propositiones ex libro Quesnelli desumptas damnavit. Alias quoque magni momenti constitutiones edidit, 19 Martii die anno 1721 tandem defunctus.

242. Innocentius XIII., antea Michael Angelus de Comitibus, 8 Maji

1721 electus est. "Totus summi pontificatus splendor in eo eluxit, ut Summum Principem decet: virtutes etiam eximiæ, quales in Christi Vicario desiderantur." Ita Gravesonii continuator. Brevem habuit pontificatum, 7 die Martii 1724 defunctus.

243. Benedictus XIII., antea Vincentius Maria Ursinus, ex ordine Prædicatorum 29 Maji 1724 suffectus est. Humilitate, rerum mundanarum contemptu, liberalitate in pauperes, cæterisque virtutibus eminuit. Lateranense Provinciale Concilium anno 1725 tenuit, cui interfuerunt Cardinales triginta duo, archiepiscopi et episcopi plures. Cardinalem Noallium ad unitatem revocavit; tandemque anno ætatis suæ octogesimo primo sancte obiit, 21 Februarii 1730.

244. Clemens XII., antea Laurentius Corsinus, 12 Julii 1730, electus est. Anathemate percussit Theodorum Vandercoon, in episcopum Ultrajectenum electum a Janseniana factione, et Dominicum Mariam Varler, qui eum consecraverat. In *Liberos Muratores* etiam anathema tulit constitutione edita 29 Maji 1738. Egentibus consuluit, et plura pontifice digna peregit, defunctus 6 Februarii die, anno 1740.

245. Benedictus XIV., antea Prosper Lambertinus, 17 Augusti die electus est, qui ut eruditissimus et sapientissimus toto orbe christiano est celebris. Plures instituit Romæ Academias, plurimas edidit constitutiones sacra eruditione insignes, et plurima gessit principe supremo et pontifice digna. Sedit octodecim annos, defunctus 3 die Maji 1758.

246. Clemens XIII., antea Carolus Rezzonicus, 6 Julii 1758 creatus est. Effusa in pauperes largitas, disciplinæ studium et plurima egregia gesta eum commendant. Jesuitas strenue defendit, Bulla edita: "*Apostolicum*," sed haud valuit impedire ne expellerentur ex Lusitania, Hispaniis, Galliis, et regno Neapolitano. Pater populi, optimusque pontifex fuit; sed malorum mole oppressus, obiit 2 Februarii 1769.

247. Clemens XIV., antea Joannes Vincentius Antonius Ganganelli, ex ordine Conventualium S. Francisci, 19 Maji 1769 electus est. Bullam *In Cœna Domini* supprimi jussit, ut principibus gratificaretur: quibus ut morem gereret, Jesuitas etiam sustulit, maximo cum religionis damno. Obiit 22 Septembris 1774: falso autem dicitur veneno extinctus, quum obstet medici integerrimi Salicetti testimonium.

248. Pius VI., antea Joannes Angelus Braschi, 15 Februarii 1775, creatus est. Magna animi moderatione et fortitudine supremi principis et pontificis munia temporibus difficillimis explevit. Josephum II. imperatorem nova molientem ut flecteret, iter Vindobonam aggressus est, sed nullo fere fructu. Episcopum Pistojensem Scipionem Ricci, Leopoldo Etruriæ archiduci studentem, compescuit rescissis Synodi Pistojensis anno 1786 habitæ actis. Suæ Sedis jura fideliter servavit. Gustavum III. Sueciæ regem Urbem invisentem magnifice excepit. Constitutionem civilem cleri Gallicani damnavit. Napoleonis Bonaparte, nomine reipublicæ *Gallorum*, exercitum ducentis armis cedere compulsus est, et durissimas

subire conditiones, pace inita Tolentini 19 Februarii 1797. Anno sequenti Urbs a duce Berthier obsessa 29 Januarii die, et proditione capta; pontifex autem abductus Viterbium, Senas, Florentiam, Valentiæ in Galliis tandem malis obrutus ad cœlos evolavit 29 Augusti 1799, anno ætatis octogesimo secundo, quum viginti quatuor annos, sex menses, et quatuordecim dies sedisset.

249. Pius VII., antea Gregorius Barnabas Chiaramonte, ex ordine S. Benedicti, in comitiis Venetiis habitis, triginta quinque cardinalibus undequaque collectis, pontifex designatus est 14 Martii 1800, contigit enim ut Galli Russorum et Austriacorum armis ad tempus cedere coacti, locum electioni liberum relinquerent. Breve edidit 7 Martii 1801, quo Jesuitis permissum est ut in Russiaca ditione domos religiosas erigerent; quæ facultas ad regnum Neapolitanum 31 Julii 1804 extensum est. Cum Napoleone, primo Consule, concordatum initum est 15 Julii 1801, ratum 15 Augusti, et solemni Bulla munitum 27 Novembris eodem anno. Eo sublatæ sunt diœceses omnes Galliarum, novis adsignatis limitibus, et remoti episcopi qui pontificiæ voluntati de demittendo munere non acquieverant. Napoleonem inunxit imperatorem Pius 2 Decembris 1804, in Ecclesia Dominæ Nostræ Parisiis. Rediens in Urbem, in itinere Scipionem Ricci veniam errorum deprecantem absolvit. Albo sanctorum solemniter inscripsit Franciscum Caracciolo, et quatuor alios, die 24 Maji 1807. Exercitus Gallorum, duce Miollis, anno sequenti Romam occupavit, et 17 Maji 1809 Napoleon decretum edidit ex castris, quo pontifex omni jure temporali spoliatus est. Excommunicationis sententia 10 Junii ejusdem anni injurias gravissimas ultus est Pius animo impavido. Abductus est captivus 6 Julii die, et plurima in itinere passus pervenit tandem Savonam. Napoleon interim, Josephina repudiata, divortio facto contra juris ordinem absque pontificia auctoritate, uxorem duxerat Mariam Louisam, Austriacam. Convocavit imperator Parisiis concilium episcoporum Gallorum et Italorum 17 Junii 1811, Parisiis in Ecclesia Dominæ Nostræ. Aderant 6 cardinales, 9 archiepiscopi, 80 episcopi: sed quum consilia sua exequi non potuerit imperator, solvit cœtum. Ex infelici expeditione quam in Russiam susceperat reversus, mense Januarii 1814 fecit facultatem sancto pontifici Romam redeundi, quam 24 Maji magna cum omnium lætitia ingressus est. Jesuitarum ordinem solemni Bulla mox restauravit. Ad mortem usque 23 Augusti anno 1823 sedit gloriose, sanctitatis laude illustris.

250. Leo XII., antea Hannibal Della Genga, electus die 27 Septembris 1823, vixit ad diem 10 Februarii 1829. Litteras fovit, magno studio incubuit in rei Ecclesiasticæ profectum, et magna cum solertia rerum conditioni consilia attemperavit, strenuus princeps et pontifex fidelis, sed morbis semper afflictatus.

251. Pius VIII., antea Franciscus Xaverius Castiglioni, die 31 Martii anno 1829 electus est. Ob fidelitatem in temporum difficultate Pio VII. fuerat acceptissimus, qui eum Cardinalem designans majores ei prædixisse

honores refertur. Episcopos provinciæ ecclesiasticæ Friburgensis in Brisgovia sui muneris monuit. Pulso Carolo X., et pacifice solium occupante Ludovico Philippo, interrogatus respondit licere huic juramentum fidelitatis præstare. Obiit post brevem pontificatum, ob mores dulcissimos defletus a populo Romano, die 30 Novembris 1830.

252. Gregorius XVI., antea Maurus Cappellari, ex ordine Camaldulensium die 2 Februarii anno 1831 electus est pontifex: quem Deus diu sospitet.

His tabulis, tamquam appendicibus, opus nostrum instruximus in studiosorum utilitatem. Miram Dei providentiam in serie pontificum servanda, inter humanarum rerum vices, et hominum cupiditates, quæ tot pepererunt turbas, agnoscat quisque necesse est. Liceat igitur sectarios verbis Augustini compellare.

"Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite.
Dolor est cum vos videmus ita præcisos jacere.
Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede,
Et in ordine illo patrum quis cui successit, videte:
Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ."[1]

(1) Psalmus contra partem Donati.

JAN 31 1979